170 alte Nr. 416

1

1.2.3.

1) Sopingius

2) u. 3) Taurinus

M. VII. 99.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-56515/fragment/page=0002

GODEFREDI SOPINGII.
Apologetica Responsio

AD

LIBELLVM
ANONYMVM
qui vocatur

BONA FIDES
SIBRANDI LVBBERTI

Et ad

HVGONIS GROTII
PIETATEM

Cui annexa est

ipsa BONA FIDES Anonymi & VITA auctoris

Summa huius libri indicatur post præfationem.

FRANICÆ

Ex Officina
ROMBERTI DOYEMA,
Ordinarij, cum viveret, ORDINVM FRISIAE
Typographi. in Academia Franicana.

Sumptibus Viduæ, & Iohannis Lamrinck
Bibliopolæ Bolswardiani. 1616.

EPISTOLA DEDICATORIA.

Illustri & Generoso Domino,

DOMINO WILHELMO LVDOVICO,

Comiti in Nassavv, &c. Gubernatori Frisiæ, &c.

Et

Nobilibus ac Potentibus Dominis, Dominis Ordinvm Frisiae

DEPVTATIS

Simvlqvè

Magnificis & Nobilibus Dominis, Dominis Curatoribus Academiæ Friſicæ.

Accedentes olim ad Reges Magnateſque in Republica Iſraëlis adorare eos, hoc eſt, civiliter honorare, pacemque eis precari ſolebant, atque deinceps dicendi veniam humiliter petere, ut actione unâ illorum Majeſtatem ſuumque obſequium teſtatum face rent. Quorum veſtigia imitari, Veſtra ſublimitas, meaque mihi imperat humilitas, atque inſuper negotij quod ago neceſſitas: Vobis igitur, Ampliſſimi Viri, gratiam & pacem precor à Deo patre, & Domino noſtro Ieſu Chriſto, Veſtramque pariter Amplitudinem

Amplitudidem qua par est animi submissione sollicito, ut me servum vestrum, gravissimas curas vestras hac Epistola interpellantem, benignè aliquantisper audire velitis: Accepta igitur à vestra, quam mihi spondeo, benignitate, dicendi scribendive veniâ, in hunc modum V. A. alloquor:

Publico prodesse, qui prodesse potest. Naturæ nos instituit magisterium, Et sanctorum quam Christiani profitentur communio. Magna enim eruditionis pars mihi videtur, non sibi sed alijs sapere, neque suum sed Reipublicæ quærere emolumentum, hæ doctorũ sunt curæ, hæc piorum molimina, qui candelæ instar alijs lucẽdo, seipsos consumũt, atque se satis feliciter vixisse arbitrantur, quando se suaque omnia publico impenderunt. Meus heu quondam! Collega *GODEFRIDVS SOPINGIVS* nuper vita defunctus, eò labores suos curasque direxit, ut prodesse publico posset; & profuit sanè quoad vixit, non in imperio, sed Ecclesiæ Christi ministerio, vixit autem annos propemodum viginti, quibus pietate, eruditione, modestiâ, consilioque suo profuit multis. Interea assiduo & indefatigato studio, Apis instar ex florido Eruditorum prato, multa collegit erudita, græca, latina, belgica, quæ non dubito, quin publico sint profutura, & futura publica singularis eruditionis testimonia. Inter ea sunt vindiciæ orthodoxæ veritatis, Et magnorum Virorum, per quorũ latera veritas transfigitur; Eas vivus Typis subiecerat, Editas autem atque absolutas videre non permisit ipsi divina providentia, cui se suaque omnia iam pridem submiserat, & cui nos obluctari nefas est. Optandum tamen, quod sperari non potest, hoc nobis à Deo propitio cõcessum fuisse. ut quam texere incepit telam, pertexere ei licuisset, tum quidem & concin-

nasset sua, & mea qualicunque caruisset opellâ, quam tamen charissimo atque semper desideratissimo Collegæ non illubens præsto: Quandoquidem igitur ita nunc divino dispositum est consilio, ut mortuo auctore, superstes sit liber, cujus principium typis excusum vidit, finem videre non potuit; nos autem utrumque per gratiam Dei videmus; Vnum mihi restare videtur, ut is ijs dicetur, quibus eum animo suo dicaverat & consecraverat, & dedicandum mihi paucis ante obitū diebus exposuit, ut extaret publicum aliquod benevolentiæ & gratitudinis suæ μνημόσυνον ergà eos, quorum beneficentiæ potissimum devinctus erat.

Vobis igitur, Viri Amplissimi Clarissimique, defuncti parentis nomine, fœtum hunc posthumum offero, vestroque patrocinio & curatelæ committo, fovendū atq; defendendum adversus malevolos malidicosque: Vobis, inquā, Quibuscum in defendēda veritate causā communem egit; dum quam vos armis, prudentia & auctoritate Reformatam Religionem defenditis, iste calamo & stylo pro virili defendit, nec passus est fortis Athletæ instar se retrogradum loco & statione sua, adversariorum sagittis vel latum pedem dimoveri. Hoc quoque accedit privati beneficij atque exhibiti à vobis honoris, quod vestræ nuper visum est prudentiæ, virum hunc ingenio sublimem, moribus tamen humilem, & ministerio Ecclesiæ, cui à Parente ab incunabulis devotus erat, contentum, ad Theologicam professionem, in Frisica vestra Academia, cōmuni consensu vocare: Sed visum est Deo Opt. Max. ut in ea functione quiesceret, in qua tot annos laboravit & feliciter versatus est. Quiescit igitur in pace sanctorum, &

Deseruit fessas pendula tela manus.

Scripta autem illius aliorum volventur manibus, quando

quando ex privatis publica facta sunt. Non opus est à me vobis, viri clarissimi, exponi, quæ causæ auctorem pacificum ad hoc scribendi genus, quod polemicum est, impulerint. Eas ipse præfatione sua ad lectorem copiosè expositit. Ego in pauca contraho. Notum enim est, quo in loco res Ecclesiasticæ versentur, quomodoque confessa & defensa hactenus periclitetur veritas, dum oppugnatur & vulneratur ab ijs, quorum ministerio vulnera & languores ejus meritò curari debebant. Tota Ecclesia belgica gemit ac dolet nervos sibi & orthodoxæ veritati indies magis magisq; incidi, atq; de duobus coram Deo & hominibus palã protestatur: *Primò*, Quod in dogmatibus aliquot præcipuis, *de gratia Dei & libero hominis arbitrio*, candida veritas obscuretur, & adulteretur, Novitiorum quorundã Theologorum sophismatibus: *Secundò*, Quod sacer Ecclesiæ ordo, disciplina & auctoritas labascunt, pervertuntur, & in nihilum planè rediguntur; adeò ut boni sibi metuant, & prævidere vix aliud quicquam possint, quam utrumq; eò tendere, ut ex ruderibus collapsæ Ecclesiæ, aut Schola Prophanorum & Libertinorum, aut Synagoga restituatur papalis; Nam quæ adversus sanam receptamque doctrinam *de gratia Dei*, Ecclesiæque cõfirmatum ordinem, odiosè à Sophistis producuntur, non obscurè papismum redolent, (à quo. impura & portẽtosa *Hierarchia*. veritas, (ut cum Apostolo loquar) in injustitia multis antè seculis detenta fuit) gratiamque immeritam ita extenuant, vt liberum hominũ arbitrium, fundamentum humanorum meritorum, rursus stabiliant. Quod certè agnovit Bellarminus libro quinto de Iustificatione, capite decimo, qui volens hominum apud Deum statuminare merita, eis hanc præstruit viam: Ad meritum constituendum requiri

liberum voluntatis arbitrium. Contra quæ majores nostri ad sangvinem usque certarunt, & certabunt deinceps, per gratiam Dei, quicunque auctoritate, eruditione & Zelo in Ecclesia reformata præditi sunt.

Meus Collega beatæ memoriæ vixerat citra omnẽ controversiam modestus & pacificus, & privatas injurias singulari animi constantia & tranquillitate devorare poterat; Attamen in gloria Dei asserenda & vindicanda, quæ læsa veritate læditur & violatur, Zelotes erat & æmulus: Scivit enim, de suo aliquid remitti posse salvâ justitiâ, At de veritate quæ nostra non est, sed Dei, nihil remitti posse, nisi & veritas quæ Deus est, offendatur, & veritas quæ Dei est, destruatur. Agnovit etiam illud Epiphanij in Ancorato: κείρων ἡ ἀγνωσία τῆς ἀπιστίας: *malam fidem infidelitate pejorem esse.* Videbat autem ejus semina in agro Domini disseminari, & indies serpere latiùs, putavit igitur ijs tandem occurrendum, priusquam Ecclesiam totam invadat, Ac propterea legit, relegit, expendit, quæ varijs libellis in hoc Ecclesiarum Belgicarum schismate in lucem prodierunt, Et postquam pro accurato suo judicio animadvertit, varios, attritos & damnatos olim errores, ab inferis revocari; bellum novatoribus apud se indixit, atque ex armamentario suo, hoc est, instructissima quam habebat Bibliotheca, arma colligere, adornare & producere incepit, quibus intestini hostes veritatis debellandi, ac per gratiam Dei profligandi erant: Ex hac Theca prodierunt clipei & sagittæ, quas in apertum hujus libri campum productas videtis. Veritas quidẽ asserta ac defensa est hactenus strenuè à varijs veritatis defensoribus, At purgata & vindicata, viro judicioso, nõ satis visa est à calumnijs, corruptelis & exceptionibus Rhetorũ & modernorum Philosophorũ, qui rimas

investigant

investigant & scrutantur, easque declamationibus suis, in valvarum capacitatem & hiatus expandunt. Hoc igitur egit, ut veritas vindicata, pristino nitori restitueretur, & sicuti in alijs, *posteriores curæ ferè potiores sunt*, visum est ei aliorum scriptis, hæc quasi adjicere παραλειπόμενα. Quam feliciter & doctè in ijs versatus sit, vestrũ erit judicare, non meũ prædicare, ne maledici objiciant nobis *mutuum mulos scabere*. Geritur quidem hic potissimum bellum defensivum, Sed *Defensio veritatis, offensio falsitatis est*. Dissimulari tamen non potest, occasionem proximam huic discertationi dedisse libellum ἀνώνυμον, cui titulus erat BONA FIDES SIBRANDI LUBBERTI, in quo vir celebris benèque de Ecclesijs reformatis meritus multorum mendaciorum ita accusatur, ut per ipsius latus orthodoxa vulneretur Ecclesia. Hoc igitur virum justum offendit meritò, præcipuamque ipsius operam fecit occupari in restituendis multis veterum, Recentiorum atque Lubberti ipsius Testimonijs, quæ mutilata & detorta ab adversarijs adducta sunt, ut demonstretur præstantissimos etiam patres *Chrysostomum*, *Ambrosium*, *Hieronymum*, *Augustinum* & alios in modernis controversijs à nostris stare partibus, atque adeò ex præteriti seculi Reformatoribus, magnum illud Germaniæ lumen *Philippum Melanchthonem* cujus radijs nobis oculos præstringuere multi allaborant. Deinde Ordinem Ecclesiarum Belgicarum sacræ scripturæ atque Eutaxiæ Ecclesiæ primitivæ in præcipuis capitibus consentaneum ostendit. Adversarios quidem in his controversijs habet multos & magnos atque adeò Grotium ipsum; sed confidimus per auxilium Dei, qui pusillum Davidem cum magno illo Goliatho olim in certamen productũ, de eo fecit triumphare; hunc sub-obscurum quidem

hactenus

hactenus, pium tamen & doctum suum servum, ita dixisse, atq; deinceps scripta illius directurum, ut vulnera quædam lethalia ex ijs sentiant Adversarij, & adversus inflicta ab ijs vulnera, Ecclesiæ Belgicæ aliquod medicamen & levamen. Accipite igitur Domini observandissimi è manu conservi illius, SOPINGI VESTRI fœtum posthumum, atque in eo, quo nunc nobis pariter carendum est, auctorem exosculamini, certoque vobis persvadete, majora daturum fuisse publico, si Iehovæ ita placuisset, & quoniam hic primus & ultimus liber est, quem Typis commisit, amplectimini eum tanquam PRIMITIAS ipsius messis, & TESTAMENTI instar, quod Deo per ipsum vobis legare placuit, quamvis dubitare non possum, quin vobis propter gratum auctorem gratus quoque futurus sit liber.

Quod reliquum est, Deum Optimum Maximum precor, ut vindicet Ecclesiam suam ab internis & externis hostibus, atque ex cineribus Athletarum excitet fortes veritatis propugnatores, qui ex lapidibus excitare filios Abrahæ potest, utque vulnera Israëlis curet, avertatque damnum Iosephi; Vosque diu Reipublicæ & Ecclesiæ suæ incolumes conservet.

Nomine Viduæ defuncti Collegæ

GODESCHALCVS AELTIVS Ecclesiast.

V. A. Servus Bolsw

PRÆFATIO
AD LECTOREM

PVS dubiæ, Benevole lector, imò periculosæ aleæ me aggressum multi mirantur, Rem. enim nobis dictitant non solum esse cum sex Remonstrantibus, Vorstio & Grotio, sed cum Illust. Ordinibus Hollandiæ, qui quicquid in illos scribatur, in se dictum deputare videntur, ideoque proscriptionibus, & inhibitionibus librorum nostrorum Theologorum, in universum Prophetijs Ecclesiarum, jurique & libertati earundem fibulam imponere conantur, aut saltem omnes Theologos & Pastores tam extraneos quam incolas hoc fulmine à scribendo deterrere & in confusionis odiorumque æstus conjicere. Neque in hoc tantum discrimen incurri ajunt; sed majus & gravius accedere ex Britannia. Quia enim Grotium hoc unicum intendere verè affirmant, ut gratiam sibi suisque apud Sereniss. Regem M. Brit. Reverendos Episcopos, totamque Ecclesiam Britannicam conciliet, & contra nostris Ecclesijs odia apud eosdem concitet, hoc me effecturum putant, ut amplior occasio adversarijs nostris detur, majores odiorum & invidiarum fluctus in easdem Ecclesias commovendi. Non omninò vanum est, quod illi dicunt: Talia enim usu venire posse non frustra metuendum est: Fateor igitur tempori aliquid dandum, & tempestati cedendum esse, ne quum hic objectis aggerum molibus impetum maris contundere & reprimere volumus, illic irruptione facta quæque obvia diluvio pessum dari & subrui sinamus. Verum, ut paucis ad ista respondeam, sciant velim isti omnes, me hanc causam Ecclesiæ non agere nomine Ecclesiæ, sed meo privato, ideoque, si quid inde odiorum nascatur, illud non in Ecclesiam sed in me solum derivandum video. Scripsi enim hæc primum non vulgandi, sed dogmata explorandi causâ. Ægrè mihi fuit famam D. Sibrandi istis falsitatum numeris publicè proscindi; & causam Ecclesiarum nostrarum tam nefarijs calumnijs obrui. Volui igitur privato studio examinare & mecum expendere, an hæc ita se haberent. Comparavi scripta & dicta inter se, & diligentius sepositio omni præjudicio singula ad trutinam veritatis & rectæ rationis appendi: Comperi, quod ex animo coram Domino testor, criminationes plæraque falsas, & reliquas calumniosas. Annotavi quæ alicujus pretij videbantur, ut animo memoriæq; meæ satisfacerem. Cõmunicavi cum amicis viris doctis et pijs omnia ista, cum quibus de hisce cõtroversijs

troversijs creber sermo agitabatur. Multi enim qui in hoc aut illo offendebantur, audita vera explicatione nostra, sibi satisfactum dicebant. Tandē cōtenderunt multis et eò me incitabant ut ad detegendas adversariorum fraudes, & instruendas adificandasque conscientias aliorum fratrum ea publici juris facerem. Opposui eas difficultates & pericula, de quibus initiò dixi. Responderunt in eis quidem difficultates nos non conficiendos, sed jam esse cum gemitu & dolore piorum etiam extra has provintias conjectos: sed sperare se inde nos expediendos, si Illustriss. Ordinibus Hollandiæ in veritate & sine fuco demonstretur, ipsorum Majestatem & jura à nullo nostrum unquam fuisse petita, aut unquam hoc aliquem voluisse facere. Deinde quod Regem Mag. Brit. & totam Ecclesiam Britannicam attines, non dubitare se ajunt, quin ille quod sua protestatione cavit, etiam observatum voluerit: Hoc nempe, Ecclesias Reformatæ Religionis quæ alium ordinem et modum regiminis habent, suæ libertati permittendas esse, neque quid durius ob dissensum opinionum de rebus adiaphoris de ipsis statuendum. Hac etiam declaratione ipsum Regem omnesque Episcopos contentos fore, quum audiunt à nobis nostrisque Ecclesijs suum ordinem & regimen non simpliciter, & in totum reprobari aut damnari. Utrumque à me commodè & syncerè factum esse in hoc Apologetico scripto arbitrantur. Passus sum igitur me in hanc arenam tandem pertrahi, nullo quidem humano præsidio munitum, sed solius divinæ gratiæ, veritatis & synceritatis clypeo tectum. Eventum committo Deo, qui ut istis author restitutæ in Belgio doctrinæ & regiminis Ecclesiastici fuit ante annos 40, ita jam erit solus eorundem vindex & assertor. Hoc autem ante omnia velim considerari non humanitus, sed divinitus adeoque contra omnes Satanæ, hominumque molitiones & astus Ecclesiam ex tenebris emersisse: Cum dico Ecclesiam intelligo sanam doctrinam et regimen Ecclesiæ Christi ad amussim S.S. literarum reformatæ: Divinitus etiam & non casu obtigit, ut, quod Grotius tamen malignè & odiosè exprobrat, ex Gallijs & Palatinatu Pastores initiò in ista rerum omnium ἀταξίᾳ darentur, qui certa doctrinæ & regiminis capita ex Apostolicis literis conderent & constituerent, quæ omnia antè has exortas turbas conatu summo, & successu haud impari à Pastoribus fuerunt defensa & conservata non sine consensu & approbatione summorum Magistratuum. Si qui interea, quod tamen haud pauci fecerunt, suis publicis scriptis & concionibus, pacem in istis Capitibus doctrinæ & ordinis Ecclesiarum approbatis turbare, unitatem scindere & veritatem obfuscare voluerunt, ij hactenus silentio, aut publicis apologijs editis, et pro ratione Ecclesiæ censura et auctoritate

ſoritate Magiſtratuum fuerunt notati, convicti & ſuppreſſi: Interea tamen paſſim in Eccleſia tunc & poſtea publice eadem doctrinæ & ordinis adminiſtratio ſalva & incolumis manſit, quæ initiò hic fuerat à viris doctis & pijs divinitus conſtituta. Cur igitur jam in hac adultiori et vegetiori Eccleſiæ ætate eadē hæc divina doctrina et regimen, quæ tam altas radices egerūt, non ſolū ita arroditur, ſugillatur, et variis incōmodorum, blaſphemiarum & ſcandalorum infamijs obruitur, ſed et ſi citiò et ſecurè impugnabitur adeoq; exterminabitur ex Belgio? Nihil eſt, quod de ſola Prædeſtinatione, de qua olim & nunc variatum fuit ſalva pace et unitate, litem moveri dicant. Non enim puto poſt conſtitutam ſemel et fixam veram de hoc doctrinæ capite ſententiam publicè propoſitu contra eā ita diſceptatum eſſe voce et ſcriptis priſcæ et noſtra ætate in oriente et occidente quam nunc fit. Neque etiam verum eſt, ſolam Prædeſtinationis doctrinam receptam in dubium vocari. Nam ab Auguſtini ætate, quum doctrina Prædeſtinationis primum diligentius et ſolidius quā antea excuti incipiebat, uſque ad hanc noſtram nullus hactenus comparuit qui non cum Prædeſtinatione etiam impugnavit receptam doctrinam de Peccato originis, lapſū et corruptione hominis, libero arbitrio, Juſtificatione et Perſeverantia. Revoluantur ſcripta et annales Veterum cōperies Pelagiū, Iulianum, Cæleſtinū, et reliquos in omnes iſtos errores prolapſos, ideòque à Concilijs et alijs Orthodoxis Eccleſijs notatos. Non aliter noſtra ætate Prædeſtinationis ſuum dogma Cornhartius, Wigartius, Snecanus tueri et ſuſtentare potuerūt, niſi etiam impingerent in doctrinam Eccleſiæ de alijs modo recitatis Capitibus. Quis ergò niſi oculis et mente captus non videt iam etiam à noſtris adverſarijs integrum doctrinæ Reformatæ corpus, ſeriem et συναλήθειαν luxari et turbari. Si quis tamen mihi nolit credere, legat Epitomen doctrinæ de Præcipuis Chriſtianæ Religionis Capitibus, prout ea à Iacobo Arminio concepta et à Baſilienſibus nuper antè duos annos vulgata eſt. In hac ita movētur quæſtiones de omnibus Religionis articulis, ut alij aſſeveranter affirmētur vel negentur: alij dubitanter vel affirmentur vel negentur, De S. Scriptura, De Deo ſecundum naturam conſiderato, De Deo ſecundum relationem inter perſonas conſiderato, De decretis Dei, De Prædeſtinatione, De creatione et imagine hominis, De Dominio Dei in creaturas, et præcipuè in homines, De Providentia Dei, De Peccati cauſa, De Lapſu Adami, De Peccato originis, De Chriſto, De vocatione Peccatorum ad cōmunionem cum Chriſto, et participatione bonorum ejus, De Panitētia, De Fide, De Regeneratione, De Perſeverantia Sanctorum, De certitudine

titudine salutis, De Iustificatione hominis Peccatoris, sed fidelis, coram Deo, De operibus bonis fidelium, De oratione, De infantibus fidelium quando ad baptismum offeruntur, De Cœna Domini, De Magistratu, De Ecclesia Romana. Quod si venateris, Bertij, atque adeò Vorstij De Natura & attributis Dei, De æterna Christi deitate, de ὁμοουσιότητι Filij Dei satisfactione Christi, De fide & justificatione, De meritis operum Euangelicorum, De salute Ethnicorum extra Christum, singulares opiniones & hæreses adiiciantur istis supra dictis erroribus, luce clarius evadet non solum de unico Prædestinationis negotio litigari, sed totã Ecclesiæ Reformatæ doctrinam, quatenus ea est ex Papatu & alijs priscis hæresibus reformata, peti, lacessi, & conculcari. Atque hæc de id genus dogmatis, quæ plæraque ipsis certa & definita sunt, & tanquam κυρίαι δόξαι censentur. Quam multa iam feruntur, de quibus illi aut nihil dicunt, aut utrumque dicunt. Quam crebrò utuntur hi hoc effugio, quod nihil se ponere dicant aut asseverare, sed tantum inquirere, ideòque suum assensum suspendere. Atqui hoc est quod conquerimur, gemimus & dolemus. Quam proclivis in, ex dubio aut incerto in alteram partem eamq;

Resp. ad artic. 31. pag. 135. falsam lapsus est? Imò quam facilè ea quæ iam certa & fixa habentur, aliàs in dubium vocantur & refiguntur? Dubitavit cum viveret Arminius, An peccato in mundum ingresso non fuerit aliud remedium peccatum expiandi & satisfaciendi Deo, quam per mortem filij Dei, In Epitome tit. de Christo, art. 1. An Angeli sancti iam sint beati et in bono confirmati eousque ut non possint excidere? An Patres & fideles V. Test.

Resp. ad artic. 31. pag. 112. cognitionem Christi per typos, ceremonias, & figuras adumbrati & involuti habuerint? An Christus in hoc dicto, Abrahamus voluit diem meum, denotetur ipse Isaacus filius Abrahami, qui typus Christi fuit?

113. An David intellexerit, Messiam fore Regem Spiritualem et cœlestem

114. qui bona cœlestia & æterna collaturus sit suis? hoc est. An David in-

Resp. ad art. 31. pag. 107. 110. 111. tellexerit sibi per Christum futurum conferendam æternam vitam? An animæ Patrum ante ascensum Christi fuerint in cœlis? An medius aliquis locus et status animarum inter cœlum et infernum? An, cum Deus nobis remittit peccata per Christum, non totam culpam et panam remittat, sed culpæ partem reservet, quoad panam temporalem? Id genus alia multa sunt in fidei negotio, in qua inquirere isti Pyrrhonij necessum habent. Sed quis, tandem modus et finis dubitandi, disputandi, inquirendi? Quando ventisti variare cessabunt? quando κυβεία ista desinet? Arriani singulis ferè annis teste Hilario in utroque libro ad Constantium, mutabant fidem suam. Et meritò. Non habebant enim illud

δόγμα

σθραίωμα, καὶ στύλος veritatis, cui nitebantur. In vagum diversumque pedes eorum fluctuare ac exorbitare necessum erat. August. lib. 18. de civit. cap. 52. rectè observavit, Diabolum cupivisse per hæreticos efficere, ut in Ecclesia Christi essent liberæ dissensiones, quomodo erant in Academijs philosophorum, ut sicut illæ per multas dissensiones et divisiones tandē interierunt, et ab invicē consumtæ sunt, ita fieret in Ecclesia Christi: Notetur igitur et hic apud nos idem stratagema Satanæ, et omnibus modis diligentissimè caveatur. Iamdudum inolevit hoc malum Ecclesijs, et sensim subrepsit, quod tamen initio non ita clarè omnibus patuit: Quam commodè et utiliter initiò authoritate publica opprimi potuisset? Nunquam melius quam initio istis malis occurri debet. Accidit n. his, quod medici tradūt de hecticis febribus; Siquidem initio admodum difficulter dignoscuntur, sed facillimè sanantur: postea a. cum invaluerunt et habitum novasque vires acceperunt, facilè noscuntur, sed difficillimè curantur. Quomodo a. iam curabitur hoc malum nostrum intestinum, quod per omnia membra late diffusum, omnem medicinā plane respuit? Quod etiam iam à multis fratribus medicinæ vice in commune pro conservanda veritate et unitate adfertur, repellitur, et inter venena censetur. Quæ semper bona pharmaca in similibus morbis fuerunt iudicata, ea iam sunt nostris adversarijs detestanda φαρμακεῖα, et ex malagmatis nova vulnera recrudescunt. Nihil n. ferè iam à nostris scribitur, editur, aut vulgatur, quin mox oppressum et infamiæ contumeliaque gurgitibus immersum volunt. Quapropter in tali calamitate constitutis otium videtur molesto infestoque scribendi negotio longe præferendum esse. Sed hic sequendum consilium D. Basilij duximus. cum n. is deploraret similem Ecclesiæ sui temporis statum, videbatur ipsi silentium utilius esse sermone, ideo quod hominis vox per tantos tumultus exaudiri non possit, vera n. esse Ecclesiastæ verba, quod sermones sapientum in quiete audiantur. Docet etiam se propheticum illud ruminari, Quod Prudens in illo tempore tacebit, eo quod tempus malignum est: Is tamen apud se diligenter expendens quid charitas et veritas postularent, dicit, quarendum esse non quod suum est, et superandum esse omnem temporum ac rerum difficultatem. Quemadmodum igitur (inquit) pueri in Babylonia nemine suffragante aut collaudante, ex media flamma, faciebant quod suum erat, non innixi multitudine, sed seipsis tantum cōtenti, quum tres essent, ita et nobis etiamsi nemo astipuletur, faciendum quod nostrū est, hoc est, in media densissima hostium nube spe tamen in præsidium Spiritus posita cum omni fiducia annuntiandam esse veritatem.

Basil. in fine lib de Spir. S. ad Amphilochium Iconii Episcopum, p. 405.

Quod me

Quod me syncerè præstitisse confido. Si verò quædam defectuosè hâbere videtur, dico cum eodem Basilio, nulla invidia est, quominus his quæstionibus assideamus et per interrogationes minimè contentiosas aliquid in rei hujus cognitionem in posterum addamus: Dabit enim Dominus per nos aut etiam per alios ut quæ restant suppleantur, prout scientiæ divinæ à Spiritu suppeditatur.

Quod ad receptum Ecclesiæ regimen attinet, nunquam credidi illud adversarijs nostris ita infestum & apud ipsos tantis criminationibus atque odijs obnoxium fuisse, quam nunc ex Pietate Grotij didici. Audiveram quædam de eo inter ipsos mussitari, & clam agitari. Dudum quidem expertæ sunt & sustinuerũt Ecclesiæ ante exortas has turbas in doctrina, difficiles, scandalosas, damnosasque velitationes nonnullas de jure & potestate Presbyterij, de Electionibus Pastorum, de disciplina & excommunicatione: sed non sic tam protervè & apertè totum regimen nostrum subverti, illudque in Episcopos ita iam dictos, aut potius in Magistratum solum transferri cognovi, quam nunc fit. Olim in V. Test. Ecclesiæ & politiæ res moderabatur sacerdos summus inquit Saravia, quem pontificij nostri etiam dicunt suum Romanum Papam esse ex loco Deut. 17. 8. malè depravato: Sed nunc in Novo utrique regno civili et Ecclesiastico (si Regnum liceat alterum appellare) solus præficietur Magistratus summus, Metuendum nobis prædixit Lutherus ab Antichristo politico, qui postremis seculis in locum Antichristi specialis succederet. Quid enim aliud (quæso) isti moliuntur et agitant, quam quod, utrâque functione in unum ita commixta, ut civilis absorbeat Ecclesiasticam, in medio Ecclesiæ Reformatæ jam novum civilem Antichristum erigant et stabiliant? Qui in Anglia et alibi Regem aut summum Principem Ecclesiæ etiam caput esse tradunt, ij tamen Ecclesiæ jura sua in Electionibus, censuris, Excommunicationibus, hæresium per Synodum legitimã examinationibus, et condemnationibus non eripiunt: Distinctum enim semper illi Ecclesiæ regimen ab Politiæ administratione voluerunt esse: Neque politiam in aliqua re ὑπερβάνειν, καὶ πλεονεκτεῖν Ecclesiam unquam passi sunt. Sed jam nobis nihil negotij est cum exteris Ecclesijs; In sinu nostro imò in visceribus internis nostræ hujus Ecclesiæ latent scrupuli aut contentiones. Nos enim ordinem et regimen Ecclesiarum aliarum nolumus neque debemus turbare, sicuti neque istæ nostrarũ Ecclesiarum regimen commovere aut infestare volunt. Queritur a. de illo ordine et administratione nostræ Ecclesiæ, non qua jam primum introducenda sit, sed quæ dudum cum Reformatione doctrina divinitus introducta, ea

ducta, et tot annos feliciter usurpata iam demum quassari, subrui et cō-
velli incipit. Si ex animo sentiunt, quod loquuntur, nulla adhuc causa e-
rit, cur tam virulenter et caninè in receptam doctrinam et regimē Ec-
clesiæ declamare debuerint. Hoc enim omnes isti passim loquuntur, De re-
bus adiaphoris aut exigui pretij et minus necessarijs ad salutem inter
partes tantum agi. Hactenus nostri usque ad rauim clamarunt, et sum-
mis precibus contenderunt, conscientias nostras plenissimè ex S.S. Scrip-
tura informatas, imbutas, instructas de veritate et integritate Doctri-
næ et regiminis, non esse exagitandas: Tot Synodos Nationales et Pro-
vintiales publice habitas, Confessionem, Catechesin Belgicam, Explica-
tiones eiusdem, Conciones publicas utrumque, doctrinam scil. et regi-
men usque ad hunc diem confirmasse: Consensum cum alijs Ecclesijs ex-
ternis præsertim Gallicis, plarisque Germanicis, Clivicis, Ostfrisicis cul-
tum hunc manifeste probasse. Si quis igitur iam ex Pastorum ordine
emerserint, quibus doctrina hac, et regimen publice tot annos hactenus
receptum, approbatum, propugnatum, defensum non arrideat, nostrum
nemo est, qui illorum conscientiæ dominari aut imperare velit. Habeant
et contineant apud se, quod dedisce re nolunt, et desinant usitatum ordinē
et doctrinam Ecclesiæ euellere. Non est Pastorum paucorum Ecclesiæ
impugnare, quod Ecclesiæ publicæ est, et hactenus tot annos fuit, prius-
quam illi essent Pastores. Nimis iniustum est de tam iusta possessione
Ecclesiam deijci, idque ab ijs, qui heri et hodie παρεισέδυσαν. Nolunt
novitatis, aut mutationis insimulari. Sed iam dudū eius rei ipsos iudicio
totius mundi, adeoque suæ ipsorum conscientiæ convictos esse existima-
bam. Quorsum ergo quidam ex ipsis publice iactitavit non attendendū esse
quid antea in Ecclesia doctum fuerit, sed quid deinceps doceatur? Si etiē
nihil novandum aut mutandum in publica Ecclesiæ doctrina et regimine
volunt, cur nobis de utroque litem intendunt? Cur non in ijs acquiescūt,
et nos in posterum tutos et securos faciunt? Vetus est calumnia, quod di-
cant leges patrias et iura Magistratus à nobis imminui aut cōculcari.
Sanè agre nobis est, quod hanc calumniam ab hominibus Ecclesiæ suis
fratribus iam impingi audimus, atque ita nos odijs Principum et Ma-
gistratuum Christianorum objectari. Nisi jam suis partibus addictio-
rem Magistratum haberent, vix hoc dicerent, neque tantum palpam
obtruderent. Scio nonnullos eorum ante aliquot annos aliud docuisse. Sed
sic aurę et aulæ servire solent, qui Cothurnum versant. Quam metuo
istæ recantaturos, aut suo malo tacituros esse si suas partes desererent

Magistratus

Magistratus? Sed in inclinatum parietem nollent isti recumbere. Contra autem inclamo et protestor nos istius criminis obiecti nunquam sub æquis iudicibus convinci posse. Quando n. et ubi in crimen vocatum est, Quod Electiones Pastorum et Ecclesiæ Ministrorum in Ecclesiam ipsam competere affirmatum fuit, Quod per legitimas Synodos res fidei decidi et terminari debeant, Quod Pastorum sit examinare, et ex S. literis convellere hæreses, Quod censuræ et Excommunicationes in Ecclesia per Pastores et Presbyteros ipsorum συνέδρους fieri debeant, Breviter, Quod dicant Ecclesiæ ordinem et regimen à Politico distinctum esse. Si regerant sic attolli nimis Ecclesiæ potestatem, et Magistratus auctoritatem deprimi, iterum quæro, Quis ille, cui harmoniam istam Magistratus Christiani et Ecclesiæ sic conturbare et discerpere volupe fuit. Damus sanè Reformatis Magistratibus, quod suis Regibus Ecclesia vet. populi et novi dedit. et quod ipsi postularunt. Docemus n. eos esse Capita in Politia et Ecclesia, sed diverso modo. Ecclesiæ Rectores sunt, quatenus eam divinitus ex verbo Dei reformari, eiusque totum ordinem et regimen restitui curant, restitutum, tuentur, sartum tectumque conservant, ita tamen ut suam fidem et vitam in Ecclesia verbo Dei regẽdam subiiciant. Si digna vox Regibus, se legibus alligatum esse profiteri: quãto dignior Regibus hæc vox, se verbo Dei et legibus Apostololicis alligatum profiteri. Habent illi ius indicendi Synodos, inque ijs præsidendi, omniaque Ecclesiæ negotia sua authoritate rectè dirigendi, iudicandi, et determinandi, leges publice promulgandi et sanciendi. Nemo etiam ad Ministerium ipsis inscijs et invitis promoveri aut dimoveri ab eo debet. Vellem etiam censuras et Excommunicationes Ecclesiæ quantum fieri potest eorum approbatione exerceri. In summa omnem supremam architectonicam curam cum omnibus nostris Doctoribus lubens meritoque ipsis assignatam et defensam volumus. Quid amplius desiderant nostri? Si putent illis plura deberi, clarè hoc sigillatim et θετικῶς edisserant ac probent. At cur sic etiam non ipsam Ecclesiam et fidem Ecclesiæ ex ipsorum iure suspendunt? Sane quod Ecclesia Christi sit domus Dei et columna stabilimentumque veritatis, Quod in ea verbo Dei, sacramentis. et disciplinæ legitimo usu conscientiæ hominum ad salutem æternam ædificentur, aut ad resipiscentiam percellantur, hoc utique non est iuris positivi, aut humani. Hoc scio, ista omnia non posse publicè in Ecclesia exerceri, nisi sub præsidio et auctoritate Magistratus: Ideò tamen ius Ecclesiæ, & functionis in eâ forma non mutatur, hoc est, ex divino non evadit humanum; Quis unquam dixit, munia ista Ecclesiæ eiusdem

sia ejusdem originis, naturæ & effectus esse cum alijs muneribus politiæ! Quod isti in Politia agunt, hoc agunt à suis Magistratibus; Quod illi in Ecclesia agunt, hoc agunt à Christo per Magistratus. Objiciunt exẽpla Principum, qui aliter censuerunt & fecerunt. Sed Quæstio non est facti, sed juris. Non tamen reiicio exempla piorum Imperatorum et Principũ Christianorum, qui verbo et facto ostenderunt, quid iam nostri Reges et Magistratus Reformatarum Ecclesiarum de Ecclesia eiusque iure & potestate censere & quod suum est, pro ipsa agere debeant. Sed illi videntur τῆς ἀνθολκῆς τῇ ἀμετρίᾳ διαμαρτεῖν τοῦ μέσου, quod dicit Basilius Epist. ad Maximum. Quidquid tamen sit de iure Principum, hoc iam in Belgio nostro quæritur, an ordo receptus & tot annos stabilitus hic mutari debeat? Certè Ecclesiæ nostræ benè cum Magistratu conveniret nisi hi ὀφθαλμόδουλοι assentatores συζυγίαν istam nobis invidissent & interturbassent. Non n. aliter plausum suis καινοδοξίαις movere & de confessa veritate, & orthodoxia devicta triumphare potuerunt, nisi prius, aut una cum sparsis istis opinionibus doctrinæ, semina ista discordiæ animis Procerum iniecissent. Sed bene habet: Nondum obtinuerunt, quod volunt. Ecclesia non regitur solis humanis præsidijs. Spero animos Procerum nostrorum, qui hactenus ipsorum tribunitijs concionibus, κολακειτικοῖς τε καὶ κυβεντικοῖς scriptis exagitati fuerunt, tandem divina manu sedatum iri, & apud se expensuros, quid Deo, paci, Ecclesiæ, totiq; adeò doctrinæ orthodoxæ debeãt; ut pro sua ista αὐτοκρατορικῇ potestate, ipsis divinitus cõcessa, Doctrinã & regimen Ecclesiæ, cui iã annos 40. innutriti, porrò velint enutrire fovere & fulcire contra omnes qui aliquo veneno inficere aut extinguere moliuntur. Hoc saltem noverint omnes Politici, non temerè movenda etiam mala suo loco, multo minus adiaphora, quæ diu bene posita fuerunt, Non tamen nostri adversarij eo confidentiæ prorumpunt, ut quæ nostri in Ecclesia docent et defendunt, mala aperte profiteri audeant. Tolerandos enim nos & nostra protendunt. Etsi tamen non videam, qua conscientiâ se tolerare posse dicant, quæ tot blasphemijs, mendacijs, injurijs & contumelijs in Deum, Magistratũ et omnis ordinis homines scatent. Sed sic solent id genus homines χειρὶ μὲν μιᾷ παίειν, ἑτέρᾳ δὲ ἀλείφειν, quod Epiphanius pag. 316. olim dixit de Arrianis. Dicunt se tolerare, sed reipsa oderunt. Verum est quod Gregorius homil. 7. in Ezech. dicit: Patientia vera amat quem portat (1. tolerat.) Nam tolerasse, sed odisse non est virtus mansuetudinis, sed velamentum furoris. Accipimus tamen, quod verbo saltem dicant, nostra esse ex genere tolerabilium, Cur igitur Proceribus nostris ea exturbare aut subver-

***

aut subvertere unquam per somnium in mentem venire potest? Notum est illud Ulpiani de Con. Princ. in Pandect. In rebus novis constituendis evidens esse utilitas debet, ut recedatur ab eo iure, quod iam diu æquum visum est. Quæ autem hic evidens utilitas apparet in fide & ordine Ecclesiæ innovando? Iam autem nostra doctrina cum primis auspicijs libertatis & reformationis publicæ tot annos insedit, aut potius altius infixa est, quam ut evelli debeat. In tot Synodis Nationalibus & Provintionalibus in quibus præsederunt Ordines nostri ita cõfirmata, ut ne ullo modo iam post liminio in dubium vocari debeat. Marcianus lege. Nemo. eod. de summa Trinit. sancivit, Iniuriam facere iudicio Reverendissimarum Synodorum, si quis semel iudicata ac rectè disposita revolvere & publicè disputare de iis contendit. Impiè igitur & vanè hoc dictum ab Arminio, Pontificiorum insistere nos moribus, si dicamus in controversiam trahi non posse, quod semel ab Ecclesia est diiudicatum. Quam præposterum n. & perversum facinus erit, si doctrina et regimen Ecclesiæ à Deo prius constitutum admittatur, & post 40. annos primum disputabitur de veritate et certitudine eorum? Imo si singulis annis in Synodis auctoritas & firmitas religionis de novo convellatur, aut instar lini et lanæ denuò quasi carminata magis purius, subtilius & exilius detergantur & purgentur à sordibus. Thucydides hoc suis civibus Athenienſibus vitio vertit, quod sint ὑπερόπται τῆς ἐωθότος, καὶ δῆλοι ἀτόπων. Rectè enim Melanchthon hanc mobilitatem inesse animis hominum ut facilè præsentia fastidiant & nova suspiciant & appetant. Neque est quod nos hoc pacto Pontificijs assimulent, qui veteres limites in Ecclesia non esse movendos aut turbandos statuunt. Falso n. hoc isti de suis novis traditionũ, superstitionũ, & idololatriarum cumulis contendunt. Doctrina autem nostræ capita & Ecclesiarum nostrarum ordo non sunt figmenta cerebri humani, hoc est, heri aut nudiustertius à Calvino, Luthero, Melanchthone aliisque excogitata, sed ex SS. Literis hausta, atque hactenus eo nomine contra pontificios & alios turbatores Ecclesiæ defensa. Quo iure et ratione, quo fine et bono ista omnia sic bene posita, iam ita temerè movebuntur, & innovabuntur? (hactenus frater meus piæ memoriæ qui ob mortem præmaturam præfationem hanc absolvere non potuit) Habes hic Candide Lector, rationes et causas ob quas frater meus in hanc arenam provocatus; et præcipuè tres memorantur. 1ª fama celeberrimi Doctoris S. Lubberti, 2ª Doctrina orthodoxa Ecclesiarum Reformatarum: 3ª, earum regimen. Malè ipsum habuit existimationi istius viri, mordacibus

oribus sermonibus, quam ut Christianæ modestiæ conveniant, publicè derogari; peius, εὐταξίαν καὶ οἰκοδομὴν Ecclesiarum nostrarum hactenus tam benè constitutam convelli; pessimè cum regimine etiam doctrinam ipsam luxari. Quibus expensis cuivis ingenuo patet fratrem meum causas habuisse gravissimas stringendi calamum in eos qui nobis hanc molestiam suâ καινοδοξίᾳ creant. Quod igitur reliquum est, obnixè rogamus æquum lectorem, ut hoc scriptum fratris Apologeticum æqui bonique consulat. In eo enim vix aliquid obeliscis aut asteriscis dignum plurimi cordati arbitrantur: et ne habeant adversarij quod conquerantur iniuriam sibi fieri, visum est amicis, Ipsam BONAM FIDEM Anonymi illius ad calcem huius libri adiicere, ut eum cum hac fratris Apologia quilibet conferre possit, et de re tota melius iudicare. Quod ad errata Typographica, quæ videbantur alicuius momenti et oculis nostris inter legendum obversabantur ad finem libri subiecimus, cætera Lectori benigno committimus: In cuius etiam gratiam Indicem rerum et verborum, quæ in hoc libro recensentur, memorabilium, confecimus, ut scilicet eo facilius et minori operâ cuncta vel unico intuitu possit indagare; addita hac cautione, si quid in eo quoad sensum aut aliter forte peccatum, hoc nobis deputatum velle.

TV utere & fruere his Christiane Lector ad nominis divini gloriam & Ecclesiæ ædificationem, & unà nobiscum precare Deum Opt. Max. ut ultimis hisce malignis temporibus, in quibus magno cum Ecclesiæ dispendio à Novatoribus quibusdam dentatæ seruntur Chartæ, Ecclesiæ suæ misereatur eamque adversus quævis antiqui illius Draconis ὀχυρώματα clementer tueatur.

A. SOPINGIVS.

AMEN.

Reverendo

SVMMA RERVM.

I°. *Abstergunturmultæ calumniæ falsò Clarissimo illi viro Sibrando Lubberto impactæ.*

II°. *Articuli quinque in Hollandia controversi ex Philippo Melanchthone & Patribus excutiuntur. Quorum etiam loca à Grotio in Pietate sua allegata, à corruptelis vindicantur.*

III°. *Ordo Ecclesiarum Belgicarum contra Grotium & alios confirmatur.*

IOHANNIS BOGERMANNI

Querela

In obitum viri optimi & doctissimi, Symmystæ & Amici suavissimi,

GODEFRIDI SOPINGII

Ecclesiæ BOLSVARDIANAE, dum vixit, Pastoris fidelissimi.

SIccine, vir Domini, medio in certamine victor
Ad celsi properas agmina sancta poli?
Siccine currenteis unâ præcurris, & omnes
Mœstos à tergo deseris, heu, socios?
Siccine pertæsus terræ ad perlucida cæli
Sanctorum raperis sancta, & anhelus abis?
Sic frater fratres & amicus linquis amicos?
Siccine Symmystas? Siccine Pastor oves?
Siccine grate comes laterique accommode nostro
Ad metam cursu currere præpropero?
Siccine dulcessit tibi nunc cœleste brabeum?
Et capis in nostris gaudia nunc lachrymis?
Scilicet hoc summus decrevit IOVA brabeutes,
Qui tribuit sanctæ præmia militiæ.
Huic præmaturam placuit conferre quietem
Athletæ fido. Num placuisse sat est?
Huic placuisse sat est, qui, quod dedit optimus, ausert
Cum vult. Nec fas est quærere cur faciat?
Pastorum florem dedit hunc, & abstulit: illud
Magna tulit bonitas, hoc tulit ira Dei.
Sic tulit ira Dei, qui ingratum ulciscitur orbem,
Et sua paulatim lumina diminuit.
At tu summe gregis Custos & Pastor IESV
FRISI ACO clemens parce, precor, populo.
Respice dilectam & precioso sanguine partam
Gentem: pelle lupos, pasce & ovile tuum.
Tu verò, cujus largo non tristia fletu
Nec Lacrymis redimi funera iam poterunt,

Æthereâ

Æthereâ bone PACE DEI GODSFREDE fruaris,
Cui vivo PACEM quærere Nectar erat.
Consilium, Candor, sermonis grata venustas,
Iustificans verâ cum pietate fides,
Curæ, sedulitas, et rara modestia docti
Certabant animam condecorare viri.
Iure igitur fato functum BOLSVARDIA luxit,
Et querulos iunxit FRISIA tota sonos.
Iamque novi prodit liber hic nova causa doloris,
Quod dignum ætatem vivere Nestoream
Mors inopina tulit, primoque hoc sidus in ortu
Occidit: ut pulcher flosculus exit, abit.
Ast ubi iusta datur peracerbi causa doloris,
Undeque nunc dirum FRISIA vulnus habes;
Inde potes sævum rursus lenire dolorem,
Ut, quod vulnus erat, mox medicina siet.
Quem modo sustulerat manibus mors invida coecis
En splendore novo iam redivivus adest.
Qui sibi, quique Deo cœlesti in luce beatus
Vivit, et hunc nobis vivere in orbe vides.
Nec tibi iam soli BOLSVARDIA, FRISIA, vivit,
Verum sacratus qua patet orbis abit.
Et vivet seræ, nisi fallor, posteritati.
Siccine ter vivis, qui modo functus eras?

Esa. 57. 1.

Iustus perit, & nemo homo reponit in animo: homines, inquam, benigni recipiuntur nemine advertẽte, ante adventum ipsius mali recipi justum; ingredi pacem, requiescere in cubilibus suis; quisquis ambuat in æquitate sua.

INgenti mæſtitiâ replevit ac veluti conſtrinxit cor meum luctuoſa tua Epiſtola, quæ mihi nunciavit mortem (ipſi verò veræ illius, id eſt, glorioſæ vitæ initium & εἴσοδον τῶν ἁγίων) Chariſſimi Symmyſtæ D. Sopingii. Sic iuſtus perit & nemo reponit in animo: homines benigni recipiuntur nemine advertēte, ante adventum ipſius mali recipi iuſtum, ingredi pacem, tequieſcere in cubilibus ſuis; quiſquis ambulat in æquitate ſuâ, ut inquit dominus apud Propher. Signum eſt irati Dei, quē ſupplex veneror, ut miſereatur Eccleſiæ ſuæ turbulento hoc ſeculo. Doleo equidem vicem Eccleſiæ veſtræ, veſtræ? imo univerſæ Friſicæ, quæ orbata eſt Paſtore fidiſſimo, pacis καὶ φιλαδελφίας ſtudioſiſſimo, orthodoxiæ &, ſanorum fidei ſermonum tenaciſſimo, propugnatore cōſtantiſſ. Profuit ille Eccleſiis noſtris fide & prudentiâ, dum vixit, plurimum, & ſi Deo viſum, operâ eius cum ſtructu & gaudio ſibi perutilem ſenſiſſent Eccleſiæ Belgicæ. Plus habuit in receſſu, quam in fronte promiſit. Viuet tamen & loquetur poſt mortem in domo Domini. Evocatus eſt in Academiam Eccleſiæ triumphantis, quandoquidem ut militanti Academiæ ſuâ operâ commodaret non permiſit affectus erga ipſum veſtri fervor. Nec eſt quod ipſi conſummationem hanc & βραβεῖον cœleſte inviideamus, ad quod omnes certatim cōtendimus, mœſti tamen, quod à latere noſtro ſit avulſus & non in ſocium conſpiciamus agonis, ſed orbitate conſternati præcurſorē ac præreptorē palmæ ſequamur langvidiores. Ieſus verò Chriſtus Caput & Rex Eccleſiæ ſuæ ſoluſq; ἀρχιποίμην clemēter reſpiciat Eccleſiam veſtram, &, non dico alterum Sopingium, (quod optare quidem liceat ſed non ſperare) attamen bonum & fidum paciſque amantem vobis largiatur Miniſtrum. Quod ſupereſt Cl. D. SICCAMA, viduam tibi, teque & tuos Patri cœleſti commendo.

Raptim. Kal. Decemb. 1615.

Dignitatis T.

Studioſiſſ.

I. BOGERMANNVS.

Lachrymæ ad funus incõparabilis viri GODEFRIDI SOPINGII πῦ μακαρίτυ fusæ.

O fati veteris dura necessitas!
Implacabilis & dura necessitas!
Quid nos ferre jubes? siccine surripi
Dignum laude virum? siccine surripi?
Exclamem meritò; dura necessitas,
Quæ tantum subitò surripuit virum!
Quam mens exiguo in corpore perspicax,
Felix atque potens omnia perpeti,
Quam mite ingenium & quam placidum caput
Terras deseruit: sed sine morte: Nam
Dignum laude virum Musa vetat mori.
Hujus vita duplex, & duplici in loco;
Incælis animæ, nominis in solo.
Ergo perdidimus corporeum frui,
Sed non perdidimus, credo, SOPINGIVM.
Nam vivunt, licet haud aspiciant diem,
Scripta illustria mox exhibitura se.
De Chorographia audivimus Attica
Imperfecto opere, inque Hesychium Notis.
Pagellas etiam vidimus illius
Contra schismaticos τῆς διαλέξεως.
Nec nobis dubium est, quin lat eant adhuc
Plures ingenij fertilis Orphani,
Tutelam nisi quorum, ut pater, Aelius
Collega, aut alius suscipiat probè,
Æquè ut corporeum perdidimus frui,
Sic illis etiam turpe carebimus:
Verum nos bona habet spes aliter fore,
Vt quicquid tulerit dura necessitas,
Hoc nobis facilè fama redintegret.

Numeros fecit

FREDERICVS STELLINGWERF ICtus
& Conrector Scholæ Bolsvardiensis.

In funus & librum posthumum Celeberrimi Viri

D. GODEFRIDI SOPINGII.

Ille ego, cui nuper mæsto lachrymabile carmen
Teutona Musa dabat modulari fistula agresti,
Quâ tua Sopingi deflerem tristia tristis,
Funera per totam Frisiæ notissima terram.
Rursus ad ãtiquas, vix notas, provocor artes,
Imo ferè oblitas hoc longo tempore Musas
Sollicitare novem, ludentes vertice in alto
Pernassi montis, dictantes carmina alumnis
Ingeniosa suis, & torrida labra rigantes.
(Vt mos est illis:) fluidis Aganippidos undis.
Sed frustra: hoc faciat Veneris qui ludit amores,
Aut quibus est animus cantare horrentia Martis
Prælia, vel quorum mens gestat adire labores
Ruricolæ, aut nautæ navi currentis ad Indos.
Ast ego Sopingi, sterili contentus avenâ,
Nunc tantum volui digito monstrare labores
Doctiloquos vestros tua tristia fata sequentes.
Heus opus eximium! nec non laudabile multis!
Nec, mihi si centũ Deus ora sonantia linguis,

Ingeniumque capax totumq; Helicona dedisset
Persequerer fructus, quos cõtinet hicce libellus
Hic mihi laudandus, tollẽdus et æthera supra:
Ast agat hoc alius, cui sunt in carmine vires,
Quisquis & excellit pangendi carminis arte.
Ast ego fatidicos promens de pectore versus
Luctibus & dignos nostris, & quæstibus aptos
Ore tonans tragico, Godefridi funera plango.
Atque tuas deploro vices, O docte libelle!
Patre orbate tuo, quis propellare caninos
Debet latratus? quis perfida tela retondet?
Te quibus allatrans atq. invida turba lacessẽt
Verum age ne timeas lucem videndo, refelles
Ipse satis tumidos, & sesquipedalia verba,
Queis nõ robor inest: nec habet victoria laudẽ.
Si quis dira movet certamina morte perẽpto.
Tutus es ergo satis, nec defensore carebis,
Si quẽ desideres, et habet tunc arma Sibrãdus:
(Nã sua res agitur) nec Bogermãnus inarmis
Defugiet pugnas, & debellare Sophistas.
Sunt & adhuc alij, quorũ nunc nomina mitto,
Nũc quibus ingenium, nec deficit ipsa volũtas
Tela, adversa tibi, iactata retundere. Quare
Victor eris nobis, & tutus ab hoste manebis.

IOANNES HICHTVMMANNVS
Ecclesiastes Neolandinus,

In Obitum & Librum posthumum
Doctissimi ac præstantissimi Viri,

D. GODEFRIDI SOPINGII.

PHœnicem genuit *Phœnix* SOPINGIVS, annon
Miraris? neque enim *vivit* uterque minus.
Mira legis, sed *vera* legis, num *mortuus* ergo?
Mortuus est, sed nec *mortuus*, ecce patet.
Cum *mortalis* erat *Mors* sub sua Iura vocabat
HVNC, ILLVM in terris *vivere Fama* docet.
In *Phœnice* suo *vivit* SOPINGIVS, extat
Pars meliorque *Polo* pars superestque *Solo*.
Omne quod ex *terra* est in *terram terra* resolvit
Et redit in *cineres* quod *cinis* ante fuit.
ILLE sed in terris annoso tempore *vivet*,
Quem rigidæ *morti* cedere *vita* vetat.
ILLE sub ora *virûm* nec non super *astra* volabit
Donec Sol rutilo mittet ab axe diem.
HIC lingua & calamo sinuosa sophismata pellens,
HIC monstrans alijs quæ sit ad astra viam:
HIC subiens, Christi sincerum dogma tuendo,
Innumeras *curas* nocte dieque simul.
Omnibus ereptus *curis* mortalibus, atque
Gaudia perpetuæ certa quietis habens.
Incolit æthereas in cœli sedibus arces,
Luctus ibi *fructus*, *lachryma risus* erit.
HVIVS ab exemplo quisquis, disce, ut *moriaris*,
Vivere; nam nihil *hæc*, *vita futura* juvat.

SVFFRIDVS SAARDAM

Lachrymæ Divis Manibus Doctissimi
pijssimique Viri
D. GODEFRIDI SOPINGII effusæ

O pars soli exilis! loci ô scrobs pessima
Parvi, quot hostes unicum tibi dedit
Corpusculum, immaturo ademptum funere
Multis, tibi qui lachrymis usque imminent
Suis, nigras ad mortis umbras optimum
Pacis qui Atlantem, profuit qui plurimis,
Sic plurimis qui prosit, heu inutili
Planè sinu absôrpsti! quot & quantas simul
Vorago virtutes! quot una hæc abstulit
Specus modestioris ingenî optimas
Dotes! quid omnium spei miserrima.
Hæc urna non subduxit! Ô Orci mali
Leges malas, injurias, immobiles!
Sic falcis impotens bonos, malos simul
Mors amputat. quid? falcis, ah, tam contumax
Ut sæpe ineptis parcat, aptos avocet.
Ut pessimè terræ nefanda pondera
Pertranseat; contrà quod excelso loco
Scintillat optima face. falce pessima
Deturbet: alto quodque vertice
Promittit omnia, hæc ferox voragine
Absorbet una. Ferreo mentem tamen
Hoc numinis fato minorem subjice
Viator, ac debes quod hisce Manibus,
Assiste, funde lachrymam, sortem tuam
Hic disce, discas ut mori, parsum viro
Dum non vides pijssimo; ut doctus pij
In morte mortem, mortuus vivas pius.

H. Antonides Junior.

Reverendo & citra controversiam
docto viro,

GODEFREDO SOPINGIO,
præconi verbi Dei, de BOLSWERDIANA
& vicinis ECCLESIIS benè merito
cum lachrymis posuit

SIBRANDUS LUBBERTUS.

QVi modo pascebat populos, & voce regebat
Sanctas, quas CHRISTVS morte redemit, oves,
Et suaves Euangelii miscebat odores
Pinguibus in pratis, FRISIA culta, tuis.
Nunc est decurso spatio translatus in illum,
Quem sibi poscebat voce fidéque, locum.
Hei mihi quas clades, quā magna incōmoda GENTI
Nostræ SOPINGI fata suprema ferunt!
Indigenas, BOLSVVERDA, tuos, cum vita maneret,
Instruxit vera relligione Dei.
Florentem PATRIAM SOPHIA decoravit & ARTE,
BOLSVVERDAMQVE suis dotibus excoluit.
Quin etiam mira nectentes fraude Sophistas
Errorum technas multiplicesque dolos,
Non metuens damnum, nec acerba pericula vitæ
Reppulit, & palmam victor ab hoste tulit.
His moti PROCERES statuunt, ut sede relicta,
FRANAGRIAE doctæ mœnia amœna petat,
Et renovet fractas facundæ PALLADIS arces,
Ducat & Aonias in nova templa Deas:
Sed renuit sanctum, sibi quem sociaverat olim
Fœdere perpetuo, deseruisse gregem.
Sic sibi quam semel imposuit, moriendo relinquit
Personam, & tristi funere raptus obit.

Manibus τῦ μακαρίτᾶ G. Sopingij

Μέλλω πιέζᾳς πέμψομαι, ΣΟΠΙΓΓΙΕ,
Ὠδὴν λυπηρῶ, αἰ, ἰ τῦτο πράγματος;
Τοῖς βίᾳ κόρος σ' ἐπῆρεν, ὥστε νῦν
Ἡμᾶς λιπεῖν, τέως, τὴν τ' Ἐκκλησίαν,
Ἐπισάτης ἧς ἤδη πλείονας χρόνους;
Ἀτρήστειαν μὲν ἴμερος λῆν δ', ἕως
Ἔστ' ἰσχύς, οἷς χρὶς ὄντ' ἀσχυνοῦσιν ἐρετμός.
Ἰμεροῦμεθ' ἡμᾶς, ὅσοι ζώοι ἔτι
Ὑπάρχομεν λέως ἑτῶροι πλείονες.
Ἀτὰρ τί δή; πᾶσι δεῖ, τὸ μὴ οἷόν τε φυγεῖν.
Ἀνάγκης ἀνάγκ' ἡμῖν ἰδοὺ σ' ὑφήρπασε,
Οἴσσα πᾶσιν ὧρ' ὅτ' αὐτὴ ἔρχεται.
Ἐπεὶ δὲ δὴ νῦν εἰς χόρον τῶν οὐρανιῶν
Εἰσῆλθες, οὐ φθονοῦμεν αὐτὴν σοί χαρᾶς.
Ἀπόλαυε τῆς δ', ἐνθένδ' ἕως ἡμᾶς θεὸς
Καλέσειεν, ἔσαι δ' ὁμῦ χαρ' ἀφνεός.

Idem Latinè.

TEN' ut, SOPINGI, luctuoso carmine
Nunc prosequar, Cogis? quid, ah, quid hoc rei?
Adeone vitæ taditum tu' est, uti
Nos deseras, Tuos, Tuamque Ecclesiam,
Cui præfuisti tot per annos sedule?
Desiderabit illa te, quamdiu erunt,
Quos non pudebit Christiani Nominis.
Desiderabimusque Nos, quotquot sumus
Superstites adhuc amici plurimi.
At quid? ferendum, quod potis haud mutarier.
Fatalis en te surpuit Necessitas,
Ferenda cunctis, horu' ub' ist' advenerit.
Et quando nunc in Cælitum Collegium
Receptus es, non invidemus gaudium:
Quo fruere, donic' hinc Deus nos evocet;
Simulque tecum gaudeamus perpetim.

SIXTVS ARCERIVS
Hipp. & Græcæ linguæ Professor.

D. Opt. Max. S.

Et Memoriæ Reverendi atque Doctiſs. Viri

D. GODEFRIDI SOPINGII

Eccleſiaſticæ, cum vivere deſijt, Bolſverdiani.

ERgo jacet fato properante SOPINGIVS? ergo
Buccina DIVINI NOMINIS illa tacet?
Ite, quibus mos eſt ipſi convitia COELO
Dicere, quo magnus tempore civis obit:
Ite, inquam, fatui, vatum genus, ite profani,
Et mecum MAGNI diſcite jura DEI.
Diſcite, quod varijs VITAE Experientia rebus,
Quodque docet atræ flebilis hora NECIS:
Rebus in humanis tenui pendentia filo
Omnia, NIL que HOMINI PERPETVVM ESSE DATVM.
Ille licet cunctas ætate ineunte per artes
Iverit, atque annos iverit ante ſuos:
Dum gerit impubes animum, curaſque viriles,
Exſuperatque puer pectore, & ore ſenes.
Ille licet contrà jam tunc, cum vivere poſſet
Inter HONORATOS, nomina magna, VIROS
Omnia maluerit patrio tranſcribere COELO,
Seque DEI totum duxerit eſſe GREGIS:
Hunc paſcens, atq; ante ipſam PATRIAM QVE PATREMq;
(Ipſe viciſſim omni cultus honore) colens:
Iamque iterum ſpernens ACADEMICA pulpita, & ipſas
Aonias, olim numina magna, DEAS.
Mors tamen & FATVM FATO QVE potentior omni
MAGNE DEVS ſinitis PERPETVVM ESSE NIHIL,
PERPETVVM ESSE SOLO. Nam cuncta perennia COELO,

Sed

Sed soli, nisi sit MENTIS *imago* DEI.
Fallor an hac causa est? cur te, VENERANDE SOPINGI,
Sûrpuerit nostris usibus ipse DEVS.
Scilicet ut magno magnum TV PIGNVS *Olympo*
Redditus æternis jam fruere bonis.
Credo, nec invideo, nec sit fas addere verbum,
Hoc fas sit tantum dicere, FATA VOLUNT.
Ecce jacet fato properante SOPINGIVS: *ecce*
Buccina DIVINI NOMINIS *illa tacet.*

Scripsi, de me nihil, nisi qua de Ecclesia, merito, sed tamen meritissimo

Th. LEONTIVS Professor Eloquentiæ.

Franequeræ Ipsis Id. Febr. Anno 1616.

RESPONSIO

Ad Bonam Fidem

D. SIBRANDI LVBBERTI

Ab Anonymo quodam nuper ex ipsius responsione ad Pietatem D. GROTII malitiosè vellicatam.

SI gentibus olim hanc formulam dictavit natura & ratio, ut boni inter se benè agerent, quanto magis & hoc Christianis præscribit fidei & charitatis Canon, ut Christiani inter se etiam Christianè agant. Quam longè a, absunt ab utroque omnes ii, qui humanitatis & caritatis limites transgressi, fratres suos multorum criminum reos sine manifestis documẽtis, & argumentis palam convitijs differunt, & per ora omnium traducunt? Sed hoc multò fædiùs, humanæque naturæ & Christianæ fidei adversum est, quod corrasis hinc inde siniſtris interpretationibus, praviſque contorsionibus, & levibus suspicionũ occasiunculis in unum cumulum congestis eorundem bonæ fidei coram summis Potestatibus, & in facie totius Ecclesiæ procaciter insultant & illudunt. Sed hoc longè turpissimum, & Christiano homine indignum, quod hac ratione per eorundem latera ὀρθοδοξίαν & consensum Religionis Reformatæ, divinumque regimen & ordinem Ecclesiæ ante annos quadraginta in Belgio divina manu constitutum, & feliciter firmiterque, ac summa cum ædificatione hactenus usurpatum, & stabilitum petere, impugnare & convellere moliantur. Talem se maximam partem præbuit Anonymus hic, quisquis ille sit, qui ὑπεραπιστὴς D. Grotii audire vult: Nam quum multa in Responsione D. Sibrandi ad Pietatem Grotii, & in aliis eius scriptis benè & Christianè ex præscripta æquitatis & caritatis norma interpretari debuisset, ille odii & malevolentiæ stimulis, nescio unde & qua

causa in D. Sibrandum incitatus plæraque non solum siniſtrè accepit & contorsit, sed & graviſſimorum quinque criminum mole ipsum insuper adobruere in hoc suo libello, quem *Bonam fidem* inscripsit, omnium virium contentione & studio sategit.

Primum est, Quod neget dicta, quæ dixit.
Alterum, Quod alteri nec dicta, nec cogitata impingit.
Tertium, Quod errata sua mordicus tueatur.
Quartum, Quod aliena benè dicta depravet.
Quintum, Quod mulièbriter convitietur.

Atrocia sanè sunt & detestanda hæc omnia, quæ ad unum crimen FALSI revocari possunt, & quorum singula ita sunt comparata, ut humanis & divinis legibus coërceri mereantur, Verumenimverò si D. Sibrandus, qualem hic Anonymus in scenā producit, omnium istorum criminum est reus, cur non singula ista crimina distincte liquidis & veris testimoniis demonstrat? Subiecit hic quidē oculis παραλλήλως, aut potius ἀντιθετικῶς octoginta octo numeros ex ipsius ultima Responsione ad Pietatem D. Grotii, unde ista, quæ hic in frontispicio proposuit crimina, vago ordine ostendere conatur. Sed cur non singula κατὰ μέρη demonstrat, & ad suum caput revocat? Non certandum sane in hac tam gravi causa solo & vago verborum numero, sed rerum pondere & veritate. Credo ipsum metuisse, ut si hoc tentasset, fuco detecto non crimina D. Sibrandi, sed sua ostensurus fuisset. Atque hanc suspicor esse causam, cur suppresso suo nomine hic Anonymus latere maluerit. Qui enim in malo ambulat, lucem odit; tenebræ etiam solent omnem pudorem exstinguere.

Ad tot igitur, ac tanta crimina, quæ initio hîc ordine recensentur, non debebat adeo confusa allegatio, aut nuda narratio adhiberi; sed puto hoc ipsum indicasse satis esse, si singulis numeris suis crimen falsi, quo omnia ista quinque, uti dixi, continentur, præfigat. Maioris confidentiæ, & temeritatis est, quod in titulo huius scripti DEMONSTRATA esse dicit. Nimis fastuosè, & thrasonicè, uti assolet fieri, præsertim ab iis, qui nil nisi verba dant. Qualis demonstratio vera debeat esse, nondum puto ipsum recte didicisse. *Ex* principiis necessariis,

riis, & veris surgit demonstratio. Verum ubi hic principia integra, immota, & vera apparent? Qui ex Pyrrhonis schola olim erant, nullam admittebant demonstrationem. Quomodo autem hic Ζητητικὸς demonstrationem in subsidium vocare ausit, non video, nisi forte in ijs, quæ veritatem fidei Christianæ concernũt, vagis istis & incertis opinionum ventis κλυδωνίζεσθαι καὶ περιφέρεσθαι liceat, sed in ijs, quæ alterius famæ & fidei lædendæ intentantur, stabiles, & quasi ἀποδεικτικοὺς esse oporteat. Sed ut aperiam, de qua demonstratione loquatur, putat sufficere, si ἀντιθέσεις istas hic ponat, & oculis lectoris demonstret per numeros. Demonstratio Arithmetica est, bis quadraginta quatuor esse octoginta octo. Bella igitur & solida demonstratio, quæ ex hoc numero resultat. Mirum est hunc hominem solertem, intra istum numerum suas antitheses concluisse, & non ulterius usq; ad nonaginta novem perrexisse. Hic enim terminus fuit Vorstio, qui alias nimis petulanter insultavit D. Sibrando. Sed defectu probationum debet iam iste numerus coarctari, ne malè huic cedat prolixum, & fusum istud convitiandi studiũ καθ' ἀριθμὸν, quod in isto maiori numero vidit cessisse Vorstio. Solatur etiam quod numeros vocet capita ista, vel articulos, in quos incurrit. Numeri autem designare solent nomina, & non vires. Quidquid sit, hoc apparet istos homines incipere iam sibi diffidere, & minus negotij facere alijs, utpote qui ad incitas centenarias redacti iam regrediendo in octoginta octo tantum subsistunt. Felicem autem D. Sibrandum, cui undecim convitijs & contumelijs iam parcitum fuit. Silentio & patientiâ hæc talia convincere satius multis videtur, quam iteratis responsionibus fovere, & ad novos conflictus prolectare. Sed indignitas huius facti non patitur, ut silentio causa iusta prodatur. In eam igitur sententiam itum est, ut quantum fieri possit, commodè illis occuratur, qui nihil, quam de oppressâ & victâ veritate triumphos agere, & instituere iam incipiũt. Voluissem omnia hæc singillatim ad capita ista quinque proposita revocare, atque ita ordine respondere, sed quia tanti hæc non sunt, ut multum temporis in segregandis, & in suam classem redigendis collocari debeat, relegam ipsius vestigia, & isto, quo præivit ordine & numero, dicam quæ veritas, fides, synceritas suadent, non tam, ut fama istius Celeber-

Diog. Laert. lib. 9, in vita Pyrrhonis Ephes. 4.14.

betr. Doctoris D. Sibrandi, de Ecclesia bene meriti vindicetur, quam ut puritas doctrinæ & regiminis Ecclesiarũ nostrarũ integritas asseratur, & contra tot sugillationes & vellicationes Sycophantarum muniatur, quibus non licuit Anglicanis Ecclesiis tam serviliter os oblinere, nisi & Gallicas, plærasque Germanicas, atque adeò nos, hoc est, Belgicas Ecclesias tam hostiliter flagellarent, & omnibus sectis, quæ in Hollandia & in toto Belgio sunt, propudiosè prostituerent.

Provocat Anonymus etiam in ista sua præfatiuncula ad æquum lectorem; Neque ego eius judicium refugio, & ut in manus sumat Præfationem D. Sibrandi ad Ecclesiam Belgicam Londinensem præfixam Anti-Socino, & ad reverendum Archiepiscopum Cantuariensem præfixam commentarijs ad nonaginta novem errores Vorstij cum Appendice de Prædestinatione, Itemque Pietatem Grotij & Responsionem Sibrandi ad Pietatẽ, & denique Iohannis Arnoldi responsionem ad scriptum Bogermanni, etiam enixè peto, Appellat quoq; ad D. Sibrandũ ipsum: sed postquam ad se redierit. Quod brevi futurum se dicit sperare. satis n. ipsum EVOMuISSE. Nimis εὐτραπέλως & urbanè, Eiusdẽ κόμματος est, quod Barlæus iam nuper p. 67. vocavit Oppedere Grotio, cùm contra ipsum scribitur. Et quod idem pag. 49. plærosque autorum probatorum libros à D. Slado contra Vorstium magno numero citatos non erubescit appellare devotos latrinis libellos & Volusianas chartas. Tales scil. flosculos solent venustuli isti rhetores corollis suis innectere. Hi sunt quoque isti sales, quibus suas declamationes conspergunt, ne facilè putrescant, Sed ad Anonymi nostri facetias hoc tantum respondeo, metuendum esse ne Filius Dei I. Christus id genus homines τοὺς μήτε ψυχρὸυς, μήτε ζεστὸυς, ἀλλὰ χλιαρὸυς tandem ex ore suo evomat. Præstat sanè quidquid feculentum est, & ex rancidis humanæ rationis sigmentis ὥσπερ ἐκ περισσοῦ supernatat evomere, quàm vomitum suũ resorbere. Sed expendamus omnes istud Apostolicum. Αἰσχρότης καὶ μωρολογία, εὐτραπελία, τὰ οὐκ ἀνήκοντα μηδὲ ὀνομαζέσθω ἐν ὑμῖν, καθῶς πρέπει ἁγίοις, ἀλλὰ μᾶλλον εὐχαριστία Iudicent igitur alij ipsiq; adeo adversarij, Annon, quæ in D. Sibrandum & Ecclsias nostras hactenus evomũtur, etiam χολῇ καὶ μέλανι θολῷ tincta sint? Breviter iudicent omnes, quibus

Eph. 5.4.

ἄνευ

ἄνευ προκρίματος legere & conferre hæc nostra adversaria scripta vacat & libet, annon quam desiderant in Sibrando, bona fides à Pietate D. Grotij, & ὑπερασπισμῷ illius exulaverit? *Turpe est Doctori, cùm culpa redarguit ipsum.* Quod n. Barlæus pag. 68. scripsit in Bogermannum, hoc nos potiori jure in Anonymum; Qui alienam fidem incessit, suam intueatur: cui pudor non fuit surdâ aure pretervehi dentata illa D. Grotij dicteria, cui religio non fuit compertam veritatem inficiari, & non compertam adstruere. Sed iam ad Numeros ipsos, quos contra D. Sibrandum & Ecclesias nostras in aciem produxit, & quantum virium & momenti illi habeant dispiciamus.

Ex præfatione D. Sibrandi ad Pietatē D. Grotij hæc excerpsit.

Primum est, *Grotius totum ordinem Ecclesiarum Belgicarum, Presbyteria, Classes, Synodos, omnes Ecclesiarum Ministros, & electiones illorum, totam denique rationem gubernandæ Ecclesiæ, & omnia judicia Ecclesiastica, Presbyterialia, Classicalia, Synodica, prout hactenus in Ecclesijs Belgicis exercita fuerunt, petulanter perstringit, atque ita universam Ecclesiam per latus meum petit. præfat. pag. 1.*

Quid ad hæc Anonymus? Tria dicit, Primum est, *Grotium magni facere Synodos. Deinde ipsum Presbyteros laicos non improbare, dum authoritatem à Magistratu tempore pacis mutuentur, Tertiò, Ministros quosdam esse, quorum pietas professioni non respondeat, & qui Ecclesijs melius consulerent, si Magistratuum essent reverentiores.*

Sed hæc omnia nihil ad elevandam, aut minuendam fidem D. Sibrandi faciunt. Vt hoc demonstretur, notandum est prius, D. Sibrandum ibi duo dicere. I. est, quod D. Grotius perstringat petulanter totum ordinem Ecclesiarum Belgicarum, earumque Ministros, regimen, & iudicia prout hactenus fuerunt exercita in Ecclesijs Belgicis. II. est, quod ipse D. Grotius ita petat per D Sibrādi latus universam Ecclesiam. Quod ad primum, in eo memorantur hæc tria, totus ordo, Electiones Ministrorum, judicia Ecclesiastica. Sed & post hæc duo notanda sunt: primum, quod D. Sibrandus impingat D. Grotio, ipsum ista omnia petulanter perstringere. Alterum est, quod D. Sibrandus ea ita considerat, prout hactenus in Ecclesijs Belgicis exercita fuerunt.

Videamus nunc, annon verè hæc scripserit in D. Grotium. Ad ordinem & regimen Ecclesiarum Belgicarum pertinent presbyteria, Classes, Synodi: De ijs autem passim ita σκωπτικῶς loquitur D. Grotius. pag. 43. Minoris formæ.

D. Grotius pag. 57. minoris formæ vocat Presbyterium quod ex pastoribus & presbyteris constat Sibrandianum populum, *ad instar Pontificiæ Romanæ Ecclesiæ, quæ in uno Pontifice residet.*

Ibidem & passim Presbyteros nostros odioso nomine vocat Pastorum συνέδρους *annales, aut annuos assessores, qui una cum pastoribus Ecclesiam regant.*

Ibidem Tales Presbyteros & presbyteria ait fuisse antiquitati *ignota, & contra Apostolicum institutum. vide pag. 75.*

Hinc est quod pag. 112. majoris formæ, dicit Presbeteros sive συνέδρους annales esse nostrum ἐφεύρεμα.

Pag. 65. Presbyteros Ecclesiarum Belgicarum vocat Presbyteros Sibrandi.

Et pag. 72. Sed fortè, si Pastores eligere ad Magistratum pertinet, συνέδρους saltem illos suos *quos Presbyteros vocant, eligere ipsi Pastores ac Presbyteri debebunt.*

Deinde sub finem pag. istius, dicit idem valere, si ex Magistratibus quidam Presbyteri fiant, quàm cum à Pontifice Principum filij & cognati in Cardinalium collegium adsciscantur, aut Episcopi creentur.

Pag. 76. Multis verbis describit & commendat Sibrandus Nostrarum Ecclesiarum constitutionem. In ea Episcopi *nusquam; Presbyteri, qui olim dicebantur, hi vocantur Ministri; quod Græcè esset Diaconi: Synedri autem* annales, *Presbyterorum nomen accipiunt.*

Pag. 112. majoris formæ sic scribit, quæ in altera editione non extant: *Hæc quæ dicit de Presbyteris, hoc est, velut alteris decurionibus, eum dicturum quid credimus, si nostros illos nosset interreges, quos legatos Synodi vocant, qui dum Synodus non habetur, ipsi se pro Synodo gerunt?*

Quod ad Classicales cœtus, ex supradictis apparet, neque ipsis peperciisse D. Grotium: Et quo pacto isti integri manebunt, si Presbyteri Ecclesiarum nostrarum tollantur? Passim eos

ridet, cum vocat eos Classiarios. pag. 44. & alibi pag. 78. *Quod Episcopi fuit olim munus, id tribuitur partim Ministris singulis, partim Classiarijs, quos vocant, cœtibus.*

Quod ad Synodos pag. 30. & seq. affirmat absque Synodis Christianos Principes in causis fidei debere statuere.

Pag. 32. scribit, ad sopiendas istas Hollandicas controversias non necessariam, imò ne utilem quidem Synodum Nationolem aut Provintialem esse.

Pag. 37. Conventum Hagiensem 12. istorum ministrorum vocat Synodum: atque ibi majorem numerum, quam duodecim non requiri scribit.

Pag. 44. & seqq. tollit morem convocandi Synodos, qui hactenus in Ecclesiis Belgicis viguit. Nam vult, ut si quando placeat Magistratui Concilium aliquod indicere, dispiciat & vocet ipse, quos & quot ipsi visum fuit.

Deinde pag. 46. ut præscribat Synodo causas tractandas, modumque tractandi.

Porrò pag. 47. & pag. 151. ut præsit tanquam summus judex & ἀνυπεύθυνος, qui nullius imperio sit obnoxius, & qui habeat supremum hoc judicium de Prophetijs judicandi, cum jubendi cogendique authoritate.

Supra audivimus legatos aut deputatos Synodi ipsum appellasse novo convitio *nostros interreges.*

Si jam omnia ista, quæ hactenus in Synodis Nationalibus & Provincialibus Belgicis sunt gesta, comparentur cum Grotianis his verbis, & opinionibus, quis non videt ejus petulantiam in perstringendis Presbyteriis & Synodis Belgicarum Ecclesiarum, prout hactenus istæ sunt celebratæ?

Quod ad Ministros attinet, nihil certius est, quam quod istos petulanter perstringat. *Vocat n. passim* Zelotas, *pag. 7. 11. 12. 37.* Puritanos, *pag. 37. 73.* Catharos, *pag 76.* Donatistas, *aut qui* Donati spiritu *regantur, pag. 40. Magistratuum electionem per obliquas artes ad se trahere, & ubi invaluerunt, sibi etiam eam vindicare. Ministros expostulare, quod ad publica negotia Reipub. non adhibeantur, pag. 79. Delictorum omnium censores dicit, & sarcasticè scribit*

ipsos

ipsos plebe audiente Magistratum convitijs flagellare, sub fallaci religionis prætextu Flandriam perdidisse, & conatos fuisse etiam Hollandiam perdere, pag. 80.

De Electionibus notum est quid velit. Contendit ius electionum Pastorum aut Presbyterorum esse penes solum Magistratum. pag. 58. 59. adeoque omnes functiones Ecclesiasticas esse ab Magistratu mandandas, eò usque ut si Presbyteri nostrarum Ecclesiarum essent eligendi, etiam & hoc transscriberetur Magistratui. pag. 56. & seqq. Et pag. 72. ita scribit: *Sed fortè sc. pastores eligere ad Magistatum pertinet, συνέδρους saltem illos suos quos presbyteros vocant, eligere ipsi pastores ac presbyteri debebunt. Imò hos multo etiam minùs, si Bilsono credimus,* &c. pag. 57. dicit Sibrandianum populum, h. e. presbyterium solum eligere apud nos Pastores, Et mox: *Hi Pastores & Presbyteri Sibrando judice id jus habent, quod maximis apud nos Senatibus negatur, ut collegas sibi cooptent, lecti tamen ab ipsis populo ὁσίας ἕνεκα proponuntur. pag. 71. Interim non immeritò & hoc aliquis miretur à Sibrando electiones quas populi jus esse dicit, soli presbyterio adscribi, quæ perquam populi est exigua portio. Et hanc artem manasse ex Curia Pontificum, qui electiones Cleri solius esse volebant.*

Passim denique exagitat illum morem electionum, qui ab Apostolis initio institutus, & hactenus in nostris Ecclesijs ad normam canonum Synodalium usurpatus fuit, cùm dicit, *ista fuisse facta sub cruce & persecutionibus, & cùm Magistratus esset Paganus.* pag. 46. 63. 71.

Quod denique ad totam rationem gubernandæ Ecclesiæ & judicia omnia Ecclesiastica, presbyterialia, Classicalia & Synodica attinet, quæ D. Grotium perstringere petulanter dicit D. Sibrandus, ex supradictis liquet nihil contra veritatem aut fidem ipsum scripsisse. Cùm enim nostræ Ecclesiæ istam rationem gubernationis servant, quam sub Apostolis in Ecclesijs omnibus usitatam ipsus D. Grotius fatetur, eamque ille ita mutatam vult, ut ad solum magistratum transferendam contendat, quid aliud, quam totum istud regimen Ecclesiarum nostrarum perstringit? *Ita n. pag. 46. Frustra allegat Sibrandus morem Ecclesiæ τῆς ἐθλίψει. alia n. tunc fuit ratio. pag. 63. Et sunt, qui id audent dicere, hoc freti argumento, quod Apostolicis temporibus à summis potestatibus non*

bus non sint electi Pastores: scilicet Tiberius, Caligula, Claudius, Nero, magistros illis dedisse ejus doctrinæ, quam sine & summa prosequebantur!

De Iudiciis Ecclesiasticis, presbyterialibus, Classicalibus, & Synodicis iam dictum est. Sed nihil apertius inter cætera quam quæ scribit pag. 30. *Quæ sunt illa Prophetæ, ad quos judicium istud ita peculiariter spectat? Synodi, inquit, & ubi apertius loquendum est, Episcopi, h. e. ministri Presbyteri, hoc est, ministrorum annui adsessores: deinde Doctores, hoc est, Academici Professores.* Et pag. 36. *Nonne ergo ineptum foret ministro alicui iuveni, aut vicario Presbytero plus deferre? &c. aut nonne perquam absurdum est, quos Presbyteri nomine impositio judices in templo agnoscere?* Non video igitur, quam fidem & veritatē desideret hîc Anonymus in D. Sibrando. Nam re benè perpensâ minus dixit Sibrandus, quàm scribit & intendit Grotius. Sibrandus tantum notat D. Grotium *perstringere* totum ordinem & regimen Ecclesiarum Belgicarum prout hactenus fuit exercitū. Sed D. Grotius non solum, uti ex suprascriptis liquet, perstringit, sed & luxare ac disturbare velle videtur. Hoc enim ipsi cogitandum erit, aliud esse de ordine & gubernatione Ecclesiæ in genere loqui, aliud de regimine Ecclesiarum Belgicarum, & tali regimine, quod hactenus fuit in istis approbatum & usitatum. Satius fecisset D. Grotius, si aperto marte oppugnandam suscepisset istam gubernationem nostrarū Ecclesiarum, quam Scripturæ, & autoritati adversari existimat, sub titutâ alterâ, hac nimirum suâ merè politicâ. *Atqui huc fermè delabitur. pag. 76, Cùm dicit, bonos multos desiderare multa in nostra Ecclesiæ regimine, & aliis modis putare vitia ad ἀναρχίαν* accedētia commodissimè posse sanari. Non instituisse se quidem ea de re disserere scribit, interea se non continere posse, *quin fontem & originem huius ἀναρχίας, tum aliarum πλημμελείων indices.* Originem a. & causam transfert in totum istum ordinem, regimenq; Ecclesiarum nostrarum, prout illud nunc se habet, & præsertim in *ἰσοτιμίαν*, æqualitatem Ministrorum. Queritur non pati nos posse ista omnia vitia, quæ iam alio rerum statu & otio exactius considerari possunt, sanari atque ita in melius perduci statum Ecclesiæ. Quod futurum autumat, si tota Ecclesiastica jurisdictio devolveretur ad solum Magistratum, & per ipsum hierarchia

erarchia & dominatus Archiepiscopalis (quem Nazianzenus NOVuM dicit, & πολλὰ τὰ σωτήρια διακενῆς fecisse, multosque pastores εἰς βόθρον impulisse) inveheretur abolitis omnibus Presbyteris & Classibus. Hîc Rhodus, hîc saltus. Huc facit, quod rideat istum primum canonem Synodi Embdanæ, anno 1571. habitæ, quo statuitur, *Ne Ecclesia una in alteram, aut minister unus in alterum dominatum exerceat, imò ut omnes a suspicione quavis & occasione dominatus sibi caveant*, cum dicit. pag. 77. 78. istum canonem habitum fuisse semper velut totius Ecclesiasticæ gubernationis nostræ fundamentum, atque ex eodem probat Episcopatus omnes Pontificios ab ipsis ministris fuisse ex Ecclesijs ejectos.

Quod ad alterum membrum accusationis huius primæ, quo notat D. Sibrandus per latus ipsius petiisse Ecclesias nostras, D. Grotium, nihil certius & verius dici potuit. Non n. D. Sibrandus recens excogitatos errores suos defendit, sed totam Ecclesiarum Belgicarum doctrinam & gubernationem tuetur. Quid igitur aliud, quam cùm in D. Sibrandum infestis signis infertur, Ecclesias nostras lacessit & petit? Futilè igitur est, quod & huius rei insimulare ipsum velit Anonymus. Atque hæc pro D. Sibrando.

Ex adversa parte expendamus, quæ Anonymus pro Grotio adferat. Hoc primum occurrit, hunc hominem inficiari plæraque ista, quæ D. Sibrandus ipsi impingit. Vtinam hæc verè inficiari possit, & in reliquis etiam fallere tur D. Sibrandus! Deinde quæ D. Sibrandus ipsi intenderat de Classibus, Electionibus eorum, & de judicijs Ecclesiasticis, præterit ac dissimulat.

De Synodis a. & Presbyteris aliquid tangit. Dicit Grotiũ magni facere Synodos, eumque in finem allegat locum ex Pietate, qui exstat pag. 51. Vbi ita legitur: *Neque nos aspernamur Synodos, quorum authoritatem meritò facimus maximi, & quas scimus multum in modum Ecclesiæ profuisse præsertim, quum adblandiens aliquis error multorum piorum consentiente testimonio nudandus, atque ita traducendus fuit.* Sed quod alibi D. Sibrando occinit, hoc iam ipsi regerendum erit. Bellæ voces, nisi vim illarum explicatio destrueret. Nam qui audit D. Grotium maximi facere authoritatem Synodorum, is fortè credet ordinem & regimen nostrarum Ecclesiarum

Ecclesiarum ab ipso probari & vindicari: sed cùm ad rem ventum erit, actum esse de Synodis Ecclesiarum Belgicarum videbit, uti iam ostensum est. Mirum est de authoritate aliqua Synodorum ipsum mutire ausum, cùm nullam authoritatem aut potestatem ipsis relinquat, nisi si quæ ex arbitrio, nutu, placito & authoritate aliorum suspendatur. Et velim ipsum nobis describere rotundis & expressis verbis istam quam vocat Synodorum authoritatem, ut liquidò constaret de ipsius candore. Nam quod ibi addit tunc Ecclesijs profuisse Synodos, cùm error aliquis (non audet dicere hæresis) communibus calculis damnandus, aut potius (ut cùm ipso mitius loquamur) nudandus, & traducendus fuit, nihil cõcernit authoritatem Synodorum, sed ostendit causam subinde esse, cur utiliter haberi & cogi possunt. Quod utinam & ad istos errores Hollandicos detegendos judicaret hoc tempore utile! Sed quamdiu D. Grotius existimat Synodos non esse medicinam morborũ, neque nervũ Ecclesiasticæ tranquillitatis, & in hoc casu cum Nazianzeno judicat ex Synodis futuram maiorem προσθήκην, quam λύσιν κακῶν, quæ in Batavicis Ecclesijs sunt; Denique & sine concilio à summo Magistratu leges Ecclesijs dari posse & debere, nihil nobis boni erit sperandũ à D. Grotio ad obtinẽdam Synodũ: Nisi forsan tunc utilem sibi Synodum futuram putabit, cùm adblandientem istum Arminianum errorem plurium calculis victurum certò confidet. Sed cui quæso bono Synodi, si Ecclesijs quaslibet leges condent, & dabunt summi Magistratus sine concilio? Quod & Casaubonus ὁ μαχαίτης de Concilijs Põtificijs affirmat, quæ auctoritatem suam solam à Papa mutuantur.

pag. 30. pag. 32. pag. 31.

In Epist ad Iac. Regem M. Brit. præfixa Exercitationibus Antibaronianis.

De Presbyteris hoc dicit Anonymus, D. Grotium istos Presbyteros laicos non improbare, dummodo auctoritatem tempore pacis à Magistratu mutuentur, quod ostendit ex pag. 72. Vbi ex D. Bilsono hanc clausulam adiecit, *se non videre rationem hanc administrandæ Ecclesiæ per laicos seniores eodem jure cum Pastoribus conjunctos cum divini verbi trutina congruere, nisi si Presbyterij istius authoritatem tempore persecutionis ab Ecclesia universa, pacis verò à pio Magistratu mutuari velimus.*

De Presbyterorum istorum institutione & officio paulò post dicetur. Hoc loco tantum notandum erit, D. Grotium non tam

ex sua mente, quam Bilsoni loqui. Quod si tamen & hoc syncerè credat, quod hic scribit, non video quomodo ille secum cõciliari possit. Nam ex supradictis apparet illum tales Presbyteros laicos quos vocat, improbare. Vt ne autem omnia ista reponamus, expende tantum, quæ scribit pag. 57. *Presbyteri autem isti (ne quis antiquitatis magis quàm moris nostri gnarus ea in voce hallucinetur) non sunt qui Verbum Dei prædicant, aut Sacramenta exhibent, sed pauci numero delecti ex populo Pastorum σύνεδροι, qui una cum Pastoribus Ecclesiam regant, & si necesse est, refractarios, (in editione majoris formæ inseruntur hæc) excommunicent.* Et quæ pag. 76. *In nostris Ecclesijs Belgicis nusquam Episcopi. Presbyteri, qui olim dicebantur, hi vocantur ministri, quod Græcè esset Diaconi. Synedri autem annales Presbyterorum nomen accipiunt.* Ex istis videre licet D. Grotium eius opinionis esse, ordinem istum totum Presbyterorum nostrorum non solum contra Scripturam, sed & contra totam antiquitatem esse, ideoque videri penitus abrogandum. Res ipsa & totum ipsius scriptum hoc clamat. Nam si dominatus iste Episcopalis, qui dudum hic abolitus fuit, in Ecclesiam revocabitur, Presbyteris talibus non erit nobis amplius opus. Cur ergo Anonymus iste ausit dicere D. Grotium non improbare aut rejicere seniores laicos, nullus video. Nisi forsan initiò se eò rem deducturos non posse vident, ideoque subvereri adhuc (rebus sic stantibus, quod solet iam Papa in suis bullis excipere) ne si hoc dicunt, animis piorum magis exulceratis, planè in fumum abitura sint omnia ipsorum consilia. Vsurpemus quod ipse alibi nobis occentat.

Nemo repentè fuit turpissimus, Itemque illud, *per numeros veniunt ista, graduque suos.* pag. 56. Addit tamen conditionalem hanc, *si authoritatem tempore pacis à pio Magistratu metuentur.* Sed cur supprimit, quod ex D. Bilsono Grotius dixerat, tempore persecutionis authoritatem ab universa Ecclesia mutuari? Mirum istos viros hic de authoritate Presbyterorum laicorum usos fuisse aliquid addere. Magis mirandum est, istos jam putare auctoritatẽ talem ab Ecclesia mutuari. Oblitus ne es tui D. Groti? Nam scripsisti alibi omnem authoritatem esse à summo Magistratu, & non ab Ecclesiâ. Sed si nulli tales Presbyteri in Ecclesia esse debeant, nulla igitur istis quoque authoritas erit.

Quomodo

Quomodo etiam ab Ecclesiâ mutuari poterunt istam authoritatem quàm Ecclesia non habet? Sed ut urgeamus, quæ dicit, rogo ipsum, à quo accepit istam potestatem tempore persecutionis Ecclesia conferendi talem authoritatem Presbyteris laicis? Non utique à Magistratu, qui aut Paganus, aut Tyrannus. Si igitur à se ipsa sumat, ergone hominum erit sine Christi mandato, & authoritate instituere novas functiones? Ergone Christus non satis providè prospexit de necessarijs munijs Ecclesiæ suæ sub cruce, nisi homines curâ & prudentiâ supplere debeant, quod deerat? Sequitur igitur à Christo unico legislatore, & moderatore suæ Ecclesiæ accepisse istam auctoritatem. Si a. à Christo hoc ius accipit Ecclesia, quæ sub cruce gemit, cur tempore pacis eandem authoritatem non retinet, & iure suo usurpat? An putant Christum Ecclesias sub pace exauctorare, ac eandem potestatem tunc resignare in manum Christiani Magistratus, qua hactenus tempore διωγμῶν donaverat suam sponsam? Si etiam usus erit huius ordinis sub cruce, cur non etiam tempore pacis? Alia quidem (fateor) ratio est Ecclesiæ sub cruce, alia sub pace: sed si istam potestatem *Ecclesia* ἢ οὐ δλίψει bono titulo — possedit, quomodo tempore pacis eam amittet? *Sed* dices pag. 63. Necessitatem legem dare, non accipere. Atqui si necessariam putant functionem laicorum Presbyterorum tempore persecutionis, cur tempore pacis istam mutatam, aut potius sublatam volunt? An Magistratus Christianus mutavit formam, & ordinem à Christo, eiusque Apostolis præscriptum, ideo quod Christianus sit factus? Annon potius eo nomine sartam tectam servabit, ac sua auctoritate tuebitur, & defendet? Sed de hoc postea suo loco. Sequitur igitur D. Grotium Presbyteros laicos, ut vocat, eorumque judicia prout in Ecclesijs Belgicis hactenus sunt exercita, perstringere & reprobare.

Quod addit de Ministris, D. Grotium dicere esse quosdam, quorum pietas professioni non respondeat, arguit eius libidinem & insolentiam in infectandis ijs, quos odit. *Et* quid de plærisque Ministrorum sentiat, qui nomine Puritanorum passim traducuntur, iam suprà notatum est. Neque tamen est (Deo laus) ipsi, quod ad ipsorum vitam verè exprobret. etiamsi eodem in loco ipse fateatur istã causam non aliter à se tractari potuisse, nisi

se, nisi reprehenderentur homines quidam eius ordinis, quem velit esse & haberi apud plebem sanctissimum, &c. *Et quid sibi volunt verba ista? ipse Apostolorum cœtus ingens scelus intra se habuit. Itemque veritas religionis à Ministrorum moribus non pendet?* Ipsine tutum, & per fidei christianæ regulas licet, maledicere Sacerdotibus Dei? & capitale erit ipsius judicio Ministris & Doctoribus Ecclesiæ, si quando illi Magistratum modestè increpent, & officij moneant? Quæ hæc iniquitas, & perversitas in tali homine, qui Themidos Mystes audit? Aliter Valentinianus Imperator affectus fuit, cùm ad Synodum Mediolanensem. *Talem (inquit) in Episcopali sede collocate, cui nos imperij Rectores syncerè ac libenter submittamus capita nostra, & cuius reprehensiones tanquam pharmaca suscipiamus salutaria.* Vide Theodoret. lib. 4. cap. 5. Rectè etiam hoc notavit Chrysostomus in 2. ad Tim. homil. 2. *Hæc omnis mali causa est, quod Ecclesiasticorum Rectorum authoritas perit, quod nullus eis honor, nulla reverentia, nullus metus habeatur. Nam qui piè erga Sacerdotem affectus est, majore pietate Deum reveretur. Et qui despicit Sacerdotem huc tandem quasi gradibus quibusdam deveniet, ut contumeliosus existat in ipsum Deum.* Ipse quoque Anonymus lætanti animo adblanditur suo Grotio, cùm porrò ex pag. 56. recitat D. Grotiũ putare Ecclesiis meliùs consultum fore, si Pastores quidam essent Magistratuum reverentiores. Nolo istos defendere, qui suos Magistratus minus quàm par est reverentur, Sed quid si regeratur esse etiam quosdam, qui Ecclesiæ, ejusque Pastoribus minus reverentiæ deferunt! Habent Magistratus tanquam Dij quidam minores in terris suum honorem, sed & Ministri & Doctores etiam suum habent tanquam internuntij Dei, & dispensatores cælestium mysteriorum, in quos etiam suo modo competit illud Christi ad Apostolos suos, *Qui vos audit, me audit, qui me audit,* &c. Sed velim ab ipso Grotio designatos fuisse modos, gradus, limites istius reverentiæ, quam desiderat in multis Ministris. Hæc fusiùs prosecutus sum, ne posteà eadem sæpius repetere necessum sit.

Luc. 10. 16.

Accedo

Accedo ad alterum numerum, quem ex eadem præfat. excerpsit Anonymus.

Ita autem pag. 1. *D. Sibrandus: scribit me libertatem sacra docendi passim exagitare, dominatum despicere, & potestates convitijs incessere. utramque verò hanc accusationem nihil aliud esse, quam vanam & inertem calumniam testantur mei libri.* Duorum criminum se postulari D. Sibrandus conqueritur à D. Grotio. unum est, quod libertatem prophetandi exagitet: alterum est, quod summas potestates convitijs proscindat. Sed utrumque negat D. Sibrandus. videamus ex adverso, quibus locis & argumentis hoc probare conatur Anonymus. Quod ad primum, provocat ad locum qui est in Præfat. D. Sibrandi ad Declarat. Resp. §. sunt etiam: sed verba non recitat. Ego verba ponam, ut appareat non bona fide hic agere Anonymum: *Sunt etiam qui suspicantur quosdam hoc agere, ut sub prætextu libertatis prophetandi omnes impias & blasphemas hæreses docendi & profitendi libertas in Ecclesias Reformatas introducatur. Sed hoc consilium est prorsus impium & detestabile, & spectat ad omnem veram religionem penitus extirpandam. Hujus rei triste exemplum extat, 2. Reg. 17. 32.* Quis quæso inde exsculpet istam conclusionem, quam hic intulit Anonymus? Non sanè exagitat hic libertatem prophetādi, sed abusum istius libertatis. Nam apertè dicit, sub *prætextu libertatis* prophetandi licentiam hæreses profitendi facilè introduci. Aliud n. est. libertatem prophetandi exagitare, aliud exagitare licentiam, quæ sub prætextu libertatis istius urgetur. Quanti autem faciat veram prophetandi libertatem hoc docuit eodem loco. *Quod ad synceram, inquit, & legitimam prophetandi libertatem attinet, non est necesse, ut pro ea tantopere laboret D. Conradus. Hæc n. publicè recepta & longo usu stabilita est in Ecclesijs Reformatis & Lutheranis. Sed hæc prophetandi libertas debet se inter analogiam fidei, vel inter terminos sacrarum literarum continere; quamdiu inter hos limites se continet, est prophetandi libertas: quando hos limites transgreditur, est prophetandi falsitas.* Nihil verius, & doctius. Quid igitur hic est, quod bonâ conscientiâ & fide reprehendi potest? Distinguit inter veram, synceram, & legitimam prophetandi libertatem, & inter falsam, fucatam, illegitimam, &

exorbitantem

exorbitantem prophetandi licentiam. Quis sani cerebri colliget D. Sibrandum ideò exagitare prophetandi libertatem, quod falsitatem prophetandi perstringat & repudiet? Ipse D. Grotius pag. 36. Hanc D. Sibrandi mentem videtur agnoscere. Nam ibi, is *Opponit (inquit) sæpè, Sibrandus Apostolicum illud* προφῆται δύο ἢ τρεῖς λαλείτωσαν *&* ὁι ἄλλοι διακρινέτωσαν. *Et illud* πνεύματα προφήτων προφήταις ὑποτάσσεται. Si enim D. Sibrandus sæpiùs provocat, (teste Grotio ipso) ad libertatem prophetandi, quomodo illam exagitare dicendus est? Sed si verum fateamur, implicant ipsi se hoc crimine, quod intentant Sibrando. Quantopere n. isti veram & receptam libertatem prophetandi exagitent, passim apud ipsos legere est. Hinc istud scomma apud Grotium pag. 12. *Ex Zelotarum decretis id munus (de prophetijs judicandi) Prophetarum proprium est. Ex ijsdem a. decretis Propheta esse nemo potest, nisi Doctor, Pastor, aut Presbyter.*

Nihil aliud (fateor) isti homines, quam hanc libertatem crepant, sed intelligunt licentiam quandam extra oleas vagantem quidvis dicendi & docendi contra receptam Ecclesiarum Reformatarum doctrinam. Et ut hoc ἀλοφθαλμῶς ostendam, etiam istum locum Pauli 1. Cor. 14. qui de isto prophetandi more apud Corinthios agit, in talem sensum contra nos invertunt. Negat siquidem D. Grotius dictâ paginâ, prophetiam esse perpetui muneris in Ecclesia: *sed contendit esse doni nomen, vt &* ἰάματα, *&* γλῶσσας, *quod tunc quidem mirabiliter, & ἀμέσως Deus multis conferebat, sed nunc etiam multis, qui nulla in Ecclesia functione publica vtebantur, studio & labore incumbentibus donatur.* Verum προφητεία hic non accipitur pro extraordinario dono prædicendi futura, sed pro dono docendi verbum Dei in Ecclesia, non tamen studio aut meditatione parato, sed gratiâ Spiritus extraordinaria pro tempore isto collato. Hoc quidem erat in istis extraordinarium, & non perpetuum, quod ex tempore prout Spiritus suggerebat, populum docebant, quoties Ecclesia tota conveniebat: sed hoc erat in ijsdem ordinarium & perpetuum, quod legitimè ab Ecclesia vocati Scripturas interpretabantur, & quæ exhortationi & cõsolationi auditorũ serviebãt, utiliter & cum ædificatione proponebant; Ideoque fungebantur ij ordinario & perpetuo Doctorum munere. Sic enim Theodoretus

i. ad oculum.

retus ad vers. 31. huius capitis. *Hic ordo mansit in Ecclesijs in præsens usque tempus vt* ex Doctoribus alij *quidem in hac concione, alij verò in alia cum populo differant.* Ambrosius ipse ad ipsum locum *Prophetæ* Interpretes Scripturarum *dicit. Sicut n. Propheta futura prædicit, quæ nesciuntur,* ita & hic dum Scripturarum sensus, qui multis est occultus, manifestat, dicitur Propheta. Hoc inde etiam apparet, quod qui linguis utebantur, erant etiam ut plurimum publici Doctores. Theodoretus ad vers. 2. *Idem datum erat* Prædicatoribus *propter diversas hominum voces, ut qui ad Indos veniebant illorum lingua vtentes divinam afferrent prædicationem, & cum Persis rursum differentes, Scythis, Romanis, Ægyptijs singulorum vocibus vtentes Euangelicam doctrinam prædiarent.* Docet id etiam Apostolus manifestis verbis: Nam vers. 3. ὁ δὲ προφητεύων ἀνθρώποις λαλεῖ οἰκοδομὴν, καὶ παράκλησιν, καὶ παραμυθίαν. Deinde vers. 15. & 16. dicit Prophetarum esse in Ecclesia orare & εὐλογεῖν. Et ver. 19. ἄλλως καὶ ἠχεῖν. Porrò manifestè distinguit vers. 16. 24. inter Doctores istos, quos hic Prophetas vocat, & alios, qui ἀναπληροῦσι τὸν τόπον τοῦ ἰδιώτου in Ecclesia. Quod 2. dicit vers. 23. *omnes* Prophetare, & linguis loqui, cum Ecclesia tota conveniret, non sanè intelligit omnes & singulos, qui essent tunc in isto cœtu, sed restringit ad istos omnes, qui dono linguarum præditi erant, & ordinario prophetandi munere fungebantur in ista Ecclesia. Sine dubio enim in celebri hac Ecclesia multi fuerunt Doctores & Prophetæ. Cum igitur vers. 29. dicit προφῆται δὲ δύο ἢ τρεῖς λαλείτωσαν, vult ut in istis singulis conventibus ad summum tres Doctores ordine & successivè loquantur, quæ ad ædificationem, exhortationem, & consolationem totius Ecclesiæ faciant, ut ita evitetur ἀκαταστασία, quæ facilè oriretur, si singuli idiotæ extra munus docendi, aut sine vocatione ex isto cœtu quasi raptati spiritu Prophetico ad docendum surgerent. Deinde quod ad judicium illud de Prophetijs attinet, non restringendum putat D. Grotius illud ad Prophetas, sed ad omnes istos, qui in cœtu adessent & attenderent ad ea, quæ docebantur. Nolo ego quidem excludere reliquos omnes, qui in isto cœtu insigni divinarum rerum scientia imbuti essent, sed maximè Prophetas designari arbitror. Nam quod Apostolus addit vers. 29. καὶ οἱ ἄλλοι διακρινέτωσαν, non in-

 telligit

telligit omnes, qui in toto cœtu erant idiotas, & alios ex plebe qui ejus Ecclesiæ membra essent, sed præsertim prophetas reliquos qui tunc non docebāt, sicuti sese explicat ver, 32. per τοὺς ἄλλους adhibito articulo, qui solet διάκρισιν τοῦ ὀνόματος indicare. Nam sine articulo hoc ἐπὶ ἑνὸς τοῦ τυχόντος ἀορίστως ἐστὶ ληπτέον teste Epiphanio. non a, hæresi. p. 17. Dicit n. Spiritus prophetarū non subjectos esse omnibus & singulis Idiotis, sed prophetis. 1. Cor. 12. 10. Non n. διακρίσεις πνευμάτων erant omnium Ad prophetas igitur reliquos, quorum tunc non erant vices aut partes docendi, sed auscultandi, referendi sunt *isti alij*, quorum esse dicit διακρίνειν. 1. dijudicare, discernere prophetias. Quum igitur ver. 1. monet fratres ζηλοῦν τὸ προφητεύειν, alloquitur non omnes & singulos, sed tantum istos fratres, qui eminebant inter doctores alios & monet, ut ambirent magis prophetiæ, quam linguarum donum. Quod a. ex Chrysostomo adfert D. Grotius, non juvat ipsum. Nam collatione facta inter donum linguarum & Prophetiam, hoc dicit eo loco Chrysostomus Prophetiam esse sibi satis, quod linguis negat esse.

Nam etiamsi non sit in cœtu, qui judicet de Prophetijs, prophetandum tamen esse dicit, cum non sit linguis loquendum, si desit interpres. Cùm igitur jubet Apostolus, ut alij judicent, auditorem monere voluit, totum hoc ad evidentiam auditorum disputasse Apostolum, ne quis interea ariolus misceretur, quod à principio curari jussit, ubi prophetiæ vaticinijque discrimen induxit, quod nunc quoque discerni jubet, ne quis diabolicus præceptor ingrederetur, Chrysostomus hîc non dicit per judicium τῶν ἄλλων designari plebeios omnes, & idiotas, sed vult ad istorum securitatem procurandam additum fuisse hoc ab Apostolo, ne aliquis facilè decipiatur, Deinde etiam si fieri potest, ut ne in toto cœtu aliqui sint, qui judicent de Prophetijs propositis, quod affirmat ibi Chrysostomus, quomodo omnes & singulos in Ecclesia judices Prophetarum esse dicere posset? Apud Oecumenium hæc ita ex Chrysostomo contractius exprimuntur, Ἦσαν ἐν τοῖς προφήταις καὶ μάντεις λανθάνοντες, διόφησι, δυὸ ἢ τρεῖς, ἵνα μὴ διὰ τὸ πλῆθος λάθωσιν οἱ μάντεις. Vnde apparet, ut, si & τὸ διακρίνειν ad omnes & singulos idiotas referatur, non tamen ulterius secundum Chrysostomum extendi posse, quam ut ne decipiantur suppositione, aut ingestione arioli pro

propheta

propheta vero, quod facilè caveri posse autumat, si non multi nomine & titulo prophetarum, sed duo aut tres tantum singulis conventibus doceant. Facilè n. fieri posse, ut ariolus aliquis in tãta multitudine prophetarum subrepat. Vatidici n. tunc in ista Ecclesia functionem & spiritum propheticum à Deo accepisse jactitabant. Theodoretus etiam cum omnibus auditoribus hoc judicium de Prophetiis non communicat, sed iis tantum, qui donum discretionis in Ecclesia ista habebant, assignat. Ita enim ille: *Iam divinus Apostolus inter dona spiritualia spirituum discretionem annumeravit. Hoc ergo hic etiam dicit, ut qui hoc donum acceperunt, ea quæ dicuntur, discernant, an ex divini spiritus dicantur operatione? Sicut n.* Prophetis *falsos* Prophetas *Diabolus opposuit: ita etiam* Apostolis falsos Apostolos. Et ipse Theophylactus: *fuerunt inter Prophetas* vani etiam vates: *Eam ob rem dicit, ut eos alij dijudicent, ne aliquis vates vanus occultetur: Vt n. in superioribus commemoratum fuit etiam donum dijudicationis, ut agnoscerent, qui adulterini, quinam veri* Prophetæ *essent. Atqui istud donum* διακρίσεως non erat singulorum. Interpretatio Ambrosij, qui διακρινέτωσαν exponit *interrogent de his, quæ fortè in ambiguum veniunt, aut assequi aliquis non potest*, est prorsus aliena, contra mentem Apostoli & usum vocis. Omnes n. Græci Patres, quod sciam, exposuerunt, *iudicent*, aut *discernant, diiudicent*. Neque pro (*interrogare*) hanc vocem διακρίνειν usquam accipi memini. Et ipse Ambrosius ambigit. Nam addit etiam hanc nostram expositionem, cum dicit Apostolum etiam velle, ut alij *examinent*: Nimis coactum, & violentum est, quod dicit D. Grotius cum Vorstio & Erasmo Spiritum Prophetarum non alijs Prophetis, sed suum cuique Spiritum subjectum esse, atque ita explicanda esse ista verba Apostoli ex Ambrosio. Nam si hoc voluisset Apostolus, ita expressisset suam mentem, πνεύματα προφήτων ἑαυτοῖς ὑποτάσσεται, *sibi ipsis subjiciantur*. Variant quidem nonnihil interpretes veteres in explanatione hujus loci, sed in hoc plærique conveniunt, quod non de subjectione sui ipsius qui prophetat, sed aliorum Prophetarum quinondum prophetabant, locum istum intelligunt. Hieronymus, vel quisquis ille commentator huius Epistolæ fuerit, sic scribit tom. 1x. fol. 158. H. ad

hunc textum: Sive gratia spiritus alteri prophetæ cõsensit, ut alterutrũ sibi cedant, sive spiritum humilitatis & charitatis debẽt habere prophetæ. Quia Deus qui in ipsis est, non est Deus dissensionis, neque superbiæ: Item hoc ait: quia in quo est spiritus prophetiæ, ipse aliis prophetis per societatem gratiæ subjectus est: in qua non æmulatur alterum prophetare cum ei fuerit revelatum. Id Hierony *apertè* ad Nepotianum tom. 1. fol. 6. hunc locum Apostoli ad Prophetas, eorumque mutuas vices, & subjectionem in prophetando retulit.

Chrysostomus ipse dicto loco: *Donum ipsum subjectum esse debere docet. Spiritum n. vim ipsam vocat. Si spiritus porrò subjicitur, magis te qui habes, reluctari tolerabile non est.* Hoc vult dicere: Apostolus jubet, si uno ex prophetis loquente alius à spiritu excitatur ad prophetandum, ut prior sileat, & alteri concedat loquẽdi partes. Cur hoc? Quia spiritui ita placet. Æquum n. est, ut spiritus Prophetarũ aliis Prophetis subjiciantur. Et Theophylactus. *Ipse namq; spiritus, hoc est, donum quod in te est, et operatio spiritus, qui in te est, subjicitur dono* alterius, *qui ad prophetandum concitatus est.* Hunc sequitur Oecumenius, Ἐ‹ τοίνυν τὸ χάρισμα τοῖς προφήταις ὑπολέλακται, πῶς οὐκ ἄτοπον, ὑμᾶς μὴ ὑπολάσσεσθαι τῷ κοινῇ συμφέροντι, ἵνα ὅταν ἡ χαρὰς σιωπᾷς, σιωπᾶτε.

Theodoretus omnium apertissimè & ad nostram mentem sic: *Spiritus dona vocantur. Ita Iesus subjiciebatur Mosi, ita Elizæus Eliæ: ita ipsi Elisæo multitudo prophetarum. ita ipsi Apostolo Timotheus & Titus & reliqui:* Primasius ille Vticensis Episcopus ita quoque ex Hieronymo ad hunc locum notavit: *Sive gratiæ spiritus* alteri Prophetæ *consentit, sive spiritus humilitatis & charitatis debet esse in Prophetis, quia non est Deus superbiæ & dissensionis, qui in eis habitat, sed pacis, quia eis nota sunt, quæ prophetant.* Putat Sanctus iste vir etiam hoc, Spiritus scilicet Prophetarum ita oportere subiectos esse alijs Prophetis, ut si quando illos dissentire contingat, ne mutuam Charitatem vitient & pacem Ecclesiæ superbè turbent. Breviter, ut Spiritus ille Prophetarum in ista subiectione à Spiritu humilitatis & charitatis regatur. Nam quod ver. 31. præcedit Δύνασθε γὰρ καθ' ἕνα πάντες προφητεύειν, non intelligit singulos, etiam qui ex infima plebe in pavimento in mattis sedebãt, uti loquitur ad hunc locum Ambrosius, sed istos

omnes

omnes & singulos Prophetas, qui servato ordine & vicibus debebant prophetare: Itaque κατ' ἕνα, rectè vertunt, sigillatim, uti κατ' οἶκον, domatim, κατὰ κώμας, vicatim, κατ' ἐκκλησίαν, per singulas Ecclesias. vult igitur sigillatim omnes prophetas istos prophetare, non eodem sane die, sed ut antè dixerat, ternis in singulis conventibus, ordine in orbem loquendi vices habituris, uti recte observavit Beza secutus Calvini (quem ille Magnum alibi vocat) sententiã, Theophylactus huc inclinat, inquiẽs *Potestis n. sigillatim prophetare, hoc est, ne mœreas ac perturberis, quod tunc sc. tacere debeas. Potes n, & tu, & alius & omnes* per partem, *hoc est*, per successionem *vaticinari. Non in uno solo concluditur donum, sed omnibus datur, ut universa Ecclesia discat, & consolationem ad virtutem recipiat.*

Iudicent igitur ex his omnes, ordinis & pacis amantes, uter prophetandi libertatem exagitet, illéne, qui eam ad normam Apostolicorum canonum, quatenus isti nihil contineant, quod Corinthiacæ Ecclesiæ tantum isto tempore propriè conveniat, exigendam putat, an ille qui singulis ex cœtu potestatem loquendi citra vocationem ullam facit, & de prophetiis omnibus temerè judicandi, atq; ita omnia tumultibus, perturbationibus, & confusionibus implet? Neque aliter ipse Vorstius olim, cum necdum ὑπερ τὸ σκάμμα tam longè transiliisset, in Præf. sui Antibellarmini hunc locum exposuit. Disertè n. intelligendum esse ait de iis, qui publicum docendi munus in Ecclesiis, aut Scholis Christianis exercent, judiciumque & censuram prophetiarũ illam iisdem Ministris, & Symmystis in Ecclesia ascribendam judicat.

Progredior ad Alterum Membrum accusationis.

Quo scribit Anonymus ex Grotio D. Sibrandum despicere Dominatum & potestates convitijs incessere. Atqui jam audivimus. D. Sibrandum istud crimen inficiari: videamus unde, & quibus testibus hoc probet. Hoc primum notandum est, verba istius gravissimæ accusationis sumta esse ex Epistola Iudæ Thaddæi; qui

inter cæteras falsorum vatum notas & istam recenset. Duo a. ipsius intendit, quæ se mutuò sequuntur. unum est, quod Dominatus aboleant, alterum quod Dignitates blasphement. Qui eò versaniæ provehitur, ut abrogatos velit Magistratus, necessum est, ut & ipsos blasphemiis proscindat. Illud alterum scripserat etiam D. Grotius pag. 14. cum dicit ex Exod. 22. 28. ipsum ἄρχοντας τοῦ λαοῦ εἴρειν κακῶς: quod tum in postrema sua editione expunxit, Apparet igitur ipsum calumniarum suarũ incipere pudere. Sed quod ad primum, cum τὸ ἀθετεῖν exponunt despicere, non satis exprimunt vim verbi. Nam ἀθετεῖν accipitur Heb. 7. 18. pro abrogare, abolere, & cassare, ut vulgò loquũtur. Ἀθέτησις μὲν γὰρ γίνεται προαγούσης ἐντολῆς Et cap. 10. 28. Ἀθετήσας τὶς νόμον Μωσέως Et cap. 9. 26. εἰς ἀθέτησιν ἁμαρτίας. I. ἀφαίρεσιν uti loquitur cap. 10. 4. 11. Hoc quidem verum est, istum qui Magistratus annihilat & abolet, etiam καταπατῆσαι, ἐνυβρίσαι istos: uti Heb. 10. 29. & Marc. 6 26 intelligi debet ista vox ἀθετεῖν: sed hic proprie pro abrogatione istius functionis accipienda videtur. Quapropter Apostolus non dicit κυρίους, dominos, qui in Magistratu sunt, sed κυριότητα ordinem ipsum Politiæ à Deo cõstitutum. In quo errore versantur nunc Anabaptistæ. Nam possunt alioqui multi convitiis incessere eos, qui Magistratu funguntur, qui tamẽ ipsum munus approbant. Neutrum a. de D. Sibrando vere dicitur. Quam reverenter n. de nostro Magistratu sentiat & loquatur, videre licet in Præf. ad Archiepis. pag. 25. p. 22. & alibi in præf. declarationis. Ex commentario ipsius ad errores Vorstij quædam loca producit Anonymus, unde istam calumniam suam probare annititur. *Primus locus extat pag. 836. Dolendum (inquit Sibrandus) Ordines Hollandiæ ab homine tam indocto & stupido decipi velle*; Sed quis sanæ mentis hic videat ἀθέτησιν καὶ βλασφημίαν Ordinum & Dominatuum Hollandiæ ab ipso D. Sibrando commissam? Non est vox blasphemiæ, sed cõmiserationis. Miseratur vicem Illustr. Ordinum; quod ita nimio isto Vorstii amore fassinari sunt, ut patiantur adeoque velint se ab ipso circumveniri & decipi. Miratur quoque Proceres istos, quorum pietas, peritia, dexteritas, & felicitas toti orbi innotuit, ita posse ab isto homine decipi. Agit autem hic tantum D. Sibrãdus de imperitia & inscitia Vorstii in cudendis Syllogismis præsertim

Actor. 23, 5.

ferrim in causa Prædestinationis. Dicuntur igitur hæc in Vorstiũ, non ni DD. Ordines, quibus, uti alias notat, iuramento suo ille imponere & per ψιθυρολογίας suas sub veri & boni specie fucum facere voluerit.

Quæ igitur hic abrogatio istius tam florentis Politiæ? Quod hîc convitium & dicterium? quod hic crimen læsæ maiestatis? Alter locus extat eodem libro pag. 841. *Dolendum est, inquit, esse inter Proceres Hollandiæ, qui Ecclesias his nænijs perturbari & distrahi patiantur.* Sed neq; hoc quod intendit probatur. Hic iterũ eadem vox συμπαθείας repetitur, *Dolendum* est &c. Loquitur n. ibi D. Sibrandus de syllogisticis Vorstij nænijs, quibus Ecclesias inquietari & distineri quiritatur. Non aspergit a. eapropter macula aut culpa ulla totum consessum aut Collegium Ordinũ. Dicit n. esse quosdã inter Proceres istos, non qui hoc faciant, sed qui patiantur hoc fieri. Aliud etiam est de quibusdam alicuius Ordinis, aliud de toto Ordine loqui. Cur igitur se ita transversum rapi sinit Anonymus, ut totum hoc collegium Illustre notari ab ipso D. Sibrando dicat? Distinctè & expressè satis designat non Proceres omnes, sed quosdam inter proceres. Non igitur & hoc ita sinistrè & malitiosè accipere debuit, quũ neque inde ullam petulantiam Ordinem istum convitiandi & abrogandi extundere poterit. Frivolum est, quod ex præf. ad Archiepis. pag. 29. protulit. Vbi: *Ipsi Ordines Politici*, ait, *quicquid hoc est* (de Episcoporum dejectione) *id fecerunt.* Agit n. ibi contra istos, qui Ordines Ecclesiasticos (intelligit a. Episcopos, Decanos, cæterosque ordinis istius Antistites, qui ex papatu resedui, Ecclesiam oppressérant) in Belgio, studio & opera pastorum Ecclesiarum Belgicarum de suo veteri statu deiectos contendunt. Falsò hoc ipsis imputari, & si quæ istius abolitionis causa investigari debeat, ipsis id Ordinibus politicis verius adscribi posse affirmat. & ut mentem suam clarius explicet, hæc ita pag. 30. 31. exponit: Cùm secessio à Rege Hispano esset facta, & omnia ad bellum spectarent, non bene cum ordine Ecclesiastico reliquis ordinibus politicis convenisse (intelligit per Ordines politicos, Nobilitatem & civitates) Nam cum politici animadverterent istos Ecclesiasticos gerere animos non alienos à Rege, neque ipsis fiderent, hoc operam dedisse, ut id hominum genus,

qui

qui Ordinem Ecclesiasticum representabant,& civilibus negotijs se immiscebant,vel ex authorarent,vel penitus è Repub. suâ ejicerent. Ex quo tempore ipsi politici ordines duó omne istud jus,quod isti Ecclesiastici in conventibus & comitiis habuerũt, sibi sumpserunt,cænobia demoliti sunt,eorumque bona ac census in fiscum redegerunt, & in usus necessarios Reipub. domi militiæque converterunt.Quæ igitur hic convitia,injuriæ,contumeliæ, quas Ordinibus Hollandiæ cum summo despicatu & contẽptu inflixit D. Sibrãdus? Tunc negas hæc ita in se habere? res ipsa loquitur in omnibus fœderatis provintijs hæc ita accidisse. Scio quæ D. Grotius cõtra ista cavilletur, sed illa sunt alterius loci. Nihil a hic à D. Sibrando scriptũ est,quod Ordines meritò offendere e possit, aut à vero alienum est, nisi mutatio totius Papatus,aut Reformatio nostra negetur & everiatur. Abrogation totius Ordinis Ecclesiastici cum publica Reipub. & religionis mutatione initiò coincidit,Sed hoc magis mirandum, quod D. Grotius illud in Ministros ipsos transcribere ausit, ut ita, scil. ipsis invidiam faciat apud Ecclesiam Anglicanam. Quidquid hujus rei sit,hoc saltem evincitur,nullam iniuriã, multò minus blasphemiam irrogatam esse Illust. Ordinibus Hollandiæ, aut aliarum fœderatarum Provintiarum.

Post hæc superpondii vicem accumulat Anonymus,quædam loca ex hac nuperâ ipsius responsione ad Pietatem D. Grotii. urget vocem *Nondum* in istis quæ pag. 45. scribit. Illustrium n. Ordinum animi *nondum* sunt satis præparati ad has blasphemas hæreses recipiendas. & pag. 20. Animi Hollandorum *nondum* satis præparati sunt,Cogitur igitur Vorstius sese *adhuc* inter Socinisticã κρύψιν continere,Sed quod hic crimen D. Sibrandi est. Non hic ingerit maledicta ipsis Hollandis aut Illustribus Ord. Hollandiæ,sed detegit vafritiem & dolum Vorstii,quem tempori servire dicit. Non scribit in Hollandos,sed in Vorstium hæc, ita tamen, ut Ordines cautiores, & circumspectiores efficeret, Quod si dixisset,iam animos ipsorum esse *infectos* istis hæresibus, *aut præparatos*, esset quod conquererentur. Sed qui dicit *Nondum* esse præparatos, ille liberat ipsos ab omni labe hæreseos. non diffiteor tamen ipsum innuere velle, id operam dare Vorstium,ut ipsorum animos occupare & præparare possit. Sed speramus,

ramus, adeoque confidimus ipsum hac in re frustra fore; Conatus & stratagemata Satanæ dudum nobis innotuerunt, quæ si non videamus & caveamus, iam capimur. Deinde congessit quædam ex pag. 24 & 31. *Vbi hoc accentatum fuisse scribit in causa Vorstij, Neminem condemnari posse nisi auditum: Itemque non debuisse in causa Remonstrantium, quæ delphis agitabatur, illos, qui de propositis quæstionibus postea cognoscebant, tergiversationi illorum patrocinari.* Sed an ideo debet arcessi læsæ Majestatis D. Sibrandus, quod in modo procedendi contra Vorstium, & Remonstrantes, præsertim in causa Delphensi sibi quædam displicere scribat? Annon illud notum est, quod ad Vorstium attinet, nihil eorum quæ contra ipsum dici poterant, dissimulasse apud Illust. Ordines Regem M. Brit. ac proinde, uti interpretatur D. Grotius, totam Ecclesiam Britannicam neque suo officio defuisse Ecclesias & Academias Reformatas ferè omnes in toto Christiano orbe, neque ipsos Lutheranos & pontificios subticuisse; Quis n. iam inter orthodoxos est, qui in Vorstium calamum suum non stringat? Quis non ex Reformatis Ecclesijs & schplis domi forisque conqueritur religioni Christianæ & Ecclesijs Belgicis propter Vorstium fædam notam inuri? Cur igitur D. Grotius & hic Anonymus iniurias & contumelias exterorum omnium non eunt vindicatas? Cur petunt & flagellant solum D. Sibrandum, eumque læsæ Majestatis postulant? Quis etiam tam vecors animi, qui cum legat omnium τῶν ἔξω scripta cótra Vorstium edita, non videat obliquè Illust. Ordines moneri sui officij? Et huc referenda sunt quæ ex pag. 106 109. notavit, ubi D. Sibrandus insinuare ex interpretatione Anonymi hujus videtur, Ordines non adeo detestari Socinianismum, neque ita seriò agere, ut istæ hæreses ex Academia exterminentur, sibiq; etiam dolere, hominem multarum hæresium manifestum publico stipendio ali ad hæteses suas disseminādas. Supponit n. D. Sibrandus ex testimonio suæ conscientiæ & aliorum ipsiusque adeo Regis Vorstium talem esse. Ex hac igitur sua atque aliorum hypothesi judicat non esse in Ecclesijs & Academiis Reformatis tales Doctores tolerandos, aut publico stipendio sustentandos. Appello etiam D. Grotij & Anonymi conscientiam, anne hoc optimum factum esse judicent? Saltem

Vir. iste honoratus qui Vorstio, cum initiò rumores isti de ipso passim inrebescerent, scribebat, *nobis astipulatur cum dicit, Amplissimi Curatores & Illustres Ordines nolle Ostoradianum, sed Christianũ professorem*, Quod & agnoscit ipse Grotius piet. pag. 8. & 9. lege & expende. Sed se necdum satis claris & sufficientibus testimonijs & judicijs Vorstium convictum videre regerent. Huc igitur quæstio revocanda est, An Vorstius multarum hæresium manifestus sit necne? Nam jam inter D. Sibrandum & D. Grotium aliosque hactenus convenit, ut si talis esse convincatur, dimitti debeat? Non est a. hujus loci, neque meum, in ipsum hoc tempore palam inscribere: sed hoc tantum aio, testimonia orbis universi non posse, neque debere sic tam obstinatè & superbè rejici, aut flocci fieri. Audiantur Britanni, Heydelbergenses, Basilienses doctores Reformati, Moguntini, Colonienses, Antverpienses, Ingostadienses Iesuitæ: Giessenses & alij Lutherani. Quod si sedata, & pura mente χωρὶς προκρίματος, & non κατὰ πρόσκλισιν istis monitoribus aures præbeãtur, non dubito quin contra D. Sibrandum in posterum æquiores futuri, neque aliis præteritis ipsum solum perituri, aut iniuriarum & convitiorum summo Magistratui factorum postulaturi sint. Quod si etiam ita, ut D. Grotius & Anonymus faciunt, omnia verba ad trutinã semper appendenda erunt, quis unquam ab omni culpa immunis esse posset? verè D. Iacobus Cap. 3. vers. 2. docet hoc: Πόλλα γὰρ πταίομεν ἅπαντες, εἴ τις ἐν λόγῳ οὐ πταίει, οὗτος τέλειος ἀνὴρ. Sed talibus censoribus hoc usuvenit, quod nonnullis curiosis nostri tẽporis Criticis, qui cum syllabas & litteras frustrà aucupantur, nihil aliud quam vento pascuntur. Aranea etiam est sugere venenum unde apis suum mel facere solet, Benè olim dictum, quæ dextra traduntur, ea sinistra plærumque accipi. Sed cogitare debebant illud Apostoli: Ἡ ἀγάπη οὐ παροξύνεται, οὐ λογίζεται τὸ κακόν. Necesse igitur est, ut ubi caritas deficit, eo omnium rerum & verborum perversa, & distorta interpretatio irrumpat.

Sed pergamus Ad tertium Caput.

In eo hoc notatur ab Anonymo, quod D. Sibrãdus in eadẽ præfat.

fat. ex pietate D. Grotii excerpserat, inquiens. *Dicit me scribere Curatores Academiæ Leydēsis, Consules Leydenses, & Ordines Hollādiæ in eo esse, ut hæreses in Ecclesiam introducant. Sed hoc esse æquè vanum, aut etiam vanius quam illud prius, mei libri testantur.* Primum negat Anonymus hæc bona fide ex Grotio descripta esse à D. Sibrando. Nam ait D. Grotium non scribere, quod D. Sibrandus hæc dicat, sed scribere tantum ipsum, esse quosdam in eo ut hæresin invehant, & alendæ pesti manum porrigant, idque ab ipsis magno studio & contentione agi. piet. pag. 3. quæ sunt ipsa verba D. Sibrandi in præfat. Accipimus, quod largitur Anonymus: nimirū D. Sibrandū non nominare ibi Curatores Consules & Ordines, sed tantum indefinitè de quibusdam locutum esse. Sed cognoscamus porrò, quam sibi constet hîc Anonymus. Nam mox addit Grotium interpretatum esse ibi vocem hanc, ita ut per istos (quosdam) à D. Sibrando designatos reos scribat etiam Curatores, & Ordines. p. 3. Cur igitur id antea negavit? Sic n. ait expressis verbis. Non dicit Grotius hæc scribere Sibrandū. Atqui jam fatetur Grotium dicere hæc scripsisse Sibrandum in ista Præfatione. Quomodo igitur hæc conveniunt? Sed non est quod effugia conquirat pro tuendo Grotio, fateatur per nos licet rotūdè, D. Grotium scribere, quod D. Sibrandus ista, quæ ibi narrantur dicat. Nam hoc verissimum est. D. Grotium ibi pag. 3. apertè dicere D. Sibrandum istius tanti criminis reos destinare etiam Curatores & ipsos Ordines. Quia a. jam videt Anonymus D. Sibrandum constanter hæc inficias ire, debuit hoc crimen, quod ipsi à D. Grotio delatum est, solide convincere. Ne a. ipse in molestias eas sese immergat, provocat ad Joh. Arnold. quem isto labore pro D. Grotio & se bellè perfunctum esse autumat. Remittit igitur lectorem ad ipsius scriptum, quod nuper adversus D. Bogermannum emisit, & pag. 18. 19. 20. 21. hoc verissimū esse, quod D. Grotius dixerat, ab ipso ostensum esse affirmat. Etsi a. spero D. Bogermannum propediem vanitatem istam calumniæ publicâ Apologiâ solidè demonstraturum, atque ita planè περιεργον & præter officium esset falcem in alienam messem mittere: non puto tamen D. Bogermannum indignè laturum, si quædam delibem, & clarè ostendam manifestam D. Sibrando injuriam fieri, Hoc est τὸ κρινόμενον, An cum aliis etiam *Ordines* sint

ii ipsi, quos D. Sibrandus in præf. pag. 4. & 6. dicit in eo esse, ut hæreses in Ecclesiam introducant, & alendæ pesti isti manum porrigant? Non de curatoribus & consulibus, sed propriè de Ordinibus ipsis instituit ibi disputare Ioh. Arnoldi. Hunc igitur secuti affirmamus ea ipsa quæ ibi D. Sibrand. de *Quibusdam* dixit nulla ratione asscribi posse Illustr. Ordinibus, eosque ibi non nominatos, neque designatos. Patet id ex toto orationis filo & contextu. Nam statim pag. 5. scribit Sereniſſimum Regem M. Brit, eo tempore cum quidam in eo essent, ut hoc faceret, quod iam memoratum est, monuisse per legatum Ordines Generales, ut hominem hæreticum (Vorstium scil.) à professione Theologica arcerent. Vorstium igitur ibi primo notat & ipsius complices, quos Socini & Serveti hæreses ex inferis revocare, ijsque Ecclesias disturbari scribit D. Sibrandus. Neque etiam de Ecclesijs Batavicis, sed omnibus reliquis agit, quæ nimirum sunt in fœderatis Provintiis Belgicis. Existimat n. tunc aut judicat remoto solo Vorstio omnes istas Ecclesias immunes, & securas in posterum futuras. Ead. pag. scribit etiam Regem supradictum tam viriliter hanc causam gessisse, ut eos, qui Scholarchis Leydensibus auctores fuerunt, ut has faces incendiarias immitteret in Ecclesias Belgicas, puderet.

Tantùm igitur abest, ut ipsos Ordines Hollandiæ notare velit, ut ne quidem ipsos Scholarchas notasse putandus sit. Pag. seqq. clarum discrimen apparet eodem in loco, quem allegant. *Nam dicit, cum sub manu esset ea res, ut hæresium plenus doctor* publica authoritate *collocaretur ad docendam Theologiam in Academia, eaque res tanta contentione ac studio nonnullorum ageretur, &c.* Si enim velint intelligere publicam authoritatem Ordinũ Hollandiæ, non sanè eosdem Ordines possunt dicere esse eos ipsos *nonnullos*, quorum contentione & studio hæc res agebatur. Sensus enim est Ordines ipsos fuisse summis viribus instigatos ab alijs, qui nec authoritati, nec consilio, neq; rationi cedebant, ut sua authoritati ipsum ὑποτύπωσιν, ut utar veteris Ecclesiæ vocabulo. Pag. 13. omnium clarissimè mentem suam explanat. Nam cum dixisset de ijs, qui alendæ huic pesti in his Provintijs manum quoquo modo porrigant; scribit *eosdem illos*, (nota) *& quotquot ad gubernacula sedent*, &c. melius Reipub. consulturos, si

id ope-

id operam dent, ut illi qui ἑτεροδοξα docent, publica authoritate non introducantur, aut in cathedris non collocentur, &c. vides hic distingui eos, qui manum alendæ pesti porrigãt ab iis omnibus, qui ad gubernacula Ecclesiæ sedent. Non igitur ipsi Ordines à D. Sibrando designantur, qui introducere velint hæreses, easque foveant & alant. Ead. pag. iterum discernit Curatores Leydens. Acad. ab iis qui ipsis auctores fuerunt, ut vocarent Vorstium. Pag. 14. loquitur quidem seorsim de Scholarchis, qui ipsum vocarunt, sed eos excusat, quod initiò Vorstium non ita examussim norint, etiãsi dicat post tot admonitiones *nunc* nihil reliquum ipsis esse, quod prætendere possint. Neque igitur sunt ij ipsi inter eos *Quosdam*, aut *Nonnullos* numerandi, qui initiò hæreses magno studio & contentione introducere voluerunt. loquitur n. D. Sibrandus de iis, quos putat studio & dedita opera in istam rem incubuisse: sed neque ipsis Scholarchis teste ipso Sibrando compertum fuit initiò de hæresibus Vorstij, multò minus Illustr. Ordinibus. Quopacto igitur & illi hoc summis viribus contenderint, ut hæreses invehantur palam in Ecclesias? Non hoc scripsit, non hoc sensit D. Sibrandus, quum ista diceret. pag. 15. & reliquis seqq. pag. de Ordinibus Hollandiæ incipit scribere, verum ea huc non spectant, sed potissimum loquuntur de modo procedendi, qui ab ipsis Ordinibus diu post vocationem Vorstij, atque alias omnium admonitiones contra ipsum in suo Ampliss. consessu fuit institutus: Neque enim ipsi puto vitio vertendum esse, quod candidè & liberè ut Doctorem Theologiæ decuit, scribat sibi modum istum procedendi displicere. pag. 16. *Sanè Rex ipse, & multi alij extra Provintias, non obscurè significarunt, multò circumspectiùs & maturiùs causam Vorstij agi & absolvi potuisse.* Quod si igitur ideò deliquisse in Ordines videatur D. Sibrandus, hoc ipsius utique erit peccatum, quod Regis & aliorum. Nihil enim aliud in ista tota præfat. extat, quod speciem aliquam peccati in Ordines commissi secum trahere possit. Quod autem Ioh. Arnoldi citet ex pag. 22. Ordines debere cavere, ne sua authoritate introducant Doctores Hæreticos, ideò quod sint custodes utriusque tabulæ, non iuvat ipsum. Non enim dicit Ordines summa contentione hoc egisse, ut introducerent, sed id muneris à Deo ipsis impositum

esse, ne introducant, hoc est, ne in posterum hoc faciant; Nullius momenti est, quod ex pag. 15. allegat Orationem istam Apologeticam, quam in consessu Ordinum habuit, jussu superiorum (maiusculis sunt ista verba expressa) *prout Oratio præ se fert*, editam. & quod scripserit pag 16. *illis apud quos dixit, satis esse*, quod iuramento se in ista oratione aliquoties purgare voluerit. Nam hæc omnia ad istum procedendi modum spectant, qui in audiendo Vorstio homine ex æquivocationum & sophisticationum tricis consuto institutus fuit. Maiusculæ autem istæ non sunt nota sarcasmi, uti Ioh. Arnoldi more suo interpretatur, sed dubitationis & admirationis. Videtur enim D. Sibrandus dubitare, an hoc ita se habeat. Nam addit (ut oratio præ se fert) Deinde miratur jussu & consensu Ordinum hanc orationem vulgatam esse, cum non libenter ea quæ in consessu suo agitata sunt, in vulgus spargi, & publico ostendi patiantur. Neque tamen inde voluit colligere D. Sibrandus, Illustr. Ordines introduxisse, aut introducturos furores Socini & Serveti in Ecclesias: sed hoc tantum, Vorstium istum consensum superiorum suorum impetrasse, ut oratio ista imprimeretur: lege enim cautum erat, ne quid ex istis eristicis scriptis sine Ordinum mandato excuderetur. Falsum quoque est, quod scribit Vorstium Ordinibus iudicio Sibrandi satisfeciss, apud quos dixerat. Dixit enim D. Sibrandus tantum *hoc satis* esse, nimirum quod iuramento adhibito de essentiali omnipræsentia Dei negarat, quæ tamen ante scripserat Vorstius. Plus autem est, si dicas in genere, aut indefinitè ipsum satisfeciss Ordinibus, quam, hoc tantum in specie fuisse satis ipsis. Quo pacto enim potuit dicere D. Sibrandus Vorstium ipsis satisfeciss, cum ad calcem istius orationis legerit, ipsis Ordinibus *Ampliandum*, aut amplius, *deliberandum* esse? Hoc igitur solum scribit *videri* ipsis tunc satis esse, quod iuramento negabat dicta quæ dixerat, eoq; modo ipsis imposuisse. Nam si alios Theologos adhibuissent, istam larvam ipsi facilè detractam fuisse putat. Quæ ibid. ex pag. 25. immiscet, ubi hæc verba. *Si omnium Doctorum, Pastorumque & Ecclesiarum judicia contemnere perget Vorstius, & superiores (iterum per majusculas) eum in ista superba pervicacia, & effreni superbia tuebuntur & defendent, nihil supererit, quam ut lugeamus calamitatem & miseriam*

miseriam florentissimarum Ecclesiarum, & totam rem divino judicio committamus, nihil detrahunt honori & Majestati ordinũ. Non enim hîc dicit Ordines ipsum Vorstium defendisse, aut tutatos fuisse, neque defensuros aut tutaturos, sed cum ista conditione (si ipsum defendent & tuebuntur) Neque etiam scribit, si ipsum defendere pergant, quemadmodum de Vorstio ibi loquitur, si judicia omnium Ecclesiarum contemnere *pergat*, sed solummodo in futuro & sub conditione, si ipsum defendent & tuebũtur. Conditio a. nihil ponit.

pag. 21. idem Ioh. Arnoldi attexuit quæ leguntur in ead. præfat *pag. 28. in hunc modum: utinam verò Ordines Hollandiæ, quemadmodum in illo priori Comites Benthemicos imitati sunt, ita eosdem in hoc posteriori facto imitari vellent: sic enim ipso facto ostenderent incolumitatem Ecclesiarum verè sibi cordi esse.* Duo videtur dicere, aut potius optare D. Sibrandus: unum est, ut ipse Vorstius ablegaretur Heydelbergam ad causam dicendam; alterum, ut solennis visitatio institueretur, & Pastores ab ipso Vorstio hæresibus imbuti dimitterentur. Vtrumque dicit fecisse Comites Benthemicos, primum illud Comitem seniorem Aº 1599. 26. septemb. alterum Comites hos juniores Aº 1614 post discessum Vorstii. Anne igitur tanti criminis reus D. Sibrandus peragitur, quod optaverit etiam ista fieri ab Ordinibus Hollandiæ in hac eadem causa, eodemque homine? In uno facto dicit imitatos fuisse Ordines ipsos Comites; & alterum ut imitari vellent optat. Cur non liceat ipsi hoc optare, cum in istis medijs incolumitatem & salutem Ecclesiæ sitam esse judicarit? Scio quàm indignè & falsè rideat Vorstius istud factum visitationis Comitum Benthemicorum, atque eapropter dignitates & Magistratus suos convitiis incessere ipsus meritò dicendus est. Ostendit etiam, quid dicturus esset in ipsos Ordines Hollandiæ, si non ipsius voto aliquid concedere viderentur.

Hæc sunt, quæ ex ista dedicat. Epist. ad Archiepis. Iohannes Arnoldi produxit eo fine, ut inde ostenderet D. Sibrandũ atrox istud crimen de introducendis hæresibus Socinianis in Ecclesias Belgicas ibi Illust. Ord. Hollandiæ intentasse, sed quam feliciter & fideliter hoc fecerit, jam vidimus. Quæ autem hîc apud ipsum sequuntur ex aliis locis huius libri, ad illa modo respon-

di, neque

di, neque etiam huc faciunt. Nam in istis locis nihil de Socinianismo aut Servetismo introducendo. Quod tamen præcipuè controvertitur inter D. Grotium & D. Sibrandum, ut antè docui. Quæstio enim hæc est. An D. Sibrandus in ista Epistola designarit per illos *(quosdam)* qui furoribus Serveti & Socini Ecclesias Belgicas conturbare & inficere satagunt, etiam Illust. Ordines Hollandiæ.

Recenset loca nonnulla, quibus mentio DD Ordinum fit, sed non cum isto crimine. Et hoc notandum venit, ipsum Joh. Arnoldi, cum hac de re institueret agere, sibi conquisiviſse duo effugia. Mus enim uni non fidit antro. Primum est, quod dicit pag. 18. D. Sibrandum scribere ipsos Ordines συνευδοκεῖν hæresin Socini palam introducentibus. Alterum est, quod pag. 19. scribat D. Sibrandum de ipsis DD. Ordinibus non benè suspicatum fuisse. Atqui, mi Corvine, non putabam te de συνευδοκίᾳ introductionis, sed de ipsa introductione hæresium, neque suspiciouibus velle agere, sed claris demonstrationibus, quæ luce meridiana clariores esent, uti scribis pag. 21. Sed ne ulterius in hac causa, quam D. Bogermanno reservo, provehar, dimitto jam Corvinum, & redeo ad Anonymum meum, à quo tamen prolectatus hoc debui in Corvinum dicere, quod iam dixi, vel saltem ut unâ operâ docerem frustra hunc Anonymum sibi subsidiarium vocasse Corvinum, & utrumque à D. Grotio seductum mala fide in D. Sibrandum agere.

Pergo ad Quartum numerum.

In quo notata sunt hæc verba D. Sibrandi: Addit (scil. Grotius) me dicere Ordines Hollandiæ esse auctores scelerum, ingenii petulantes & in Epist. Antisocini præfixa. p. 2. Carpit hic primum Anonymus, quod non benè verba Grotii recitaverit D. Sibrandus, Dicit enim Ordines non nominatos sed designatos ab ipso pag. 6. Sed cui bono, quæso, reponit, quæ præcedenti capite oggesserat. Cur hisce vanitatum quisquiliis ita affixus hæret? Cur primum hasce ansas D. Sibrandum calumniandi captat, ut deinde rimas crimen istud calumniæ declinandi tam anxiè conquirere opus habet. Novit D. Sibrandus excusasse quidem

quidem se D Grotium dicto loco, quod non nominarit, sed designarit Ordines; sed cum addiderit eos ita designasse, ut postea in Epistola ad Archiepiscopum clarè interpretatus sit, eosque quasi intento digito & nomine monstravit, atque etiamsi non ita fuisset interpretatus, intelligeret tamen quivis, in quem ista venenata tela jacerentur, miror, cur ista excusatione, aut λεπτολογίᾳ usus fuerit D. Grotius! Nihil igitur falsè hic commisit D. Sibrandus: Falsum enim non solum in verbo, sed sensu committitur. Sensum ponit hic D. Sibrandus, licet verba mutarit, D. Grotius negat Sibrandum istos nominasse. D. Sibrandus ait Grotium scribere, se *DIXISSE* DD. Ordines esse auctores scelerum. Quæ hæc puerilis nænia! Nam cum D. Sibrandus eos ita clarè designarit, uti fatetur D. Grotius, cur non etiã *DIXIT* eos tales esse? Sed ad rem. Negat utcumque D. Sibrandus & nominasse DD. Ordines, & quoque eos designasse isto loco. Sed quibus testibus, & indicibus contrarium convincit Anonymus! Hic domi nemo comparet. Foris apud eundem Corvinum eos quærit, sed vereor, ut sint bonæ fidei. Hic iterum manus conferenda mihi cum Corvino, sed leviter & breviter res transigi potest. Corvinus hîc ex instituta analysi istius prioris partis Epistolæ conatur demonstrare D. Sibrandum oculos & mentem conjecisse in DD. Ordines Hollandiæ, cum ista scriberet, quæ modò recitata sunt: Sed nimis longè arcessit hæc à summis Magistratibus Christiani orbis per gradus ad Magistratus Hollandiæ descendendo. Observat ille D. Sibrandum de duplici hominum genere loqui, quorum unum est politicum, alterum Ecclesiasticum. Quæ in Politicos stringit, ea quadrare in summos Magistratus. Sed quia de litibus in doctrina agit, quæ in Belgio ortæ sunt, illudque Socini furoribus concitari dicit, D. Sibrandus, infert ista omnia Belgii Magistratui applicanda esse. verum cum non possit Belgium Antichristianum aut Pontificium intelligi, necessum esse dicit, ut intelligantur Magistratus Belgii Christiani, aut Reformati. Denique quia istud hoc Belgium unitum habet suas Provintias & Rectores proprios, scribit nullam aliam Provintiam esse, in quam ista pro tempore hoc competere possint, quam in Hollandiam, ejusque Rectores. Bella gradatio. Tantæ scil, molis erant struere hanc tam putidam ca-

lumniam uno verbo respondeo, Nullos Magistratus hic notari, multò minus Magistratus Hollandiæ, qui tunc alendæ pesti Socinianæ manum porrigere velint. Posem dicere ex hyhotesi ipsorum hoc convinci. Volũt siquidem ibidem notatos esse etiã Arminianos, quos Eusebios, horum temporum aulæ insidias &c. à D. Sibrando vocari suspicantur. sequitur enim inde ex altera parte Ordines Hollandiæ comparatos esse cum Constantino Imperatore, in cuius aulam se insinuabat Eusebius ille Nicomediensis Episcopus. Si enim illi erunt Eusebii nostrorum temporum, annon & isti erunt Constantini nostrorum temporum! Quomodo a, jam ista de quibus initiò Epistolæ istius cõqueritur D. Sibrandus, quadrabunt in Constantinos istos nostros? Sed hoc dico, Temporis quo ista Epistola ædita est, rationem refellere ipsum. Nam ex subscriptione apparet, scriptam esse Anno 1611. 19. Febr. Iam notum est tunc causam vocationis Vorstii necdum ad Illust. Ordines Hollandiæ devolutam fuisse. Hoc apparet ex Epist. D. Wtenbogardi ad Vorstium scripta, quinque fere menses post Epistolam D. Sibrandi, in qua D. Wtenbogardus inter cætera hunc in modum scribit: *Iam verò tibi pro tua prudentia cogitandam relinquo, quid de te, de nobis, de publica denique illa causa cogitaturi, dicturi, judicaturi sint passim cũ fratres, tum Amplissi. Curatores, ipsi denique Illustres Ordines, ista si vera, quod absit, compertiantur.* Insecuta mox legatio ea de causa DD. Curatorum & Consulum Leydensium ad Vorstium in Transisulanam Provinciam, ejusque Vorstii responsum ad Curatores & Consules Leydenses testatur quoque eo tempore necdum ad DD. Ordines ipsos cognitionem istius negotii fuisse derivatam Verum quidem est, eodem anno in Aprili institutum fuisse Hagæ colloquium inter Vorstium & 6. istos Ministros Reformatos coram Ordinibus, sed de communicationibus istis Vorstii cum Socinianis nihil tunc dum increbuerat. Quare non potuit D. Sibrãdus tunc cum istam Epistolam exararet, in ipsos Ordines, in quorum manibus hoc negotium nondum erat, aut qui eo nihil quidquam egerant, hæc stringere; Quæritur igitur, quos ibi designet? Explicet hoc D. Sibrandus si, ipsi ita visum fuerit: Imo in Epistola illa se explicuit, *cum appellat eos in genere Epicuræos, & Libertinos, qui Politici audire volunt.* Et in Præfat. Responsionis

huius

huius ad Pietatem Grotij, ex qua hosce suos numeros collegit Anonymus, ipse fatetur, *Tantum abesse, vt ista de Ordinibus Hollandiæ scripserit, vt pervetuam Ecclesiæ miseriam, cum qua illa semper conflictata est deploraverit, productis variis exemplis veteris & nostræ Ecclesiæ.* Tune Corvine negabis cum istis monstris nunc etiam conflictari Ecclesiam? & tales Epicuræos & Libertinos, qui sub nomine Politicorum latent, esse in Belgio hoc nostro & alibi? Si ais, cur vitio vertis & succenses quod in istos invehitur palam Dr. Sibrandus? An præter officium boni viri & fidi Doctoris illum fecisse dices? Næ tu nimium Moderatus Doctor qui pulvillos id genus hominibus subjicias! Sed forsan tales nusquam tibi comparent. O felix Belgium nostrum fœderatum! Quod autem istis jungit, quæ in Præfat. ad Airhiepis. post biennium scripsit D. Sibrandus, atque ita ex hisce velit ista interpretari, elenchum committit compositionis. Non n. hæc omnia connecti debent, quæ tam diverso statu & tempore de diversis scripta sunt: Alia n. tunc temporis ratio fuit, quam nunc. Meminit quidem subinde in hac ultima Epist. DD. Ordinum Hollādiæ, sed non cum istis criminibus, quæ ipsis imputata dicunt, sicuti iam supra docuimus, neque cum ista clausula, qua lectorem ad Epistolam istam priorem Antisocino præfixam remittat. Quid igitur supereſt, quam ut hic Anonymus cum suo Corvino erubescat deprehensus manifestæ ψευδολογίας καὶ σφαλότητος quam in sensu D. Sibrandi verborum commiserat seductus à suo Grotio? Sed nihil falsius & vanius quam quod ibid. ab Anonymo adiectum est, Ipse Sibrandus, inquit, infra. pag. 13, non negat Ordines à se designatos, sed ait *non præter cæteros esse illos designatos* verba eius ita leguntur. *Tantum enim abest, ut hos vel illos præter cæteros designare voluerim, ut in animo habuerim ostendere, quænam ab initio usque ad hæc tempora fuerit Ecclesiæ miseria.* Quid erit verba invertere & torquere extra scopum & mentem authoris, si hoc non est? Non dicit D. Sibrandus præter cæteros, etiam Ordines à se designatos, sed rotundè iam antè negat à se voluisse istos designari. Verba igitur ista ita resolvi debent. Nolui hos vel illos *præter cæteros* designare. Nam si hoc voluisset exprimere, quod ipsi affingit Anonymus, ita debuisset dicere, Nolui hos vel illos Ordines solos sine reliquis designare,

gnare, hoc est, Ordines solum non vocantur à me in crimen, sed præter istos etiam cæteri. Sed contra pag. 14. mentem suam statim ita apertè exposuit, ut planè depuduisse oporteat, qui aliter dicant. *Ordinum verò*, inquit, *sive Rectorum Hollandiæ tota Epistola ne memini quidem, & non erubescis scribere me Ordines Hollandiæ, quorum ne quidem memini, his querelis designasse?* Intolerabilis igitur & manifesta perversio & falsitas.

Quintò.

Et in hæc D. Sibrandi verba inquirit, quæ ibid. extant: *Ego non risi, neque subsannavi Ordines.* Nam ut D. Grotium, qui hæc de Sibrando dixerat, defenderet Anonymus conatur in sua antithesi ostendere verissimè dictum esse à D. Grotio. Nihil hic quidem de suo præposuit, neque quidquam de falsitate aut mendacio D. Sibrandi intexuit, sed nuda quædam loca ex Sibrandi Epistola ad Archiep. adscripsit. Hoc tamen arbitror ipsum ideò feciſse, ut doceret D. Sibrandum risisse & subsannasse Ordines. Primus locus extat p. 16. ubi scribit D. Sibrandus, *Hoc videri illis, apud quos dixit* (hoc est Ordinibus Hollandiæ) *satis esse.* Sed quis hic risus aut contemtus? Annon licet opiniones aliorum recensere? D. Sibrandus refert DD. Ordines opinari, satis fuisse pro eo tempore sibi iuramentum Vorstii in ista causa de infinitate Dei & satisfactione Christi. Non sanè D. Sibrandus ideò DD. Ordines subsannavit, sed rectè scribit Vorstium eos risisse, & naso suspendisse, quod iuramento adhibito negaverit, quæ tamen antea docuerat. Vide pag. 17. & 21. Præfat. ad Archiepiscop. Deinde vult notari maiusculas in vocibus *superiorum, & superiores*, pag. 15. & 17. in præfat. Sed in istis nulla causa aut species risus & subsannationis conspicitur. Dixi supra maiusculis ista fuisse expressa, ut à lectore propter causas ibi commemoratas notentur. Ex eadem etiam Præfat. p. 21. citat hæc verba Sibrandi: *Quantò satius fecissent Ordines, si adhibuissent viros controversiarum peritos.* Vnde putat manifestum esse, D. Sibrandum irrisisse Illustr. Ordines veluti Theologicarum rerum imperitos. Sed quam malè hæc torqueantur, malo hoc D. Sibrandi, quam meis verbis ostendere. Prolixè enim de istis

agit

agit in Responsione sua ad Pietat. Grotij. p. 52. 53. 54. 55. 56. Inter cætera p. 54. sic scribit: *Nondum disputo benè an malè scripserim? sed an ita scripserim? Tu ais, ego nego, ut quilibet videat tune an ego veritatem dixerimus? Non dixi Ordines ad eam cognitionem nullos viros controversiarum peritos adhibuisse, et Conradum propterea illusisse illorum inscitiæ: sed dixi, Conradum ostendere voluisse se judicare Ordines ne minima quidem harum rerum scientia præditos esse. Non dixi Ordines esse harum cōtroversiarum imperitos, sed dixi Conradum reipsa ostendisse se judicare Ordines non esse harum controversiarum peritos: Inter hæc duo magna est differentia. Illo enim dicitur Sibrandum fecisse: hoc verò id Conradum fecisse dicitur.* Et pag. 55. *Nihil enim affirmo neque dico (cum nimirum ita loquor) quid fecerint vel non fecerint Ordines, sed tantum modestè ostendo, quid ego optaverim: Neque puto ex omnibus Ordinibus esse quemquam, qui hoc meum votum aut desideriū in malam partem interpretari velit aut possit.* Quid clarius & syncerius? Annon igitur impudentem & nimis confidentem se præbet Anonymus hic, quod post hāc tam luculentā, & apertā ipsius auctoris explicationem quam sinè dubio legerit, adhuc ausit D. Sibrandum ejus criminis reum apud Illust. Ordines arcessere & invidiam ipsi conflare. Mira hæc perversitas. Sic enim D. Grotius in pietate sua pag. 14. prior scripserat: *Sibrandus dicit derisos à Vorstio Ordines, subsannatos, naso deniq; suspensos. At quid est irridere Ordines, quid est ἄρχοντας τοῦ λαοῦ εἴρειν κακῶς si hoc non est?*

At mi Groti, quid est pervertere, & sophisticè depravare verba Sibrandi, si hoc non est? Quæ enim ista sequela? Sibrandus dicit Vorstium risiste & subsannasse Ordines. Ergo ipse Sibrandus risit & subsannavit eosdem Ordines. Non sanè stringuntur hæc in Ordines, sed in Vorstium, imò ipse Vorstius gravissimè eam ob causam accusatur. In eadem præfat. pag: 27. dicit etiam D. Sibrandus Academiam Heydelbergensem nequiter à Vorstio Anno 1599. in solenni hæresium suarum revocatione deceptam fuisse. Quid si dicerem fuisse ab ipso derisam? Atque adeo & ipsos Comites Benthemicos iuniores ab ipso subsannatos & deceptos? Quis inde inferet D. Sibrandū aut me ipsam Academiam Heydelbergensem & Comites risui habuisse, nisi qui ipse ab omnibus rideri velit? Annon D. Wtenbogardus in suis ad Vorstium literis & ex ipso D. Grotius pag. 8. retulit

monitum fuisse Vorstium, ne Ordinibus & curatoribus *Imponeret*. Grotius denique p. 16. supponit hoc; Etiamsi Ordines sua bonitate *decepti minus* quam oportebat de quopiam sensissent, non tamen ἑτεροδοξοι censendi forét. Et quod ad rem ipsam attinet, legantur, quæ D Sibrãdus in Respon. sua ad Pietat. Grotiã p. 56. 57. & seq. usque ad p. 80. fusissimè disseruit, & apparebit. illustribus Ordinibus à Vorstio in sua Apol. Orat. impositum fuisse, eosque derisos, subsannatos & naso suspensos. Quod in fine repetit Anonymus, quæ numero 2 allegavit, ea ilico in loco discussa & ad mentem authoris accuratè explicata sunt.

Numero sexto.

Notavit Anonymus hæc verba Sibrandi ex pag. 3. *Cùm in animo haberet Grotius Conradum commendare, Conradum immodicis laudibus effert.* Ad quæ scribit utrumque falsum esse, tum de animo, tum de laudibus. *Nihil aliud agere Grotium, nisi ut ostendat tempore vicationis causas probabiles fuisse vocandi Vorstij, & postea justas causas illum audiendi, eumque dicere Vorstium nec laudatum, nec absolutum.* p. 9. Hic crimen falsi impingitur D. Sibrando propter duas causas. una est, quod dixerit Grotium voluisse Vorstiũ commendare. altera est, quod ipsum immodicis laudibus extulerit. Quod ad primum, verum est de animo alterius nulli mortalium constare, sed tantum isti, qui καρδιογνώστης est. Interea & hoc verum est, ex dictis factisque intimos animi recessus recludi & coargui posse. An probabiles causæ vocandi Vorstii fuerint, non disputo: hoc tantum dico, ipsum ab iis, qui Arminio addictiores commendatum & summis votis expetitum fuisse. Nisi n. in huius Athlantis humeros post obitum Arminii, causam suam laborantem rejicere tutum & utile iudicassent, abstinuissent ab ipso promovendo. Cur enim vir quidam clari nominis Vorstio scribit, *nihil boni de causa sua publica, quam læta coram Deo consciẽtia sustinẽt, cogitaturas Ecclesias & Ordines, si de Socinianismo ipsius certa esse comperirentur, quæ vulgò spergebantur*? Insimulaverat enim jam se Vorstius in eorum gratiam dedicatione sua ad DD. Ordines præfixa Antibellarmino suo contracto, in qua *de prophetia libertate, de Diotrephis, de Scriptorum humanorum vinculo, de authoritatis*

humanæ

humanæ idolo, aliisque nonnullis ita diſseruit, ut quivis videre poſsit fidelem ipſis navaturum operam, & quaſi alterum Herculem ἀλεξίκακον futurum. Hoc fatetur ipſe Grotius pag. 7. *Hæc admonitio* (loquitur de iſta præfat.) *mitibus ingeniis, & rixarum fugientibus auctorem conciliabat.* Fuit quidem Vorſtius ob inconſtantiam & lubricitatem ante Eccleſiis ſuſpectus, non ſolum noſtris, ſed & ſuis Benthemicis, priuſquam ad Profeſsionem hanc vocaretur, ſed toleratus tamen hactenus fuit. Continuit enim ſe tunc aliquantulum, donec effractis repagulis in latiſsimum hūc errorum & hæreſium campum palam effuſus eſt. An autem, & quid D. Grotius in ipſo commendando cum aliis fecerit, non inquiro, ſed hoc dico, nihil aliud oſtendere ipſius Pietatē quam encomia & defenſionem Vorſtii: Pag. 5. ſcribit quidem ſe Vorſtium defendendum non ſuſcepiſse, neque committere, ut legitimæ cognitioni, quæ de Vorſtio haberi cepta, nondumque finita eſt, quicquam præjudicet. Similem in modum præfatur Gorvinus p. 2. videntur iſti Rhetores uti παραλείψεως ſchemate. Nolunt agere, quod maximè agunt. Nam quum ea omnia aut elevare, aut diluere tentant, quorum à Sereniſs. Rege Britanniæ, D. Sibrando, Miniſtris Leowardisnſibus, ipſiſque ſuarum Eccleſiarum paſtoribus admoniti fuerant Illuſtres Ordines, quid aliud, quam commendationi, laudationi & promotioni Vorſtij viriliter inſiſtunt? Fidē habendā eſſe Vorſtij negationibus & iuramentis volunt. Nullas etiam tergiverſationes, effugia, aut contradictiones in ipſo videre poſsunt: Nonnulla ferè, quæ ipſi opponuntur, calumniæ, bili & zelo deputant. *Omnia* non audet D. Grotius dicere, ut ita in cryptam ſuam ſibi aditus aut receptus maneat. Sin etiam Vorſtij defenſio non eſset ipſis cordi, cur tam effreni protervia in D. Sibrandum ipſius antagoniſtam involarent? obtendunt non Vorſtij, ſed Illuſtr. Ordinum cauſam ſe agere. At interea ſub clypeo iſto rutò & ſecurè deliteſcit ille, quem legatus Regis Brit. honorarium Profeſsorem Batavicum vocat. Mirum ſtratagema; Vorſtius hactenus ſolus petitus, impugnatus fuit ab D. Sibrando, Rege, alijſque fidis paſtoribus. Nunc alij, authore D. Grotio iactitant non Vorſtium, ſed DD. Ordines peti & impugnari, adeoque non propter Vorſtium Ordines accuſari, ſed propter Ordines Vorſtium

stium, Piet. p. 6. Atque ita causa Vorstij facta est Ordinum causa, atque in eos derivata. Duo compendii faciunt lucra isti hac ratione. Nam ut nihil dicam de Rege, alijsque Ecclesijs & Provintijs fœderatis ac Doctoribus, quibus hac in causa parcitur: Primum incitantur DD. Illustr. Ordinum odia in D. Sibrandum & Ecclesias: Secundò, Vorstio non inducias parant, sed & ianuas duas ipsi aperiunt; unam, quâ ex hac causa exire: alteram, quâ vocationem suam inire possit. Sed solantur D. Grotius & Anonymus nos, quod necdum causam eius finitam, neque absolutam esse dicant. Speramus igitur bonum, & Ecclesijs desideratum salutaremque exitum.

Septimò excerpsit,

Et hæc ex pag. eadem: *Grotius hæreses Conradi vocat fabulam quæsiti Socinianismi*, Anonymus dicit hic *notabilem perversionem* committi. Nam Grotium inquit, dicere *fabulam esse, ab Ordinibus aut Curatoribus quæri Socinianismum* pag 5. Videtur quidem D. Sibrandus ista verba D. Grotii etiam aliter intellexisse; verumtamē non pervertit ea. Quædam enim non rectè intelliguntur, quæ tamen non pervertuntur. Neque etiam longè aberrat à scopo. Quæ enim de Socinianismo Vorstio objiciuntur, non certa esse autumat D. Grotius, unde hoc liquet? Pag. 9. ubi recenset hæreses, quæ à Rege Brit. Sibrando, & Pastoribus Ecclesiarum Batavicarum ipsi objiciebantur, hæc addit, *Quid ergo Vorstius* (nimirum ad ista omnia)? *Fassus ne est omnia! Imò nihil horum. Socini etiam errores sua voce damnavit.* Pag. 15. *Non dico juranti semper de animo suo credendum, sed in re dubia id fieri & potest et solet.* Et mox, In istis quæ parum certò sunt comperta de Vorstio, iurejurando ipsius fidendum & nitendum esse contendit. Quid igitur restat, nisi ut Conradi hæreses videantur ipsi Grotio fabula quæsiti Socinianismi? Sed audiat quæ Casaubonus felicis memoriæ ad nobilem & doctum quendam Belgam scribit: *Omnes intelligunt, (inquit) serpere inter vos Socianismum, Arrianismum, & nescio quæ alia venena: Cur non exstinguitur pullulans malum?* Dicat mihi D. Grotius, unde iste Socinianismus Belgicus? Si non à Vorstio, à nullo itaque; Aut dicendus est Casaubonus Belgas falsò Socinianismi

nianismi insimulasse. Sed ut explicatius mentem D. Sibrandi assequamur, subjunxit dicto loco mox hæc verba: *Statum mutat, & scribit Conradum prætextum esse, veram bilis causam esse dissensionem quorundam à Sibrando in causa Prædestinationis.* Sic enim p. 6. D. Grotius inter reliqua notavit: *Vorstium nihil nisi προφασιν, istam dissensionem de Prædestinatione multis veram esse causam tumultuandi.* Hoc sensit D. Sibrandus, cum de fabula quæsiti Socinianismi D. Grotius loquitur, eum hoc velle, multos sub velo Socinianismi occulere causam diu antè motam de Prædestinatione. Sed fallit & fallitur, qui hoc modo statum iam mutat. Non enim Vorstius προφασις. Quænam quæso προφασις esse potuit Regi Britanniæ, cui bilis de Prædestinatione nunquā fuit mota, ipsisque Lutheranis Ecclesijs, quas in causa Prædestinationis secum sentire putant. Sed ut concludamus hunc numerum. D. Sibr. etiam ita ad mentem Anonymi accipit ista verba: sic enim pag. 9. *Addis fabulam de Socinianismo invehendo in hasce Provintias, ubi cura Ordinum in orthodoxia defendenda nota est, non tam facilè recipi posse, &c.* Ego verò ex animo precor, ut *fabula sint, quidquid de Socinianismo conquerimur, Curatoribus & Ordinibus Hollandiæ nunquam ex Conradi causa invidiam conflare volui.*

Quæ in octava censura leguntur de omnibus judicijs Ecclesiasticis ex pag. 7. nil nisi crambe sunt.

QVàm vera a. ista sint, quæ D. Sibrandus ibi D. Grotio impingit, supra numero primo ostensum fuit. Frustrà relegat nos ad totum librum Grotii. Ego multò versus ad eum totum librum remitto ipsum, in quo nullum aliud regimen Ecclesiæ quàm mere politicum in Belgicis Ecclesijs constituere velle videtur, ex ruderibus diu collapsæ istius Apostaticæ Ecclesiæ, aut potius ex humani cerebri figmentis. Sed quam firmè & solidè hoc ab ipso fiat, alias docebitur.

In nono Capite selegit ex pag. eadem hæc verba.

Si vel mediocriter in Ecclesiasticis & Politicis disciplinis exercitatus fuisset, non ignorasset Magistratum non habere tantam potestatem in Ecclesia, quantam habet in Politia. Non potest in Ecclesia novos fidei articulos condere. Ad hæc verba notavit Anonymus *Nusquam Grotium dixisse Magistratum posse novos fidei articulos condere, aut tantam potentiam habere in Ecclesia, quantam habet in Politia.* Atqui cogitandum ipsi fuit, D. Sibrandum non scribere eo loco, ista dicere D. Grotium, sed ex ipsius sententia de tali παυλοκρατορία Magistratus in Ecclesia hoc sequi. Nam si omnia judicia de Ecclesiæ & fidei rebus in Magistratum solum erunt transferenda, hoc est, si ipse de articulis fidei sine Synodis Ecclesiæ non solũ judicare, sed statuere, & Ecclesiis cum mandandi authoritate præscribere potest, quod sustinet D. Grotius p. 30. 31. sequitur tantam potentiam in Ecclesia ipsum habere, quantam in politia habet. Sed aliquot rationibus istud infringit D. Sibrandus, quarum prima est. *In Politia, inquit, potest novas leges ferre, & subditos etiam invitos ad illas observandas cogere: sed in Ecclesia non potest novos fidei articulos condere, neque potest subditos ad illos observandos per vim adigere?* Vnde etiam manifestum est, D. Sibrandum hoc non dicere, quod ipse Grotius sentiat Magistratum posse novos fidei articulos condere, sed tantum ipsum Sibrandum inde demonstrare velle, potestatem Magistratus imparem esse in Ecclesia & Politia. Non igitur hic falsi quidpiam ipsi assignavit D. Sibrandus, sed Anonymus potius in illud crimen impingit, Interea accipio, quod nobis largitur Anonymus de impari ejus potestate in politia & Ecclesia, & velim ipsum huius meminisse, cum de summâ unicâ & merâ potestate Magistratus in causis fidei agetur. Aliud enim sane fateor esse de rebus fidei statuere absq; conciliis Ecclesiasticis proprio motu, aliud de rebus quæ ad ordinem & politiam Ecclesiæ spectant. Non solum de istis, sed de illis etiam loquitur D. Grotius, quæ maioris momẽti & periculi sunt. Si enim inter subditos oriatur altercatio de Deitate Filii, & Magistratus interposita sua authoritate judicet secundum istos, qui Deitatem Filii negent, quæso te, an eadem

de re

de re decretum condere, & promulgare debat? Si ais, iam evertis quod dixisti modò de impari eius potentia: si negas, enervas supremam ejus παντοκρατορίαν in rebus fidei, & *Ecclesiæ*,

Decimus Numerus ex eadem pag. ita se habet.

NOn *negaverit Carolum V. in Germania, Philippum ante hoc bellum in Belgica fuisse summum Magistratum.* Hic iterum occentat suum illud (falsa hæc) & multa ad demonstrandam falsitatem congerit, sed expendamus an in istis ἀλαοσκοπίην etiam committat Anonymus? Primum negat Imperatorem Carolum & Philippum summum Magistratum fuisse (de Regibus a. Galliæ, qui istis adjunguntur, siluit, utpote quorum sit aliud, aut latius jus, quam istorum) Et addit Carolum cum Ordinibus Imperij, & Philippum cum Ordinibus Belgicæ constituisse summum Magistratum, non seorsim ab illis. Ludit in voce (*Summi Magistratus*) Fateor jus Regum in omnibus Regnis non esse par & idem.

Interim & hoc verum est, omnes reges sive natos, sive cum restrictionibus & limitationibus electos esse summum Magistratum. Et quorsum hoc spectet, non video, cum argumentum D. Sibrandi eo modo non infringatur. Nam dixerat, si Magistratus de rebus fidei statuere absque Synodo potest, quid dicemus de Carolo V. & Philippo? Nam sive illi soli Magistratum summum constituerunt, sive cum Ordinibus; tamen hoc ex sententia ipsius D. Grotij sequitur ipsos omnes seorsim aut coniunctim tãquã legitimos & summos Magistratos leges fidei in suis Regnis condere & promulgare potuisse. At dicit periculosum errorem ibi latere. Quis ille error? Aliquem nimirum *Verè subditum positum fortè in gradu aliquo eminentiori posse invitæ potestati verè summæ armis extorquere usum publicum religionis, aut etiam contrarium tollere.* Atqui an istum errorem erret D. Sibrandus, non habet dicere: Hoc tantum trepidè significat, aliquem periculosum errorem hîc latere. Quid autem sentiat D. Sibrandus hac de re, aperuit pag. 8. Sic enim *de rebus (inquit) magnis & difficili-*

bus non temerè statuendum est, sed distinguendum est inter subditos. Non omnes enim sunt ejusdem Ordinis & gradus. Deinde res ipsa & illarum circumstantiæ diligenter expendenda sunt, ut clarè liqueat, quid liceat & quid non. Nihil definit hic, neque in ista tam difficili, dubia & multis circumstantijs vestita & involuta causa semper unum & idem definiri posse affirmat Fateor quoque consideranda esse in hac thesi, quæ ponit de *verè* subditis, & de *verè* summo Magistratu. Nam ratio habenda subditorum, & ipsius Magistratus: Sed meum non est hæc politica enucleatius excutere. Adferam tantum quid nostri Theologi communiter sentiant. Bucerus ad locum hunc Matth. 5.34. *Ne resistatis malo*, copiosè & solidè ostendit Principi, vel Reipubl. inferiori licitum esse suos defendere contra vim cujusque etiam fungentis potestate *superiore*, etiamsi *per illam potestatem superiorem jus gladij acceperit inferior. Monet etiam ut quisque modum sibi creditæ potestatis consideret. tum etiam qua in re suis vis inferatur. Esse n. aliam vim tolerabiliorem. Quin etiamsi potestas superior aperte Pietatem petat, qua vi nulla est intolerabilior, prius tamen omnia tentanda esse fatetur, quam armis experiendum: Sed si nihil proficerent, & superior illa potestas pergat armis exigere a subditis suis, & evertere, quæ juxta Dei verbum docentur & instituta sunt, inferiorum potestatum docet esse, ut invocato prius auxilio & consilio Dei, omnia tentent prius quam hosti Dei prodant gregem Christi.* vide Enarrat. ejusdem in Math. pag. 143.144.145.146, Magdeburgenses etiam qui Carolo V. summum Magistratum tunc gerenti soli in Germania armata manu resistebant post Saxonem & Hessum devictos, publica apologia Anno 1550. hanc causam doctè & solide pertractarunt. Sed instar omnium erit D. Iunius, qui in Quæstionibus nondum editis, & ex ipsius ore exceptis admodum distincte & accuratè hac de re disseruit Quæstione 50. & 186. Summa huc redit. *Si princeps* absoluto *principatu est, sine ulla lege Regia, vel conditione Regni, tum nihil populares in hac causa posse: si a.* pertiario *principatu, aut* conditionario, *aut extra ordinē diminuto, posse justas causas incidere civiles, quibus armentur populares ad Rempub. tuendam cum publica Religionis causa conjunctam.* Et tradit plæraque *Regnorum & dominiorum ita esse instituta, ut habeant leges Regias, quibus populares Regibus & Reges popularibus jurejurando obstringantur mutuò, ut fit in ijs omnibus,*

bus, qui aut fundamentales conditiones Regni, aut electionis Regiæ habeant. Horum sententiæ lubens accedo, neque quid amplius addendum puto, quo conscientiæ in hoc casu instrui, & tranquillari possint. Ipse Vorstius in fine Apologet. Orat. coram Ordinibus hoc nostrum bellum Religionis causa contra Hispanum susceptum & gestum, justum & legitimum pronuntiat. vide eundem etiam in præf. Antibellarm. Ad exempla quæ ibi D. Sibrandus allegavit quod attinet, dicit Anonymus illa non quadrare. Qui sic? *Nam Electores & Principes Germaniæ scribit, defendere se summã potestatem habere in suis principatibus.* Hoc equidem fateor, ut præclare disputatum est Musculo in locis P. 584. & Bucero dicto loco, & Melanthone de officio Principum p. 440. Sed cogitandum ipsi erit, quod ante inculcaverat de *vere summa* potestate. Videri enim eos etiã legibus imperij, aut Imperatoris subjectos esse, ad quos etiam edicta Imperatorum de religione spectabant.

Sequitur igitur neque ipsos salvis istis principijs D. Grotij, potuisse iustè arma sumere contra Cæsarem causa religionis. De Ludovico Condæo narrat, *demonstrasse se literis Reginæ matris excitatum, ut Regem puerum proximus agnatus contra Guisios tueretur.* Hæc quidem ipsi primaria causa fuit politica, sed accessit etiam causa religionis, uti apparet ex Thuano lib. 29. p. 598. *Narrat enim Condæum publico scripto an° 1562. in Aprili causas belli contra tres viros à se moti explicuisse: Præcipuam esse, quod libertatem regijs edictis concessam ijs, qui puriorem in religione doctrinam amplectuntur, asserere vellet*, & pag. 599. *dicit solenne fœdus à Condæo cum socijs pro Regis* & conscientiarum libertate *ictum esse, formulamque istius fœderis evulgatam, qua inter cætera iurabant Condæus ac proceres socij minimè passuros quidquam contra honorem Dei, regiaque edicta perpetrari*, aut pravos cultus, superstitiones, *contumeliosa in Deum verba, &c.* Vide eundem p. 106, 108. & alibi, ubi inter partes de sancienda pace agebatur, & Religio utrimque obtendebatur hinc Pontificia, inde Reformata. Quod ad Principem nostrum Arausionensem attinet, scribit in principatu suo *summam* potestatem ac proinde jus armorum obtinuisse, & habuisse assensum Ordinum Belgicorum, qui avito jure auctoritatem habebant coërcendi Principis sui. Sed hic quærere aliquis posset,

an fuerit ipsi *secundum superiorem Anonymi distinctionem*, aut potius exceptionem *vere*, & *absolutè* summa? Deinde etiamsi Belgis esset jus coercendi Regem, annon etiam jus Religionem vindicandi contra ipsius Tyrannidem habuerunt? Si dicas arma esse sumpta non causâ religionis, sed civilis violentiæ, D. Grotius te confutabit, qui pag. 4. Piet. scribit *Ordines adversus injustas dominationes, alteram Romanensem, alteram Hispanicam magno animo & constantiæ obnisos, certam sibi ad libertatem muniviſse viam: Reformatam denique Religionem auctoritate atque opibus suis hactenus foviſse?* Et reliqua, quæ ibi passim leguntur, pro aris & focis fecisse ac passos esse. Quid igitur? Cõcludo cum D. Sibrando Nullũ istorũ inferiorũ Principum, aut Rerumpub. quæ ibi memorantur, posse iure postulari spreti cæsaris aut Regis, vel læsæ Maiestatis, ideo quod coacti fuerint Deo majorem obedientiam quam hominibus præstare, ac proinde sequitur non tantam habere potentiam Imperatores & Reges in Ecclesia, quam in Politia, quod erat τὸ κρινόμενον. Subditorum enim esse non tantum propter iram, sed etiam propter conscientiam legibus à Magistratu conditis parere, sed eos non posse propter conscientiam novis articulis fidei à Magistratu conditis fidem habere, eorumque decretis obedire; Quod istis exemplis propositis, quæ huic loco convenientissime accommodata sunt, iam evictum est. Non igitur falsa, sed vera esse quæ ibi disputata sunt à D. Sibrãdo, omnibus liquere existimo.

Vndecimo Numero

Ex pag. 9. reponit, quæ jam ad numerum primum de Ministris Ecclesiarum, Pastoribus, presbyteris, Diaconis, illorumque electione prout hactenus in Ecclesiis Belgicis usitata fuerunt, discussa sunt. Falsum hoc esse dicit Anonymus. Sed an non ipse falsum dicat, consule sis dictum numerum. Nam ibi ex Pietat. Grotii ostensum est, Pastores & Presbyteros Ecclesiarum Belgicarum multis modis sarcasticè & virulenter exagitari. Quod autem hic addit D. Grotium ibi defendere Magistratus, qui eligendorũ Ministrorum curam ad se pertinere arbitrantur, est ἀπροσδιόνυσον. Non enim hic quæritur, An ibi defendat D. Grotius iura & aucto-

& auctoritatem Magistratus in Eligendis Ministris, Pastoribus, Presbyteris, & Diaconis, sed an exagitet illorum Electiones, prout hactenus in nostris Ecclesiis reformatis sunt usitatæ? Sed & Anonymus ipse fatetur, D. Grotium eligendi hoc ius non Ecclesiæ, sed Magistratui assignare. Verum igitur est vel ipso Anonymo teste & iudice, D. Grotium exagitare receptum morem & ordinem Electionum. Et cum remittat nos ad totum ejus librum, nihil aliud, quam ut totum librum Grotii contra se testem huc vocat. Non disputo iam, quam verè & solidè hoc faciat D. Grotius, & quantum hoc paci Ecclesiarum Belgic, serviat, sed an hoc fecerit? quod cum negat Anonymus, se ipsum implicat, & verum esse, quod D. Sibrandus hic notavit, impudens fatetur.

Capite Duodecimo

Ex ead. pag. hæc excerpsit: *Criminatur nos eieciſſe Epiſcopos Eccleſiis.* Ad quæ notavit Anonymus *mirã ibi eſſe perverſionem*: Nam quod Sibrandus Ordines Politicos erat criminatus, quasi id fecissent, uti legere est p. 29. Præfat. ideò hos Politicos defendere dicit Grotium p. 77. 78. Verum est quidem D. Sibrandum primum ea de re in Præfat. verba fecisse, atque Ideò labem istam invidiæ, qua aspergebantur nostræ Ecclesiæ, diluisse, Nam ita p. 28. *Non desunt, ait, qui ut invidia cauſam optimam gravent, miniſtros Eccleſiarum Belgicarum apud exteros hoc nomine traducere non vereantur, quod eorum opera & ſtudio Ordines Eccleſiaſtici in univerſum in his fœderis Belgici Provintijs ſint abrogati. Ad quæ verè reſpondere poſſumus eos qui hoc dicunt, aut ignaros eſſe rerum noſtratium, aut vim facere ſuæ conſcientiæ. Non enim Eccleſiarum Paſtores & Miniſtri Epiſcopos, Decanos, cæteroſque ordinis iſtius Antiſtites de ſtatu eorum dejecerunt, abrogaruntque. ſed ipſi id Ordines Politici quidquid omnino huius factum eſt fecerunt*: Sed tamen D. Grotius recriminatur D. Sibrandum, qui dictis paginis rotundè dicit Ministros sustuliſſe Ecclesiasticos eos Ordines ex Reformata Ecclesia. Non inficior D. Grotium conari istos ordides Politicos defendere, sed interim hoc immotum manet, ipsum causam istã abrogationis in Ministros coniicere; sed quam vere & candide

hoc

hoc faciat supra fuit dictum. Nunc satis fuerit ostendisse Grotium criminatum esse ministros, ideòque nullam esse perversionem. Nam sive prior, sive à D. Sibrando lacessitus hoc dixerit D. Grotius, nihil refert: Saltem verum est hoc dixisse ipsum. Neque etiam D. Sibrandus, ait, Grotium *prius* criminatum esse eam ob causam Ministros, sed simpliciter scribit, ipsum criminari nos ejecisse Episcopos ex Ecclesiis: Quod negat D. Sibrandus, & docet Majores nostros, qui hujus Reformationis autores fuerunt, non ejecisse Episcopos ex Ecclesiis Belgicis, sed reduxisse illos ad eum ordinem, qui ab Apostolis institutus fuit.

Sequentibus duobus Numerus 13. & 14. agitur de jure Patronatus

DE quo annotaverat D. Sibrandus pag. 10. primum, quod *à Papis introductum* fuit. Deinde quod nulla *papalis authoritas verbo Dei præjudicare possit*, verba ipsius ita habent: *Operam perdit Grotius, dum ex Beca similisque farinæ hominibus, & ex jure Patronatus, quod novum, & ad opprimendam Ecclesiæ libertatem à Papis introductum est, suam opinionem (de electione & vocatione Ministrorum) probare conatur. Nulla enim humana, nedum papalis authoritas potest Dei verbo & exemplo, quod in Dei verbo cõprehensum est, præjudicare.* Sed quid ad hæc Anonymus? utrumque notavit falsum esse, hoc est, contendit Patronatum non à Papis introductum, neque novum esse, sed cum verbo Dei congruere, ideoque divini & Apostolici esse iuris. Iubet adire tractatum doctissimi & Reverendissimi D. Bilsoni Episcopi Wintoniensis in Anglia de perpetua Ecclesiæ gubernatione, qui pag. 439. docet, non esse à Papis introductũ, & pag. 440. versic. *Nec quicquam*, ostēdit non pugnare cum Dei verbo. Hic igitur novus nobis adversarius conciliatur, cum quo ita velitandum erit, ut quocunque hæc res cadat, nova odia, aut opprobria inde nobis parentur. Freti tamen bona cõscientia obiter aut strictim expendamus quæ ibi pro jure isto Patronatus producta sunt. parati etiam certiora docentes semper sequi. Notat Reverendus Præsul primò, illud jus patronatus

inde

inde ortum, quod nobiles & alij opulentiores Sacella aut templa fundare, dotare, & expensas Clericis administrare ex suis bonis cæperint. Non hoc inficiamur. Notus enim est versiculus.

Patronum faciunt, dos, ædificatio, fundus.

2. Deinde docet solitos esse Patronos tantum præsentare & offerre suos Clericos Episcopis, ut ab iis consecrentur & ordinentur. Neque hoc negamus. Sed hoc primum quæritur, an omne illud sit humani juris, an divini? Nos palam asserimus esse humani juris. D. Bilsonus dicit, nihil quicquam in verbo Dei ab hoc iure Patronatus alienum, aut abhorrens haberi, sed fallitur: Nusquam enim in literis Apostolicis electiones Ecclesiasticas in unum membrum ex Ecclesia translatas legimus. Praxis etiam veteris Ecclesiæ, & ratio ipsa dictant, ut quæ omnes concernāt, ab omnibus tractentur. Et ipse Iustinianus Imperator, Novella 123. cap. 3. edixit, ut ad electionem Episcopi coëant in unum clerici omnes & primates civitatis. Quod a, inter Pastores & Ministros, Ecclesiarum, & Episcopos distinguant, ex eodem humanæ authoritatis fonte ortum est, ut infra dicetur.

Deinde & hoc à verbo Dei & priscis Canonibus alienum est, ut ius hoc electionis transferatur in hæredes cum universitate bonorum per successionem, aut permutationem, aut donationem, secundum istos versus.

Iura patronatus transire facit novus hæres,
Res permutata, donatio, venditioque.

Quinto capite, *Consuluit*, mandatum fuit à papa, ne sanctuarium Dei iure hæreditario teneatur, Et Cap. *de iure*. dicit idem Papa, inconveniens esse ius patronatus vendi, ideò quod Spirituali sit annexum. Centurio iste Evangelicus curaverat in urbe Capernaum Synagogam ædificari de suo, neque tamen inde ius aliquod proprium ad res Synagogæ administrandas, sibi & suis hæredibus vendicavit aut vendicare potuit. Quid dicam de pijs istis Regibus Israëlis, Davide, Salomone alijs, qui regias suas opes ad extruendum & farciendum Templum Hierosolymitanum contulerunt? Quid de Cyro, Dario ipso, alijsque qui ex publico ad restaurandum sanctissimum & divinissimum istud Templum munificentiam suam impenderunt, ut hic præteream Esram, Nehemiam, cæterosque populi primores. Quis

Luc. 7. 5
2. Sam. 8. 11.
1. Reg. 5. 5. 6.
Esr. 5. 6. & 6. 8.

ex istis omnibus unquam ex hac causa ius aliquod in electiones & ministerium leviticum sibi arrogavit? Constantinus ille Christianorum Imperator primus, & alij post ipsum Imperatores Regesque Francorum Pipinus, Carolus, Ludovicus & alij multis largitionibus & beneficijs dotarunt & auxerunt res Ecclesiæ. Neque tamen ideò electiones Pastorum & Episcoporum sibi arrogarunt. Vt infra Num. 59. docebimus. Planè etiam contra usum Apostolicæ Ecclesiæ & hoc est, quod ab electione Pauperes, & colonos prædiorum excludendos putet D. Bilsonus. In Ecclesijs Christi προσωπολημψία ne quidem nominari debet. Explosum dudum etiam idipsum ab Apostolo Iacobo: si dicas diviti, σὺ κάθου ὧδε καλῶς, & si τῷ πτωχῷ dicas σὺ στῆθι ἐκεῖ ἢ κάθου ὧδε ὑπὸ τὸ ὑποπόδιον μου. cap. 2. 1, 2. 3, 4. Et sanè hac ratione non solum ad opulentiorum hominum ὑποπόδιον dimittuntur οἱ πτωχοι, sed Ecclesia penitus excludi videbuntur, si in eligendis Ministris prætereuntur. Nolo tamen (ut hoc rectè accipiatur) πᾶν τὸ πλῆθος, i. promiscuam & totam istam plebem ad electiones admitti, ut Morellius ille somniavit, sed sicuti D. Bilsonus pag. 450. notat, per Regem eligere totum populum Episcopos in Britannia: Ita per totum presbyterium eligere totam Ecclesiam arbitror, de quo infra ad Num. 59. Atque ita evictum est, Patronatum istum esse humani juris. Deinde & hoc quæritur, si humani sit, à quo illud jus Patroni acceperint, à Principibus, an Papis, an verò ab utrisque, & quando? Nos credimus non cum primis Euangelij exordijs, neque statim in Ecclesia post profligatum Paganismum emersisse: neque etiam apud Græcos & Latinos, cum res Ecclesiæ ibi adhuc essent puriores, sed forsan in latina Ecclesia demum post Augustini tempora ortum videri. Quod vel inde patet, quod hæc vocabula Patronus, Patronatus, Advocatia, Præsentatio, guardias habere & reliqua, sunt latina nova, & barbarismum sapiant, ideòque vergente seculo in Ecclesia latina primum nata, aut tunc maxima ex parte aucta, propagata & certis legibus roborata. Causa autem, ut ante dictum fuit, istius instituti juris novi & privilegij videtur fuisse hæc, ut scilicet hac ratione Laici ad Constructiones Ecclesiarum & dotationes magis invitarentur, sicuti & Glossa notat ad Caput *Nobis fuit*. Ea sanè tempora, cum hæc

previlegia

previlegia Patronatus fundata & confirmata fuerunt, loquuntur non à Principibus, sed ab Episcopis & postea à Papis obtēta & concessa fuisse; loquor de utroque Patronatu Laicali, & Clericali. Ita enim Clemens III. Cap. *Nobis fuit*. statuit: *Si quis Ecclesiam cum* assensu Diœcesani Episcopi *construxerit, ex eo jus Patronatus acquirit. Cæterum in* conventuali *Ecclesia non electioni Prælati faciendæ, sed* jam factæ *honestius Patroni postulatur assensus, Nisi aliter de sua jurisdictione obtineat, ut partes suas interponere debeat electioni tractandæ: secus tamen est* in Capella, *in qua unus Presbyter à Patrono eligitur*. Quod a. in hac lege de jurisdictione Patroni mentio fiat, Glossa dicit intelligendum de speciali quadam jurisdictione ipsi Patrono concessa in fundatione; quam concessionem ostendere debet, & *ab eo, qui hoc possit concedere*, scilicet *Domino Papa*. Quia Episcopus hoc non possit concedere. Et hoc probari docet. XVI. q. I. hinc etiam. *Vbi datum fuit tale previlegium*, quod Rex simul *cum Monachis eligit Abbatem. Aliter vero tractandæ electioni in Collegiata Ecclesia Patronus interesse non debet, nisi tamen sit Ecclesiastica quædam persona, ut Abbas, aut alia, quæ jus Patronatus habet*. Passim etiam apud eosdem hoc traditur, privilegia scilicet ab Ecclesia aut Papa tantum ex singulari gratia nonnullis conferri: Temerariū enim & indignum esse, ut omnes sibi propria authoritate præsumant, quod certis tantum personis indultum est. Atque hinc nomen aut titulum *IVRIS* accepit hic Patronatus, sicuti & de iure Parochiali crebra mentio, quod Episcopi etiam conferre possunt. Huc pertinent omnes istæ cōditiones & leges, quas Canonum doctores in constituendo hoc iure Patronatus à Papis & Conciliis fixas & positas esse testantur; sed eas omnes recensere non est huius instituti. Nihil igitur certius videtur, quam hoc *IVS PATRONATVS* ab Episcopis aut Papis acquisitum, & impetratum fuisse. Quæ a. pag. 439. idem D. Bilsonus ex constitutione Caroli Magni, & Iustiniani Novella 123. cap. 18. recitavit, non probant Patronos istos ab ipsis Imperatoribus aut Regibus illud ius acquisiviſſe. Nam quæ primum ab Episcopis definita essent in Synodis suis, aut Papis ipsis, sine quorum consensu tunc nulli canones solebant condi, ea postea ab Imperatoribus fuerunt approbata, in leges relata ac promulgata. Quod etiam in hac ipsa

novella ipse Iustinianus disertis verbis præfatur & testatur: Sic enim ibi Imperator: *Nam si civiles leges, quarum potestatem fidei nostræ Deus concredidit, per omnia firmas ac stabiles conservari studemus: quanto plus studij debemus circa* sacrarum regularum *& divinarum* legum observationem *reponere.* Item. *Iussimus quæstionem & correctionem horum omnium, quæ nobis enuntiata sunt,* Canonicè *procedere.* Item, *sui muneris esse dicit ea despicere, quæ à Sanctis Apostolis &* sanctis Patribus PRÆFINITA & regulariter dispositа *sunt.* Et Mox cap. 3. *Sequentes igitur ea, quæ sacris definita sunt* canonibus *pragmaticam legem facimus, &c.* Si quoque leges istas singulas ordine excutere luberet, ex diversis Episcoporum constitutionibus, ab Imperatore desumptas fuisse apparebit. Et ne procul abeam, ecce hanc legem, qua statuit Imperator, ut, si quos indignos clericos Patroni Laici nominaverint & ordinandos stiterint Episcopo, tunc *Episcopus* alios quoscumque putaverit meliores, ordinandos procuret, dictarunt ipsi multorum conciliorum Canones, quibus agitur de ordinandis idoneis clericis. Sub tempora Iustiniani reperio, primum leges de hoc sic postea appellato Patronatu in Synodis conditas. In Aurelianensi IV. Can. XXI. ita habet, *Si quis in* agro suo *habet, aut postulat haberi* diœcesim, *primum & terras ei disponat sufficienter, & clericos, qui ibidem sua officia impleant, &c.*

In Toletano concilio circa idem tempus extat canon XVIII. *Sic quidem contra Canonum authoritatem Ecclesias quas ædificaverunt postulant consecrari, ut dotem quam eidem Ecclesiæ contulerint censeant ad Episcopi ordinationem & potestatem non pertinere.* Ex quibus & hoc manifestum est, jura hæc patronatus quæ dicuntur, ab Ecclesiis aut eorum Episcopis, & non à Principibus introducta, eoque multis Pontificum & Conciliorum legibus sancita & stabilita fuisse. Neque tamen omnino auctoritatem & approbationem Principum hinc exclusam fuisse censuerim. Nam in dicto Concilio Toletano III. Canon. XV. ita conceptus est: *Si qui ex servis fiscalibus Ecclesias construxerint, easque de sua paupertate dotaverint, has procuret Episcopus prece sua authoritate Regia confirmari.* Nisi ideo authoritas Regis peculiariter requiratur, quod isti servi Regio cessissent fisco. Erant autem, ut hoc obiter dicam, teste Beato Rhenano lib. 2. Germanicarum rerum p 87. serui fiscales,

qui etiam

qui etiam simpliciter Fiscalini vocabantur, quorum res & corpora *Regis* fisco cessissent, unde & *Regiis* servis nomen. Erant insuper *Ecclesiastici* servi quos ipse *Rex* aut Dux aut Comes monasterio donasset. Hinc videmus Abbates nostrates adhuc talia mancipia possidere ex liberalitate Francorum Regum.

Vt vel etiam hinc appareat antiquitatem horum *Patronatuũ* vel ipso D. Bilsono judice & teste non ulterius, quam ad tempora Iustiniani sub annum Christi 550. prorogandam esse. Quam multis a deinceps incommodorum, & abusuum cumulis hæc jura Patronatuum in Ecclesia passim fuerint oppleta, posteriora secula in Papatu docuerunt: De quibus nuper coram Sereniss. Rege M. Britan. Iacobo palam in Synodo conquestus est D. *Episcopus* Winchestrensis, vide acta, pag. 28. Atque hæc est causa cur Beza in confessione cap: 7. sic invehatur. *Quod ad Papæ creaturas attinet, hoc dico, hoc vociferor, omnes illas provisiones*, præsentationes, Collationes, *signaturas, Bullas, &c. totidem esse fenestras per quas vi perrumpunt in ovile Domini, totidem cuniculos, quibus domum Dei, quantum in se fuit, subruerunt, quum neque in verbo Dei, neque in ullo purioris Ecclesiæ scripto, vel Græco vel Latino, vel levissima fiat istarum rerum mentio, quas unus Sathan evomuit, ut Ecclesiæ puritatem inficeret: ideoque non de eiusmodi rerum reformatione, sed ejectione, abolitione, & ultima internecione serio omnibus pijs hominibus esse cogitandum.* Sed de hac re postea. Numero 65. ubi amplius docebitur, quæ illa sint, & quatenus ea hodie in Reformatis Ecclesiis tolerari possint.

Decimus quintus & ultimus ex Præfatione D. Sibrandi ita se habet.

HUgo *nullam habuit causam quare in Ecclesiam inveheretur.* pag. 11. Anonymus cum excusare D. Grotium studet, facit idem hoc quod ipsi exprobratur & à se negatur. Duo enim dicit. Primum, Grotium de *Ecclesia* non nisi reverenter loqui. Alterum est, ipsum tantum dicere, esse qui suis actionibus nomen *Ecclesiæ* malè præscribant. Priusquam singula examinentur, hoc præmittendum est, D. Sibrandum etiam agere de *Ecclesiis* Belgicis

& de earum ordinibus. Sic enim dicit ibid. *Intellecturi estis Hugonem nullam habuisse causam, quare in Ecclesiam*, ciusque ordines universos *& me inveheretur.*

In duobus igitur malam suam fidem prodit Anonymus. I. Quod quæ de Ecclesijs Belgicis dixerat D. Sibrandus, ea de Ecclesia in genere scripta esse referat. II. Quod prætereat hoc loco, quæ de Ordinibus earum *Ecclesiarum* addiderat D. *Sibrandus*. Sed ut ad rem veniam; Quam reverenter de Ecclesijs Belgicis adeòque, si & hoc placet, Gallicis, & Palatinis loquatur D. Grotius, hoc ex tota ipsius Pietate apparet: Ex ijs præsertim locis, ubi Presbyterium nostrarum Ecclesiarum vocat *Sibrandianum populum*. p. 57. Eorumque sententiam orthodoxam de Prædestinatione dicit *Sibrandianam opinionem*, p. 6. & *ex placitis Gallicarum & Palatinarum Ecclesiarum haustam*. p. 27. ubi *Manicheismum*. pag. 16. 19, & Ioh. Arnoldi. pag. 6. & 7. *Catharismum* p. 76. *Donatismum* p. 46. *Puritanismum* passim istarum Ecclesiarum Ministris impingit, ubi nos putare scribit judicia *Ecclesiæ* esse ἀνυπεύθυνα pag. 74. ubi multa in regimine nostrarum Ecclesiarum desiderari, illudque vitiatum, & πλημμελείας scatere, adeòque anarchicum esse ait pag. 76. Quod ad alterum, sine dubio per istos, qui suis actionibus *Ecclesiæ* nomen malè præscribunt, intelligit omnes Ministros, Pastores, Doctores, Presbyteros Ecclesiarum nostrarum qui ipsis obnitentibus doctrinam & jura Ecclesiarum nostrarum tuentur. Annon illi Ecclesiam, à qua lecti & vocati sunt, suo modo repræsentant? Eodem iure, quo D. Bilsonus & ipse Grotius scribunt in uno Rege Britan. concludi totam plebem, & Ecclesiam Britannicam. *Episcopos* utique in concilijs œcumenicis & topicis olim repræsentasse *Ecclesiam* totam Catholicam & particularem semper creditum fuit, uti mox dicetur. Qum Moses juberet totã Ecclesiam congregari, Num. 20. 8, 10. conveniebant tantum seniores *Ecclesiæ*, quod patet ex collatione Exod. 17. 5. 6. Vide infra ad Nũ. 81. p. 259. Certè nõ poterit inficias ire Delegatos Ordinũ repræsentare Ordines ipsos, & Consules ab ipsa plebe lectos totam civitatem. Cur igitur neque Pastores, Seniores, Diaconi cõstituent aut exhibebunt totam Ecclesiam? cur non sententiam *Ecclesiarum nostrarum* esse dicent, quam earum Ministri proferunt

forum & defendunt? præsertim si non extra limites Confessionū Belgicarum Ecclesiarum exorbitent. Manifestum igitur est D. Grotium istoc pacto in Ecclesias nostras invectum esse.

Progrediamur ad numeros istos quos ex Responsione ipsa Excerpsit Anonymus, quos quia cum superioribus connectit, prosequamur ipsius Ordinem:

DEcimus sextus igitur est ex Pag. 1. ubi D. Sibrandus inquit *Per latus meum veritatem doctrinæ cælestis et statum Ecclesiarum petisti.* Anonymus nihil aliud apposuit, quam falsa esse hæc. Sed quam vera hæc sint, vel cæci iam vident. Quia n. & doctrinam & regimen nostræ Ecclesiæ novandum, atque ita utriusque Reformationem ipsam ad limam revocandam, aut denuò refingēdam, adeòque ea omnia in *Ecclesiis* Belgicis hoc otio melius & amplius corrigenda esse arbitratur, elegit sibi iam D. *Si*brandum adversarium, per cuius latus ista peteret. Aliquid diceret hic Anonymus Si D. Sibrandus idiotismos quosdam suos, vel peculiares quasdam opiniones, aut κυρίας δόξας à doctrina & regimine recepto alienas sustinere conaretur? Sed quia tueri, munire & fulcire studet, quæ sunt doctrinæ & ordinis *Ecclesiarum* nostrarum, quid aliud quam per ipsius latus *Ecclesias* nostras confodiat D. Grotius? Sed de hoc supra num. 1.

Articulus 17. ex ead. p. ita habet:

OPeram dedi *ut modestius te tractarem, quam tu me.* Anonymus hoc judicio æqui lectoris committit. Neque nos talem lectorem extimescimus, aut subterfugimus. Quæ enim scommata, dicteria, virulenti σαρκασμοὶ à D. Grotio iuvene contra D. Sibrandum senem Theologum & benè de *Ecclesiis* meritum vibrantur, singulis fere paginis ostendi posset, si res tanti esset. Hinc est, quod tandem pudore & confusione obrutus D. Grotius quædam in edit. minoris formæ expunxerit & mutarit, quæ in

quæ in priori edit. scripta erant. Inter cætera expunxit, quæ de *ridiculo Professore* dixerat. Item quod scripserat Sibrandum ἐφεν χακῶς, &c. 1. *Magistratibus populi maledicere, irridere Ordines.* Item quod p. 28. *vocarat ipsum nostrum Rhetorem* παραλραγωδοῦντα, tragicum in modum ampullantem, &c. Et quod *Umbraticum Doctorem* appellarat, & id genus alia convitia.

Ex pag. 8. excerpsit Numerum 18. hunc.

CVratores aut Illustres Ordines non designavi, aut in crimen vocavi. Dicit Anonymus contrarium apparere ex his quæ Num. 3. & 4. supra dicta sint. Eò igitur & ego lectorem voco, ut uideat falsò accusari D. Sibrandum; ubi etiam ad Corvini cavillationes breviter responsum est.

Pag. 9. scripserat D. Sibrand.

NIhil aliud ab Archiepiscopo se petiisse, quam ut fratres consilio juvaret: Ex quo decimam nonam falsitatis notam exstruxit, Nam ex adverso opposuit verba D. Sibrandi ex præf. ad Archiepisc. p. 40. quæ sic habent. *Peto ut Ecclesias nostrates tuo consilio & AVCTORITATE juvare velis.*

Hic vocem (Authoritate) maiusculis expressit, ut scilicet ostenderet D. Sibrandum crimen falsi incurrisse, utpote qui istud verbum ibi omisisset, quod prius posuisset. Verùm nec hoc evincere potuit, quod intendit. Nam an hoc de industria sit factum, an verò temerè & incogitanter, quemadmodum sæpiusculè in locis describendis fieri solet, non habeo dicere. Quod si etiam id de industria fecerit, an brevitatis ergò an verò malitiæ causa, incertum. Denique si ista vox hic iterum addatur, quid proderit ipsius causæ! Nam etiamsi auctoritas Archiepiscopi cum consilio esset conjuncta, nihilo tamen plus ab ipso petere dicendus est Sibrandus, quam nunc facit. Nam rogat tantum ipsum, ut Ecclesias suo consilio & authoritate *juvaret.* Vis petitionis maximè hîc cõsistit in verbo (*juvaret*) Debuit etiam ibi de auctoritate D. Sibrandi addere, ut ita pro dignitate &

te & merito tanti viri πρεπόντως καὶ ἀληθινῶς loqueretur. Quapropter miror hosce homines & hanc laudem invidere isti Reverendo Præsuli, cuius authoritas utinam apud nos, ita ut par est, æstimaretur? Neque est, quod ab ipsius auctoritate sibi metuant, quum neque eam etiam à partibus delatam pro suâ summâ modestiâ usurpare vellet. Remittit iterum nos ad Corvinum Resp. p. 23. & seqq. Nimis desudat Corvinus ille in exagitando D. Sibr. & D. Bogermanno sed ne hilum proficit. Docebit hoc propediem luculenter D. Bogermannus ipse, cui has partes reservo; Breviter tamen hoc tantum respondeo, nihil momenti ipsis situm esse in istis verbis ad probandam & astruendam querelam suam de causa Vorstij delatâ ad tribunal Archiepiscopi. Hic enim est status quæstionis; An D. Sibrandus in sua ista Præfat. litem fecerit in causa Vorstij Illustr. Ordinibus Hollandiæ, eosque ad tribunal Archiepiscopi trans mare citarit, necne? Negat D. Sibrand. & Bogerman. Aiunt D. Grotius & Corvinus. Inter cætera hoc videntur probare ex his verbis, quibus petit D. Sibrandus. ut Ecclesias nostras consilio & auctoritate sua juvaret Archiepiscopus. Quam malitiosè a hæc traducantur, & detorqueātur, quis non videt? Neque sanè ipse Archiepiscopus ista tam siniſtrè accipere potuit aut voluit. Qua ratione enim Sibrandus cognitionem causæ hujus ipsi deferre, & hic in se recipere potuit? Ipse D. Sibrandus interpretatus est se, cum dicit, *Consilium, auxilium, & authoritatem hujus Præsulis eum in finem se postulasse ut nostræ Ecclesiæ inter se concordes & consensum cum alijs Ecclesijs omnibus extraneis colere & conservare possint.* Estne hoc deposcere judicem in ista causa? Estne hoc trans mare mittere causam, ubi non est acta? Annon potuit alijs modis Ecclesias nostras juvare hic Præsul, quam si interponeret, & daret se judicē? Non potuit etiam exhortationibus, admonitionibus, & alijs id genus modis Ecclesias nostras juvare? Ad mutuum igitur consensum, pacem & concordiam sanciendam, colendam & conservandam Ecclesias adhortari, estne judicem agere? Annon licuit etiam ipsi & non rogato id officij nobis aut alijs Ecclesiis in tali casu præstare nisi & πολυπραγμων & ἀλλοτριοεπίσκοπος forsā audire velit? Sane jura cōmunionis Christianæ aliud exigunt ab omnibus Christianis, ubicunque locorum sunt; multo

magis à tantæ authoritatis Antistite, eoque tali qui duplici fœdere temporali & spirituali cum Ecclesiis harum Provintiarũ conjunctus est.

Optatus Milevitanus contra Parmenianum libro secundo dicit totum orbem tunc cum Siricio Episcopo Romano commercio formatarum in una communionis societate communicare. Neque tamen ideò ista communicatio erat provocatio ad tribunal Siricij. Quam longè igitur abeunt ab instituto & praxi veterum? Legatur I. C. tractatus de libertate Ecclesiastica, qui primo Goldasti tomo de Monarchia S. Romani Imperij insertus est. p. 706. 707. 708. ubi de mutuis Episcoporum Orientis & occidentis appellationibus communicationibusque, & missionibus formatarum & ἐγκυκλίων γραμμάτων. Inter cætera sic p. 708. docet contra Bellarminum. *Sed ne quis calumniæ sit locus, doceamus clara luce clarius ita loqui interdum veteres scriptores, ut appellare eos dicant, qui auxilium ab aliquo non* IVRIDICE. *sed* Ἀγαπητικῶς *petunt, &c.* Tertullianus alibi appellationem fraternitatis vocat, & Basilius γράμματα ἀγαπητικὰ, εἰρωνικὰ, dicit pag. 329. Apage igitur istum fastum & fastidium in reprobando isto Præsule: Apage & istam malignitatem & proterviam in depravãdis verbis hujus Doctoris Sibrandi. Sanè longè æquius Reverendus ille Archiepiscopus sentit de nobis nostrisque Ecclesiis, quam adversarii nostri. Sic enim scripsit Archiepiscopus ad virum Belgam an° 1611. 31. August. *Rogo te solare hisce Ministros, & omnes amicos tuos Orthodoxos: quibus hoc significo, me in omnibus justis causis, & quæ religionem concernunt, pro meis exiguis viribus ipsis libenter in Christo serviturum.* Epistola hæc excusa extat in libello quodam Gerardi Vryburgij, quem inscripsit **den klepnen weeck-wijser**. lit. c. 4.

In 20. & 21. numeris collocavit hæc verba exp. 10.

Quæ Vorstio objicimus extenuas, Itemque supra modum laudas Vorstium. Negat hæc Anonymus & contra ait, D. Grotium execrari quæ Vorstio objiciuntur, ideoque utrumque falsum esse.

Provocat

Provocat ad p 12. & 13. *Resp* attendendum esse ad præcedentia. Sic a. ibi D. Sibrandus. *Sed neque præjudicabis cognitioni* de *Vorstio institutæ: Attamen illa quæ Vorstio objicimus extenuas, &c. & insuper supra modum laudas eum.* Sensus est. D. Grotium præiudicare causæ Vorstii, ideo quod extenuet obiecta & laudet ipsum. Quod a. extenuet, quæ obiiciuntur, patet ex iis quæ p. 6. Pietat. leguntur. Quiritatur enim tam multa scribi in Vorstium à multis, atq; ita, negotium hoc, quod tranquillum judicat, toties exagitari. Putat propter Ordines Vorstium peti, Vorstium esse tantum prætextũ, sed causam Prædestinationis latere. Recenset cum laude, quæ ante istam vocationem acciderant dissimulatis tamen iis omnibus, quæ Steinfurti & Heydelbergæ propter crimẽ Socinianismi ipsi impactum acta erant. Quod ad hæreses Samosateni & Socini attinet, eas quidem detestatur, & meritò D. Grotius p. 2. & 9. sed interea accusationes, indicia, judicia, testimonia, quæ isto nomine in ipsum deferebantur & producebantur, extenuat, uti ad Numer. sextum ex ipsius libro ostensum est. Sufficit illi sola inficiatio Vorstii, quæ jurejurando innexa est. De omnibus istis testimoniis, & indiciis, οὐ φροντὶς ἱπποκλείδῃ. Quod si enim rejectanea & incerta esse, quæ ipsi intendebantur, docere noluisset, quorsum tam largè in ipsius laudes sese effunderet? Regerere igitur jure meliori possem, D. Grotium non cõmendare propter Ordines Vorstium, sed propter Vorstium Ordines. Ordines sunt πρόφασις, sed Vorstius est vera αἰτία, cuius promotioni ita se addictum, & intentum ostendit, ut istam judicaverit se non potuisse obtinere, nisi hoc modo Pietatem DD Ordinum, quam à D. Sibrando læsam fingebat, assereret, & tueretur.

In numerum Vigesimum secundum coniecit, quæ p. 11. extant, ubi ita scribit:

Sibrandum criminari, quod quater lacessitus semel Vorstio responderit. Falsum hoc, more suo, pronuntiat Anonymus. Qui sic? Causa n scribendi Grotio fuit, quod, *læsa à Sibrando Ordinum existimatione, officij sui fuisse credidit eam defendere* Piet p. 1, &. 2. Sed aberrat hic à scopo, & mente D. Sibrandi.

Nam p. 10. queritur sibi à D. Grotio non rectè exprobratum, quod negotium Vorstij satis tranquillum toties exagitaret, hoc est, ut sensum Grotij expressius explicemus, quod toties in Vorstium scriberet. Ad quæ respondet D. Sibrandus nihil esse causæ ipsi Grotio, cur ideò secum expostulet. Nam dicit quater se lacessitum à Vorstio semel tantum respondisse. Culpæ magis obnoxium esse D. Grotium ait, quod cum videat Vorstium tam sæpe se publicis scriptis lacessivisse, hæreses suas in vulgus sparsisse, & in bonorum virorum famam grassatum fuisse, ne semel propterea ab ipso reprehensum.

Verùm dicit Anonymus, Hoc non incumbebat D. Grotio. Aliam causam & munus fuisse ipsi, nempe ut vindicaret existimationem Ordinum à Sibrando læsam. Hoc quidem ille p. 1. & 2. suæ Piet. prætendit, scio: Sed anne ideò tam ferociter Capiti & existimationi D. Sibrandi insultare debuit? An verò Ordinum Pietatem tueri non potuit, nisi Vorstium sub velum istud occuleret, eumque sub tali clypeo securum in D. Sibrandum & quosvis adhuc spicula sua iacere pateretur? Falsum autem est D. Sibrandum læsisse existimationem Ordinum, aut etiam voluisse.

Vide piet. p. 1. ex Herodoti libro primo, de filio Cræsi muto,

Næ sanè ille nimis Barbarus, & efferati ingenii esset, qui Consessum istum Amplissimum, Nobilissimum, Prudentissimum, Felicissimum, à quo nihil unquam læsus fuit, incessere debuit, aut voluit? Non opus igitur habuit Grotius, advocatum agere, ubi nemo actor, nemo reus; Advocati non agunt, nisi moniti, & rogati. Hic sponte accurrit, & ex elingui mordaculus factus est. Quasi verò in suum jugulum iam adactum Sibrandi mucronem sensissent Nobilissimi Patriæ Patres, nisi sic tam desubirò cavisset & avertisset istum ictum hic Patronus? Sed iam omnes vident non causam ipsi fuisse scribendi, uti antea monui, Illustriss. DD. Ordines, sed Vorstium, & Arminium, quos defendere voluit, adeòque ipsas Ecclesias nostras, non ut defenderet, sed ut apud exteros, præsertim Britannicos odium & invidiam eis commoveret D. Grotius.

Ex pag. XIII. citavit hæc verba Sibrandi.

Noster

NOstri seculi *Eusebiorum tota Epistola non memini*. atque inde implebit suum 23. Numerum, ut ipsum malæ fidei accusaret. Scribit ad ista Anonymus, non verba, sed sententiam expressisse D. Grotium, cum pag. 6. suæ Piet. scriberet, *Sibrandum* vocasse in Epistola Antisocino præposita quosdam Pastores in Hollandia perfidos, aulæ insidias, novos nostri temporis Eusebios. Atqui ad tam gravem accusationem probandam debebant clara verba apponi. Et certum est D. Sibrandum potissimum hîc verba exigere. Deinde & hoc notandum, quod scribit Grotius tales *appellasse* D. Sibrandum, Appellare autem plus est, quam designare. Sed quia Num. 4. dixi, non solum verba, sed & sententiam ipsam expendi debere, videamus an ista sententia, quam Anonymus dicit à Grotio esse expressam, ex istis verbis exsculpi possit.

Scopus D. Sibrādi hic est, ut doceat hostes Ecclesiæ olim & nunc hoc agere, ut eos, qui orthodoxam religionem docent & defendunt, tanquam *Ecclesiarum* & Rerumpub. perturbatores calumnientur. Hoc probat exemplis Veteris & Novi Testamenti, quæ nimis longum esset hic reponere. Ad extremum addit ex Theodor. lib. 1. cap. 19. & 20. Exemplum Eusebij Episcopi Nicomediensis Arriani, qui ope Imperatorum multum molestiæ exhibuit Episcopis Orthodoxis. Deinde dicit *istis scandalis viros pios ita percelli, ut non solum de Statione sua deserenda cogitent, quemadmodum olim Ieremias & Elias fecerunt, sed etiam ut in Statione sua manentes penitus fileant, qui alioquin Ecclesiæ suis laboribus plurimum prodesse possent*. Tandem cum ista sibi applicare vellet, fatetur se etiam inde ita perculsum, ut dubitarit, an hunc librum contra *Socinum* in publicum edere debuerit?

Quis iam ex istis verbis talem sententiam exprimere possit, quā affinxit ipsi D. Grotius? Verū est post ista ipsum injicere mētionem NOVATORVM illorum, qui totam Theologiam in Pyrrhoniam ἀκαταλήψιαν transformare conantur, eosque se ab editione istius libri maximè absterruisse, sed quis inde colliget, eos ipsos *appellasse Eusebios* horum temporum? An non eadem ratione eosdem possint dicere Achabas, Athenienses & Sacerdotes horum temporum & quos non alios apertos *Ecclesiæ* hostes à D. Sibrando vocatos fuisse? Absit ut ita de istis sentiamus,

& hæc dicamus: quanquam multi verum esse putent, quod ideò Magnatum aulis insinuent, ut opinionibus suis majus robur & plausum apud plebem concilient. Certissimum igitur est, si verba & sententiam spectes, ista non extare in hac Epistola. Mirum tamen est, ipsos hac D. Sibrandi obiurgatione ita percelli, ut in se, quidquid istius rei ibi dixerit, competere suspicentur. An igitur verum erit, quod alibi Hieronymus scribit? Qui irascitur, quando sine nomine contra vitia agitur, accusator sui est.

Sequitur Caput vigesimum quartum ex pag. vigesima quarta desumptum.

VBi scribit D. Sibrandus: *se non videre, quorsum D. Grotius dicat Vorstium, cum ageret Steynfurti, fuisse Comitibus & Senatui gratum acceptumque.* Anonymus explicat Grotij mentem, & ait, ideò ista dici, ut ostendatur Curatoribus probabiles fuisse causas vocandi Vorstij. At hoc quidem vidit D. Sibrandus, eum in finem hæc dici, sed voluit indicare ista nullius hac in re pretij esse, idque duas ob causas. Prima est, quod apud Seniorem Comitem & Ecclesias istas olim suspectus fuit Vorstius Socinnianismi, & nisi revocasset, eiectus & suo loco motus fuisset. Altera, quod post ipsius discessum instituerint solennem visitationem Iuniores Comites, ut ita in suis ditionibus ab ipso sparsis hæresibus obviam irent. Vnde concludit parum laudis & commendationis ipsi Vorstio accedere, quod Comitibus & Senatui gratus fuerit tunc, cum Heydelbergæ revocaret, & ad tempus fraudes suas tegeret. Si enim ipsis ea omnia comperta fuissent de Vorstio, quæ postmodo toti mundo patuerunt, gratiam & locum suum perditurum credimus. Neque sanè de nihilo fuit, quod ista visitatio iussu Comitum ibi habita fuerit, an°. 1613. in Maio, præsertim si capita doctrinæ consideremus, quæ omnibus Pastoribus tunc proponebantur. Ea autem erant, De unitate divinæ essentiæ, De Personarum Trinitate, De persona Iesu Christi, eiusque Officio in genere, Et in specie, De ipsius Prophetico, Sacerdotali & Regio officio, De efficacia meriti

riti Christi, De Pædo baptismo, Prædestinatione & libero arbitrio. Non abs re fuerit, si descripsero & istos articulos personales, qui erant concepti ut Professoribus & Præceptoribus Scholæ Steynfurtensis proponerentur.

I. An quilibet Professorum & Præceptorum salva conscientia affirmare posset, quod Socinianismo non faveat, eumque introduci vel optet, vel optaverit, suamque operam ad id destinavit?

II. An Socinianos libros unquam ex Polonia curavit adferri & acceperit?

III. An cum nupero emissario Sociniano etiam conversatus fuerit, cur, quousque & quomodo?

IV. An in suis prælectionibus vel disputationibus unquam ad Socinianismum viam ullam straxerit, vel eiusmodi themata propter quæ iam ante Schola hæc suspecta est reddita *ad disputandum proposuerit?*

V. An unquam tentaverit Socinianum quid suis discipulis instillare?

VI. An inter studiosos publicos vel discipulos Classicos errores Socinianismi urgeant?

VII. An unquam voluerit in Catechismo Heydelbergensi aliquid immutari?

Respondeatur à singulis medio juramẽti, vel conscientiam esse pertẽdam.

Vnde autem quæso tales articulos Professoribus & Præceptoribus post abitum Vorstij necessitas offerendi ipsis incubuit, nisi à Vorstio & emissario isto Polono, qui Vorstij partes functus est in conciliandis & seducendis quos *dignos* ibi inveniebat? Vnde Schola ista suspicione & labe Socinianismi ante aspersa fuit, nisi à Vorstio olim ibi Theologiæ Doctore & Professore? Qui nobis non credet, credat licet Omphalio, Forkenbecio, aliisque Vorstij discipulis, quorum literæ extant. Hæc igitur omnia, quæ post ipsius discessum ibi acta sunt, opponimus istis laudationibus, testimonijs Comitum & Senatus, quæ ideò & tantum ponderis, vel ipsis quidem iudicibus, iam apud nos & alios retinere nequeunt. Ex quo etiam apparet, ut si probabilis causa fuerit eo tempore, cum hæc necdum detecta essent, Vorstium vocandi, iam multò probabiliores esse causas ipsum dimittendi.

Numerus

Numerus vigesimus quintus ex pagina vigesima septima exceptus est, Sic enim ibi scribit:

VT taceam Serenissimo Principi Electori fieri injuriam, dum eius consilium confertur cum consilio Vorstij (in præfat. Antibellar.) *Princeps enim Elector doctrinam de Deo, de Persona & officio Christi, de fide justificante, & nostri justificatione nunquam vocavit in dubium.* Anonymus dicit falsum esse *Electori* iniuriam fieri. Literas *Electoris* non legi, ideòque non satis commodè ipsius mentem assequi aut exprimere possum. Quantum tamen vel hinc conjicere licet, apparet alias causas & fines, imò aliud revera consilium Electoris fuisse, quam Vorstij. Vorstius enim suo consilio aditum & immunitatem parabat *Socinianis*, alijsque id genus hæreticis, qui *aliquid Christi* habent, uti sese latius aperuit postea in præfat. præfixa Apologeticæ *Exegesi*. Deinde ut & istis viam munire possit, Catechesin. Confessionemque, vincula scilicet & nervos consensus Belgicarum Ecclesiarum, solvere & incidere tentabat. Vocat enim ibid. *Idola humanæ authoritatis* talia scripta, quæ tanquam *divina & canonica* à nobis haberi & urgeri falsò dicit. Multa ibi *de novo Papatu invehendo* conqueritur, & quid non, quod ad pacem & unitatem Ecclesiarum Belgicarum turbandam faciat? Quam longè alia & contraria mens fuit Electori Principi? Loqui enim videtur de quibusdam controversijs minus necessarijs, & in componendis istis moderationem & prudentiam in avertendo schismate requirit. Catechesin suam nihil mutandam, neque ad Novatorum nutum attemperandam voluit. Multò igitur longiùs, imò in contrarium sensum traxit aut distorsit consilium hoc Electoris D. Grotius? Cur igitur & hac in parte ipsi injuriam factã esse à Grotio negare audet Anonymus? At dicet. Neque Vorstius in Præfat. Antibellar. istam doctrinam de Deo, persona & officio Christi, & justificatione in dubium traxit. Neque etiam hoc Dixit D. Sibrandus. Et quimirùm tam insolens & temerarius ausit esse Vorstius, quum neque hoc tempore, etsi convictus istud audeat confiteri?

Actum

Actum enim hoc dudum & conventum inter ipsos est, ut adhuc sileant aut saltem simulent, si usus postuler; aut deniq; ultra istos quinque articulos non esse prorumpendum, vide literas Omphalij.

Vigesimus sextus Numerus hic est. ex pagina 25.

Quid audio? Estne omnis dimissio pœna? Atqui Pragmatici distinguunt inter dimissionem voluntariam, honestam, et ignominiosam. Anonymus negat D. Grotium nominasse omnem dimissionem, sed cum, ait, loqui de tali dimissione, *qua Vorstio munere publico, ad quod iam receptus erat, aut etiam totis finibus interdiceretur.* Eamque dimissionem non esse voluntariam, neque honestam, sed *ignominiosam.* affirmat. Quod ille alibi, id hoc loco verissimè dicere licet, NOTABILIS perversio! Nam D. Sibrandus non scribit, D. Grotium hoc iisdem verbis in isto loco dixisse, aut ut planius loquar, ibi omnem dimissionem nominasse: sed in persona objicientis hoc sibi opponit. Sic enim habent verba: *At, inquies, omnis dimissio est pœna.* Hæc scilicet est objectio, quam forsan sibi facturum Grotium dicit? Ad hanc ita respondet. *Quid audio! Estne omnis dimissio pœna, &c.* Notandum a est, ipsum non dicere, (*At inquis*) in præsenti, sed (*inquies*) in futuro, Sed quod ad rem ipsam attinet, Fatendum est, initiò Vorstium potuisse honestius dimitti, quam nunc. Sed cui bono tam longum, statum, solenne judicium DD. Ordinum postulat D. Grotius, nisi ut sic commodè & utiliter trahi posse hoc negotium puter, & ut Vorstius sic tandem obtineat, quod velit? Quod si enim neque de omnibus certò liqueat, annon talem ex iis quæ iam allegata & probata sunt, agnoscere cogitur; qui non solum maculam aspersit, sed & spinam aculeatam Ecclesiis, Academiis, & Scholis infixit? Sed ne quidquam cognitioni de ipso institutæ præjudicare velle videar, desino; Hoc tantum addo. In hac causa non tam unius viri, quam Ecclesiarum famæ, Regum & Principum rationem habendam esse. Serenissimæ Rex M. Britanniæ in nupera sua Synodo palam pronuntiabat, *Præstat ut pereat unus,*

quam unitas. Ego sic refingo, Præstat ut abeat unus, quam ut pereat unitas. Sed utinam & sic unitas conservari posset?

Numerus vigesimus septimus ex eadem pagina talis est.

IN posterioribus Regis literis, quas vos tam cupidè in vulgus sparsistis. Anonymus hæc ita accipit, quasi D. Sibrandus simpliciter exprobrasset D. Grotio, quod ille literas istas ultimas Regis evulgasset. Fallitur. Designat enim totam istam Arminianorum cohortem. Non enim dicit, quas *tu*. sed quas *vos sparsistis*. Quin autem isti tam cupidè hoc fecerint, nullus dubito. Quod autem annotat tunc cum istæ literæ spargerentur in Batavia, D. Grotium in itinere Britanniam versus fuisse, de eo nihil mihi constat. Et si quoque sunt ipso absente vulgatæ, non tamen ipse, si domi fuisset, vulgationem dissvasisset, aut impedijsset. Nam passim quasi triumphabundus istas Ecclesijs nostris in sua Pietat. cum quadam insultatione objecit, quamvis ab ipso Rege in præjudicium Orthodoxæ doctrinæ non sint scriptæ. Et quomodo hoc potuit facere Rex iste Pientiss. cum ipse nobiscum in istis quinque articulis sentiat & doceat, uti mox ostendemus? Desinant igitur ijdem nostros incusare, quod quædam exterorum Doctorum scripta ad confirmandas Ecclesias publici iuris faciant.

Cum hoc coincidit Numerus vigesimus octavus ex pagina eadem desumtus. ubi D. Sibrandus ita scribit:

OBliquè conaris persvadere Regem velle, ut illa toleremus, quæ ipse summo jure detestatur. Anonymus hoc falsum pronuntiat. Grotium enim nihil ultra conari persvadere, quam *velle Regem, ut tolerentur quinque articuli, quos Rex legit.* Sed notandum ipsi fuit, D. Sibrandum non scripsisse ἁπλῶς, quod hoc conatus sit D. Grotius: sed *Obliquè* hoc tentasse. Atqui hoc verum esse pa-

tet,

tet ex istis, quæ p. 12. Pietat. leguntur, *Denique si gratus esse voluit, cur gratias Regi non egit, quod nuper ad sedandos Ecclesiæ nostræ motus fidele, sapiens, salubre consilium dedit?* Nam inde ostendi potest, D. Grotium hoc velle, ut si consilium Regis hac in causa sequerétur Ordines, Ecclesiæ motus sedatum iri. Atqui neque hoc verum esse docet passim D. Sibrandus. Non solum enim Ecclesiis cum Remonstrantibus litem esse super istis quinque articulis, sed insuper de aliis doctrinæ capitibus. Deinde si & istas lites omnes Dei gratia componi daretur, reliquam futuram Vorstij causam, quam à suo negotio separatam utique volunt Remonstrantes. Atque adeò hoc semper inculcat D. Sibrandus, sibi cum Remonstrantibus nihil negotii esse, sed cum Vorstio. Quomodo igitur nostræ Ecclesiæ motus sedari possent, si Regis postremis literis obsequerentur Ecclesiæ nostræ? Obliquè ergo hoc persuadere conatus est D. Grotius Regem voluisse, ut & Vorstium una cum reliquis toleremus. Sed quam falsum hoc sit, docuit Rex dudũ ista sua insigni & verè regia declaratione. Hic a. mirari subit, quod D. Grotius pag. eadem scribit, *Capita à Remonstrantibus defensa legisse Regem*. Quis? cujus nomine? & authoritate ipsi ista misit? An non ita peccatum est reipsa, quod alias Sibrando immisit? An non ita peccatum est reipsa, quod alias Sibrando impingunt immerito, contra canones concilii Africani, quibus prohibitum, *ne causa trans mare ad alterius tribunal mitteretur?* Deinde cur non & contra remonstrantibus significatum fuit, ut & Majestati ipsius suæ doctrinæ capita, defensionis & Responsionum summas descriptas simul mitterent & quæ necessum erant reliqua παχύτερον καὶ σαφέστερον exponerent, ut & hæc etiam legeret & cognosceret? utraque enim pars debebat audiri. Neq; enim bonæ conscientiæ & causæ signum est, inscia alterâ parte furtim ab alio sublegere, quod suæ causæ prosit. Quod enim Patres concilii Nicenican. XXXIII. tradũt πόλλα καὶ συναρπαγὴν solere fieri, si peregrinus quis audiatur & admittatur sine formatis, aut συστατικοῖς literis, hoc ad nostram hanc causam ritè accõmodari potest. Quantũ a & quatenus Regia Majestas in istis cõtroversiis tolerandum judicet, ex literis ipsis cognosci potest. Neque enim est, quod tantopere de nobis isti triumphent. Si n. ipse Rex tanti horroris & blasphemiæ plenam nostram sententiam judicasset, cur tolerari eam juberet? vult quidem adversam *Num.* 19.

partem tolerari, sed cum clausula, donec tota causa plenius cognoscatur. Non dubium igitur est, quin ipse sententiam nostræ Ecclesiæ, quam etiam & Regis & totius Britannicæ Ecclesiæ esse mox ostendam, præ ista altera approbandam & promulgandã judicet. Lætor a. & gratulor Ecclesiis, quod Anonymus in fine hujus numeri scribat, *Absit vt Sociniana toleremus, idque Deus avertat.* Multi tamen sunt, qui Arminianismum viam ad Socinianismum struere existimant. Certè Basilienses non verentur Arminium Socinianum palam vocitare, *Et* quorsum isti discipuli Vorstii tendant, quis non videt? Quid de Vorstio ipso sentiat orbis totus, jam dudum nemo nescit, nisi qui suam insciti& & perversitatem toti orbi prodere velit. Sed ex animo votum hoc cum Anonymo repeto, *Absit ut Sociana tolerentur, idque Deus avertat.*

Sequitur Numerus vigesimus nonus ex pagina trigesima secunda.

DE Witakero, Perkinso, & alijs Heroibus, qui de Ecclesia Dei quam optimè sunt meriti, quos *D. Sibrandus odiosè productos esse* à D. Grotio quiritatur. Sed Anonymus iterum ingeminat falsum hoc esse. Grotium nihil aliud dicere, quam *notum esse Regi, quid illi viri doceant* p. 12. sed (*defenderint*) ex Grotio debuisset scribere, si nimirum verbis pressiùs insistendum erit, verum cum hoc scribit eo loco, in quo sententiam Remonstrantium Regi explicatam fuisse ait, annon odiosè producit & opponit Witakerum & Perkinsum ab ipsis Remonstrantibus dissidẽtes? Neque etiam sine aliqua fastidii nota Regem ipsum quasi ablegare videtur ad ipsorum libros, quasi verò etiam Regi non potuisset de Remonstrantium sententia ex aliorum editis libris constare: aut non rectè percipere ipsorum opiniones nisi insuper scripto aliquo suo comprehensas ii ipsi misissent? Pari tamẽ passu hic incedendum fuerat, quod etiam supra monitum fuit. Hoc enim & contra Remonstrantes debuissent facere: aut si horum sententiam ex Calvino, Witakero, Perkinso discere potuit Rex, cur non ex Castalione, Barone, & Hunnio aliisque sentẽtiam

ciam Remonstrantium percipere potuit? Sed in omnibus isti superare authoritate suâ fulti volunt. Hoc scilicet sufficerit nostris Ecclesiis, quod ex Calvino, Witakero, Perkinso & alijs nostram sententiam hauriat Rex: Quum hoc ipsis Remonstrantibus solis datum oportuit, ut commodè suam sententiam descriptam Regi legendam mittant Sed & p. 27. Citat D. Grotius Witakerum & Perkinsum, sed non ut par erat. De illo retulit, *postulasse ipsum probari ab alijs* ectatum hoc de perseverationc, idq; nullam ob causam, quam ut firmare possit sententiam suam de Prædest. Sed quid ejus rei sit, legere licet apud ipsum in sua Cygnea cantione pag. 20. 21. De hoc; defendisse ipsum *omnium animosissimè* Calvini *sententiam.* Quasi de mundanis & leviculis rebus certamen esset, & de victoria magis, quam conscientiarum ædificatione lategisset Perkinsus cum sua ista animositate? Non diffiteor tamen Regiam Majestatem ex illorum scriptis sententiam Orthodoxam rectè percepisse. Nihil enim aliud inde quam certissimam πληροφορίαν aut conscientiæ persuasionem de nostræ sententiæ veritate percepit. Patet hoc ex actis Colloquij, aut Concilij habiti Anno 1603. in Regis aula Hamptonensi p. 18. & 24. & ex ipsius Declarat. Gall. p. 45. Gaudemus igitur Regem in his controversiis cum Ecclesiis nostris facere, ac proinde Ecclesiam totius Britanniæ, uti interpretatur D. Grotius. Sed præter ipsum Regem & ista supra dicta duo Britanniæ lumina, cõsule sis Mathæũ Eboracẽsem Archiepiscopũ, Willetũ, Artnũ, Draxum. Couperum, Iosephum Hallum, Morronum, Rollocum, alios Theologos Britannos, qui omnes à nostris partibus stant. Sed instar omnium & pro omnibus est Confessio ipsa Anglicana, legatur articulus XVII. de Prædestinatione & electione: Noti sunt etiam articuli hac de re Lambetæ consignati à toto Concilio Anglicano. Anno 1595. 20. Novemb. quum Baro, natione Gallus Cantabrigiæ eãdem controversiam ipsis movisset, quam Arminius hic nobis Lugduni Batavorum. Articuli sunt hi novem.

1. *Deus ab æterno prædestinavit quosdam ad vitam, & quosdam ad mortem reprobavit.*
2. *Causa movens aut efficiens prædestinationis ad vitam non est prævisio fidei, aut perseverantiæ, aut bonorum operum, aut ullius rei,*

quæ insit in personis prædestinatis, sed sola voluntas beneplaciti Dei.

3. *Prædestinatorum præfinitus & certus numerus est, qui nec augeri, nec minui potest.*

4. *Qui non sunt prædestinati ad salutem, necessariò propter peccata damnabuntur.*

5. *Vera, viva, justificans fides & Spiritus Dei non extinguitur, non excidit, non evanescit in electis aut finaliter aut totaliter.*

6. *Homo verè fidelis, id est, fide justificante præditus certus est plerophoria fidei, de remissione peccatorum suorum, & salute sempiterna sua per Christum.*

7. *Gratia salutaris non tribuitur, non cõmunicatur, non conceditur universis hominibus, qui servari possint, si velint.*

8. *Nemo potest venire ad Christum nisi datum ei fuerit, et nisi pater eum traxerit, & omnes homines non trahuntur à Patre vt veniant ad Filium.*

9. *Non est positum in arbitrio, aut potestate uniuscuiusque hominis servari.*

Articuli hi sunt approbati à Reverendissimis Dominis DD. Iohanne Archiepiscopo Cantuariensi, Richardo Episcopo Londinensi, Richardo Episcopo Bangoriensi & alijs Theologis. Legatur summa trium Baronis sententiarum, Et brevis explicatio doctrinæ de Electione, authore Mattheo Eboracensi Archiepiscopo nuper edita à D. Thisio.

Quod addit D. Grotium de Witakero alias honestè & reverenter loqui, eumque vocare magni meritò nominis, nihil ad rem. Non negat enim Sibrandus alibi cum laude Witakerum citatum à Grotio, sed odiosè etiam productum ait, quod iam ostensum est. Quod de Perkinso non secus existimet, gratum nobis est, sed multò gratius, si ipsius aliorumque celebriorum Britanniæ Doctorum existimationi, & judicio in hac causa Prædestinationis nihil derogatum vellet.

Sed pergo ad reliqua. Sequuntur duo Numeri de Melanchthonis sententia, quos coniun-

ctim

ctim proponam & examini subjiciam. Numerus trigesimus ex pagina trige sima tertia ita habet.

COnstat *Melanchthonem idem cum Calvino sensisse.* Trigesimus primus ex p. 34. ita legitur. *Melanchthon negat opera nostra esse electionis causam, illi (*Remonstrantes*) hoc dicunt.*

Quod ad priorem, non audet dicere falsum esse, sed ex Calvini Epistola 141. ad Melanchthonem citat tantum hæc eius verba: *Me non leviter pangit, quæ in nostra docendi ratione nimis palam conspicitur repugnantia*: Ex quo tamen concludere cogitat falsum esse, quod scripserat D. Sibrandus. Sed ipse fallitur. Quod & ipsa eadem verba Calvini arguunt, Nam agit ibi non de doctrina ipsa, sed *de ratione* proponendi aut tradendi doctrinam. Et hoc concedimus, in Methodo nimirum, aut forma docendi fuisse repugnantiam. Nam quæ Calvinus synthetica methodo de Prædestinatione docebat, ea Melanchthon analytica proponebat. Idipsum docet & fatetur uterque: Melanchthon enim in *Epistola* ad Calvinū An°. 1542. *Scio quidem hæc cum tuis congruere, sed mea sunt* παχύτερα, *& ad usum accommodata.* Calvinus in *Epistola* ad Melanthonem Anno 1552. *Sed professi sumus contra turbatores qui nomen Melanthonis prætendebant suis erroribus, ego & collegæ omnes mei eundem, quo tendis, in doctrina scopum nobis esse propositum.* vide pag. 108. Epistol. Calvini. Vnde rectè notatū est postea à Beza, zanchio, Pezelio, aliisque discipulis Calvini & Melanchthonis, in substantia doctrinæ ipsos cōvenire, sed in modo discrepare, ita ut Melanchthon à posteriori, hoc est, ab effectu ad causam ascendendo, sed Calvinus à priori, i.e. à causis ad effectum descendendo progrediatur. Loca ista omnia accuratè descripta sunt à D. Bogermanno in suis annotationibus p. 160, 161, 162. & seq. quæ hic reponere supervacui laboris erit. Quod a. nos remittat Anonymus ad locos communes Melanchthonis, fateor ibi multa de hac materia tradi quæ cum Calvino pugnare in specie videntur. sed ita concilianda esse ex interpretatione & sententia auctorum Calvini scilicet

& Me

& Melanchthonis tam certum, quam Melanchthonem & Lutherum in istis consensum coluisse. Nihil aliud in omnibus suis scriptis pia hæc anima inculcavit, quam argumenta consolationum & exhortationum locos ad obedientiam & timorem Dei, hoc est, omnia ad praxin & usum accommodavit. Ita se passim explicavit in locis communibus, tit. de prædest. Nam cum dixisset non aliam causam prædestinationis, quam iustificationē esse quærendam, mox ita hæc ad usum applicat: *Sicut* à posteriori *in justificatione dicimus aliquam in accipiente causam esse, videlicet non dignitatem, sed quia promissionem apprehendit*, &c. Ita & *de Electione* à posteriore *judicamus, videlicet, haud dubiè electos esse eos qui misericordiam fide apprehendunt, nec abjiciunt eam fiduciam ad extremum.* Sic etiam disertè scribit Comment ad Rom. cap. 9. p. 114. tom. 2. oper. *Quoties igitur disputat mens & angitur de electione, recurrat ad verbum Dei, sciat ab Euangelio nos* ordiri oportere. Et mox: *Statuamus certè velut* à posteriori *omnes electos esse, qui huic promissioni credunt, neque fiduciam hanc ad extremum abjiciunt.* Hinc est quod ibid. reprehendat istos, qui cum causam electionis scrutari volūt, præpostero ordine prius volunt scire, utrū ipsi sint electi, quam obedire verbo Dei. Et pag. 115. *Iudicemus igitur* à posteriore *hos qui Euangelio credunt, & hanc fiduciam non abjiciunt ad extremum, electos esse.*

Quod ad quædam loca, quæ D. Grotius ex Melanchthone pro Remonstrantibus descripsit, ad ea respondebitur Numer 42. Nunc sufficerit demonstrasse ex ipsorum auctorum eorundemque discipulorum testimoniis in summa rei eos congruere.

Quod a. ad alterum caput attinet, duo ibi ponuntur: unū est, quod Melanchthon neget opera nostra esse causam electionis: alterum est, Remonstrantes etiam hoc dicere. De priori silet Anonymus. Nam nihil crebrius frequentatur Melanchthoni, præsertim in Commentario Epist. ad Rom. & locis communibus, quam detestatio istius dogmatis, quo merita, aut opera dicuntur causa Electionis.

Sed alterum de Remonstrantibus dicit falsum esse. Nam colloquio Hag. fol. 107 tradere eos ait *se paratos esse scribere ac signare, quod à fratribus Contraremonstrantibus ibi ponitur. Nempe electionē factam in Iesu Christo Domino nostro sine ulla consideratione nostrorū operum.*

operum. Atqui si opera prævisa excludere penitus velint, cur D. Grotius Patres veteres laudavit, qui electionem in Deo non fidei, sed operum tãtum prævisionem in speciem causari videntur. Ex Chrysostomo dixit p. 21. Deum quærere etiam ἔργων ἔνδειξιν, eumq; eligere omnes probatæ vitæ, *Ex* Ambrosio, Deum scire, *quid* unusquisque (hominum) futurus sit, Itemque, Deũ non habere in numero bonorum, quos *malæ voluntatis* futuros præscivit. Ex Hieronymo pag. 22. Ex Dei præscientia evenire, ut quem scit *justum futurum*, prius diligat, quam ex utero oriatur. Aut igitur hic D. Grotius Remonstrantibus cantradicit, aut imprudenter ipsi ista loca exciderunt, quæ prævisionem operum stabilire videntur, aut hic latet Captio aut dolus, quod etiam vetum autumo. Vide ad Num. 43. pag. 125.

Nam alibi docet Bertius in discept. *Epistol.* cum Sibrando p. 49. 51, excludere se *opera legis*, & *non opera Euangelij*, inter quæ fidem vivam, & per charitatem efficacem familiam ducere asseverant. Sed & talis fides excludi debet, ut rectè docuit D. Paræus ad Galat. cap. 5. pag. 362. Non justificat fides per modum *Virtutis*, aut meriti. Sic n. non esset fides, sed *opus*, nec Christi meritum apprehenderet, sed elideret. Iam a constat Remonstrantes nolle subscribere huic thesi. Electionem nimirum esse factam in Christo sine ulla consideratione fidei. Nam hoc ipsum est, de quo istic disputatum fuit. In hoc autem longè abeunt à Melanchthone. Nam cum ille excludat à Iustificatione & electione opera, etiam excludit fidem, quâ est opus Euangelij. In tractatu enim suo de Iustificatione diserte negat fidem in ista materia considerandam ut opus, sed correlativè pro manu, aut organo apprehendente justitiam Christi. Quemadmodum igitur justificatio est gratuita, aut ex mera gratia, quâ Deus nos justos & acceptos habet in Christo, sine præeunte ulla fide, ita electionẽ dicit gratuitã, aut in mera misericordia Dei sitam esse, sine ullo præeunte merito aut operum aut fidei nastræ. Semper quidem hoc urget Melanchthon, ex fide nos cognoscere electionẽ nostri. sed nusquam docuit ideò electos esse, quia credimus, aut crediturí eramus; sed quia sic ex sola gratia voluit Deus. Sic n. tit. de Prædest. scribit- *Rectè dicitur, causam electionis esse* misericordiam IN VOLVNTATE *Dei*. Idem in cap. 9. ad Rom.

Cur nos ad Euangelium vocavit, & non vocavit Alexandrum, Augustum, Socratem, Pomponium Atticum? &c. *Hic necesse est causam rejicere in* voluntatem *Dei.* Et mox. *Tantum meminerit Lector, si opera secutura in vita erunt causa electionis. Non licuit Apostolo dicere, Non ex operibus.* Concludit ergo voluntatem vocantis esse solam causam electionis. Non igitur opera, neque fides prævisa potest esse causa. Si enim ex vocante Deo pendet electio, & hæc quoque vocatio necessariò præcedit fidem, certè fides non potest causari in mente Dei electionem nostri. Sequeretur etiam fidem esse causam vocationis, vel ideò nos vocare Deum, quod nos credimus. Quid igitur hic voluntas Dei, eiusque omnipotentia ageret? Nam si suspensa esset electio, & vocatio, adeoque iustificatio nostri à nostra fide, non erit volentis, aut miserentis Dei, sed currentis & volentis hominis. Sed quî curret & volet homo, nisi à Deo suscitetur à mortuis & vivificetur? Quia igitur nemo ex se credit in Christũ, sed hoc totũ est à Spiritu Dei, sicuti suo loco ex Melanchthone docebimus, eò rursum omnia recidunt, ut non fidei, ut operibus prævisis, sed *soli meræ & gratuitæ misericordiæ, & liberrimæ voluntati Dei in solidum asscribatur* electio & vocatio.

Digna sunt lectu, quæ Mrlanchthon hac de re ad cap. 9. Epist. ad Rom. fusissimè disputavit contra id genus homines, qui Deo liberrimo, & omnipotentissimo Domino cum ratione sua obstrepunt. Quis autem ipsius mentem melius assecutus est, & exposuit, quam Victorinus Strigelius? Sic ille in Explicatione locorum communium Philippi pag. 272. scribit. *Sæpè auditur difficilem esse doctrinam Ecclesiæ, quia de multis magnis rebus aliud est judicium rationis, aliud Dei. Imprimis autem est difficilis locus de Electione seu de Prædestinatione, vt semper judicarunt homines docti & indocti. Non enim de hac tanta re quidquam dici potest tam circumspectè, quin in varias reprehensiones incurrat. Si quis enim urget τὸ ἀπρεπὲς in dictis Pauli, huic mox obijcietur Stoicorum duritiei. Sin autem quærit mitiorem sententiam, videtur scripturam parum* piè & reverenter *tractare, eamque* ad suas opiniones *inflectere.* Et p. 273. *Ac vt in Arithmetica regula Cossica, seu regula Algebra est præcipuus artis numerandi locus, &c. Ita in Theologia nullus est locus abstrusior, quam hic de Prædestinatione.*

Et pag.

Et pag. 274. *Omnium sapientum animi ab initio mundi usque ad finem expetiverunt, & expetent harum maximarum & arcanarum rerum explicationem, qualia sunt consilia Dei in Electione nostri, cur tantam multitudinem hominum perire sinat, cur in eo cœtu, qui audit verbum Dei, multi sunt vocati, pauci electi? Sed has disputationes Paulus uno versu conficit, exclamans, O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! Quam incomprehensibilia sunt judicia eius, & inpervestigabiles viæ eius?*

Pag. 276. *Quoties igitur dicta scripturæ occurrunt difficiliora, ut verbi causa. Ioh. 12. Non poterant credere, quia scriptum est, Excœcavit cor populi huius. Act. 13. crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam. Rom. 9. Cum nondum nati essent, &c. Meminerit Lector Prophetiam sive enarrationem scripturæ in hac vita imperfectam esse, & lapidem accommodandum esse ad regulam, non regulam inflectendam esse ad lapidem, hoc est, redigendas esse mentes in captivitatem, in obsequium Christo, ut Paulus inquit 2. Cor. 1. nec vim afferendam esse Scripturæ propter absurditates quæ rationem offendunt.* Subjiciuntur ibid. & hæc: *Ego diu cogitavi, qua ratione possint mitigari hæc dicta, sed profectò non possum reperire remedium aliquod efficax, quod non modo cicatricibus, sed etiam vulneribus medeatur,* **men kan wel ein pampiecken nass machen/ vnd' das an offen bleiben/ aber wen es warm wird'/ felts doen wider her van.**

Sed de hoc postea, Nunc pergam ad reliqua.

Sequitur trigesimus secundus Numerus desumptus ex pagina quinquagesima prima.

VBi, ait, scribere D. Sibrandum, *quod Rex Galliæ & Britanniæ accusati sint à Grotio iniquitatis & turbatæ humanæ societatis.* Sed Anonymus hanc accusationem falsam esse pronuntiat. Nam quomodo hoc pàti possit, ut D. Grotius diceretur conviciari aut obtrectare Regibus, cum ipse eam ob causam Sibrandum insimulet? Sed audiamus quam causam suæ dissimilitudinis adferat. Dicit Anonymus judicasse illos Reges *de scripto, & nulla pœna affecisse personam.* Vt res hæc clarior fiat, paulò altius repetenda erit. D. Sibrandus judicabat Vorstium initiò honestè

dimiiti potuisse. D. Grotius in sua Piet. p. 13. hoc negat. Neque enim hoc leges divinas aut humanas pati ait, ut aliquis non auditus condemnetur. Regerit D. Sibrandus, ipsum satis in libris, qui extant, auditum esse. Sed & hoc contra iura esse & turbandæ humanæ societati contendit D. Grotius. Nam & reum nunquam damnandum ait, nisi prius in ius vocatus sit, & copia defendendi se sit facta. D. Sibr. sua Resp. dicta pag. ursit ipsum duabus ἐνστάσιν, aut exemplis, unum est Regis Galliæ, alterum Regis Britanniæ. Illum scribit Bellarminum non auditum condemnasse, eiusque librum Paryſijs combussisse: Hunc ait etiam Vorstium ex libris condemnasse. Quid ad hæc omnia Anonymus? Excipit tandem istos Reges de scriptis illorum sententiam suam dixisse, sed non affeciſſe ulla pœna personas ipsas. Atque hic primum observandum erit, noluisse hoc D. Sibrandum, ut solenne judicium capitis de Vorstio institueretur. Neque hoc necessum fuisse tunc res ipsa docebat. Ad dimissionem n. satis sufficientes urgentesque causas ex ijs omnibus, quæ tunc contra ipsum undiquaque publicabantur, oblatas fuisse. Agitur n. tantum de Professione, nõ de Capite. Quæstio n. est, An Vorstius talis existens possit & debeat, ad Professionem Theologiæ in Reformata Academia admitti? Omnia igitur, quæ ibi D. Grotius de Chiographo, de reis, de actis contra Nestorium produxit, huc non pertinent. Deinde & hoc verissimum est, in libris suis satis auditum Vorstium. Nam & inde patet, quæ monstra hic homo alat. Quod ad exempla Regum, ista optimè quadrant.

Bellarminus n. exprobrare poterat Regi & curiæ, Non sum citatus, neque auditus. Iniquè agitis quod me ex hoc solo libro judicatis, & condemnatis. Non parum hinc jura luxantur, & societas humana turbatur. Quin Vorstius etiam apud suos de ista sui, & suorum scriptorum condemnatione Regis Britan. conqueratur, nullum est dubium. Quod si aut ipse, aut Grotius Regis iram non minus, quam D. Sibrandi metuerent, totam suam χολῆς χύσιν in ipsum Regem, eiusque factum dudum effudissent. Nam ut ex iis apparet, quæ in Sibrandum patrant, multò insolentius, & ferocius in ipsum Regem involare debuissent, utpote qui multò graviora contra Vorstium ejusque libros scripsit & fecit, quam D. Sibrandus. Quod a dicit nulla pœna affe-

ciſſe

cisse ipsas personas, vanum est. Non enim poterat Rex Galliæ in Bellarminum qui erat Romæ, neque Rex Britanniæ in Vorstium, qui erat Lugdun-Batav, exemplum statuere. Alioqui nihil certius est quâ aliquâ pœnâ subituros fuisse istos, si ipsorum juris & potestatis fuissent. Ex Thuano constat, quid acciderit istis, qui in Academia Parisiensi publicis disputationibus Hildebrādi Papæ opiniones defenderunt. Rex ipse Britan. in sua declarat. idem de Vorstio significavit pag. 14. & 65. Gallicæ Edition. Generosus quoque Dominus Winwodius legatus Regius satis hoc ostendit in sua propositione in consessu Ord. General. An° 1611. 21. Sept. habita. Dicit enim palam, Regem suum judicare libros Vorstii cremandos & in ipsum Vorstium publicum exēplum statuendum esse. D. Casaubonus in Epistola dedicat. Exercitationum Antibaroniarum ad Regem Britanniæ, non dubitat scribere, animadversuram fuisse Regiam Majestatem in auctores cujusdam Socciniani libelli Racoviæ editi, atque ipsius nomini inscripti, si fuissent ipsius potestatis. Addit Arrianum quendam in sua perfidia obstinatissimum, qui in vinculis diu detentus ad sanam mentem revocari justa ratione non poterat, nuper Flammis ultricibus fuisse traditū. Sed benè habet, quod ipsi fateantur Regem Britan. iudicasse de scriptis Vorstii, Cur igitur Grotius & alii etiam idem non judicant de scriptis ejusdem? si non legerint, nimis temerarii sunt, quod ausint pro isto stare. si legerint, nimis cæcutiunt, aut perversi sunt, quod aliter judicent, quam Rex & universus orbis. Quasi ipsi soli intelligāt & sapiant, atque alii ὡς σκίας ἀίσσουσι. Sed inquiēt. Aliter ista jam interpretatur Vorstius. Sed non potest aliter ista interpretari, quā verba sonant, & series disputationum postulat. Vtinam diceret ipsum Vorstium revocasse & mutatâ sententiâ ea omnia, quæ Socini fundamenta confirmant, obelo confodisse? Ni hoc faciat, nunquam cum Rege & Ecclesiis omnibus in gratiam redire poterit. Quod a. Legatus Regis Britan. de cremandis libris Vorstii ibi dixit, hoc etiam postea præstitum est. Libri enim Vorstii jussu Regis sunt publicè cremati Londini, in cæmiterio S. Pauli. testatur hoc ipse Rex in sua dicta Declarat. p. 19. Gallic. Edit. Eadem pag. scribit Bertium blasphemum scriptum de Apostasia Sanctorum edidisse, & impudenter mētitum esse Anglicanas

Thuan. lib. 28. pag. 577 Anno Christi 1561, vide Tortur. Tor. pag. 23.

glicanas Ecclesias eandem doctrinam tradere. Quid etiam auctoritate & decreto publico sit factum Parisiis libris Marianæ, Suarezii & aliorum Iesuitarum, qui in sacrata capita & coronas Regum conjurarunt, jam dudum orbis universus novit. unde constat personas etiam non eximendas pœna, quæ id genus scripta evulgant, si nimirum in Gallis viverent.

Nimis igitur frivolum est hoc effugium Anonymi, quod dicat Reges istos judicasse non de personis, sed de scriptis eorum. Ego contra dico, ideò & de personis iudicasse, quia de scriptis iudicarunt: Et unde de personis iudicium ferre possent nisi ex scriptis? libri ipsi nihil commiserant, sed authores tantum, ideoque in eorum personas omnis pœna, & contumelia quæ libris & scriptis infligitur, redundat.

Si igitur D. Sibrandus iniquus & turbator humanæ societatis est, quod iudicavit Vorstium, in suis libris, qui extant, satis audiri posse, ideoque à professione arcendum, multò iniquius egisse, humanamque societatem magis turbasse censendi erunt Rex Galliæ, & præsertim Rex Britanniæ, quod Vorstium ex libris condemnaverit, ipsiusque personam pœnis adiudicaverit. Neque enim hæc ita accipi velim, quasi ego hæreticos quosvis omniaque eorum scripta infelicibus ustulanda lignis inque cinerem redigenda putem, sicuti eo nomine in nostras Ecclesias passim infesta plebis odia concitare amant obtrectatores multi: sed ut ostenderem non contra iura fecisse Reges istos, qui authores absentes & in suis libris tantum auditos condemnaverint.

Dixerat D. Sibrandus pagina quinquagesima secunda Se Ordines Hollandiæ nunquam accusasse.

HAnc cramben hic repetit, atque inde hunc suum trigesimum tertium Numerum implevit. Amat istud crimen sæpiculè iterare, ut ita vel apud Lectorem altius inhæreat sparsa hæc criminatio. Contrarium scribit patere supra num. 2. 3. 4. 5. sed &

4, 5t sed & ego hac in re ipsum sequar, eoque lectorem remitto.

Pendet ex isto & hic sequens Numerus ejusdem pag. ubi hæc verba.

Quod de alijs innominatis dicis, puto inanem Rhetoricationem esse. Scribit ibi D. Sibrandus se affici atroci iniuria, quod dicatur Ordines Hollandiæ impietatis unquam accusasse; Addit & hæc ibid. *Si alius quispiam est qui huius rei culpam admisit, quare non nominas eum? quare non allegas ipsius scripta, dicta, facta? Sed quod de alijs innominatis dicis &c.*

D. Grotius quidem D. Sibrandum nominatim & solum petiit, sed interea passim alios etiam perstringit, qui Illustr. Ordines impietatis insimularint. Hinc est, quod D. Sibrand. eos nominari & monstrari velit. Anonymus hic provocat ad Ioh. Arnoldi, qui pag. 3. scripta Donteclokii, Geselii, Smoutii nominat. Mentio ibi fit Dialogistæ βαρυκεφάλε. sed quem designet non passum divinare, nisi forsam sit D. Sladus, verum quod ad scripta trium istorum attinet, ego quidem in istis nullam calumniam aut injuriam Ordinibus impactam reperi. Geselius & Donteclockius iam abierunt evocati ex hisce miseriis in cælestem patriam, cuius manes non debuissent iam sic tam inhumaniter inquietari, Terrius adhuc in vivis est, qui par est, si liceat, tutandæ hac in causa suæ famæ. Quod a. addunt de concionibus plurimis & privatis sermonibus, quibus Ordines traducãtur, classicum canunt, & παροξισμὸν cient in animis Procerum. De concionibus haud dubiè falsum dicunt, nisi forsan in crimen vocent, quod pastores subinde ex verbo Dei Magistratum officii moneant. Sed quod de privatis sermonibus, non ausim negare multa à multis ex plebe, prout in talibus motibus fieri solet, impotenter in Rectores suos effundi; sed quis præstabit, quod tales committunt? Neque etiam D. Sibrandus omnino hoc inficiatur, sed dicit se *putare inanem esse* Rhetoricationem. Neque enim ipsi de omnibus certò constare poterit, quæ in Hollandia dicuntur. aut fiunt; neque se ideo plectendum putat, quod alii peccant. Nollem hanc camarinam moram. Nam si ipsis re-

ponamus

ponamus omnia ista virulenta, calumniosa, famosa, & sarcastica scripta, quæ contra nos vulgantur, quorum etiam vel Apertissimos hostes Ecclesiarum nostrarum pudet, quid aliud quam nos toti mundo, & præsertim hostibus nostris ludibrio exponimus? Legantur tamen, si tanti sint, Comedia vetus, Campana incendiaria, Conspicillum Crystallinum, & id genus alia impudentissima scripta, de quibus hoc verissimè dicitur, satius fuisse, si inter pedes tales fœtus compressi fuissent, quam ita eum ignominia Ecclesiæ matris nostrum omnium nati & editi.

Numerus trigesimus quintus sumptus est ex pagina quinquagesima quarta, atque ita habet.

QVæ tu ponis, mea non sunt, illa nec dixi, nec scripsi. Anonymus annotavit D. Grotium scripsisse de D. Sibrando, quod *dixerit Ordines à Vorstio irrisos, subsannatos, naso denique suspensos,* Piet. p. 14. Deinde dicit & hoc verum esse fatente ipso Sibrando hoc ipso libro. p. 53. hisce verbis: *Postquam docui Ordines ab ipso derisos, subsannatosque esse.* Quid velit hic Anonymus, nihil certò apparet, Rotundè non loquitur: Interim insinuare videtur vera esse, quæ Grotius ibi scripserat, ideoque malæ fidei & conscientiæ esse Sibrandum, quod ista inficietur? Imò iam supra probatum fuit num. V. Grotium, eiusque ὑπερασπιστὴν mala fide cum Sibrando agere. Non negat Sibrandus, dixisse se Ordines à Vorstio derisos & subsannatos fuisse: sed negat ideo Vorstium illusisse Ordinum imperitiæ, quod ad cognitionem causæ ipsius nullos controversiarum peritos adhibuerint: Hoc tantum dixit, Vorstium ostendere voluisse, se iudicare Ordines nec minimâ quidem harum rerum scientiâ præditos esse. Aliud enim est dicere, Ordines esse harum rerum imperitos, & aliud, Vorstium reipsa ostendisse se iudicare Ordines non esse harum controversiarum peritos. Illud negat se dixisse, quod tamen ipsi Grotius & hic Anonymus impingunt. Hanc autem fuisse ipsius mentem & sententiam clarissimis his verbis ostendi potest. Sic enim

enim in Epist. ad Archiep. scribit p. 17. *Quo sanè facto ipsos Ordines Hollandiæ subsannare & quasi naso suspendere voluit.* Voluit *enim declarare se* judicare *illos apud quos dicebat, ne minima quidem harum rerum scientia præditos esse.* Et mox: *Nam si* Judicasset *illos harum rerum vel mediocrem cognitionem habere.* &c, pag. 21. *quo item facto ipsos Ordines Hollandiæ sarcastice risit. Quia enim in illorum confessu tam pugnantia deblateravit, reipsa* ostendit *se* judicare *illos apud quos dixit, nullam harum rerum certam scientiam habere, & ob eam causam se hujusmodi* βδελύγματα *apud illos impunè pronuntiare posse.* Quis a. ex istis iam concluserit hæc idec à D. Sibrando esse dicta, ut subsannaret aut malediceret Ordinibus Hollandiæ, nisi qui frontem & conscientiam perdiderit? Non sanè ipse Sibrandus judicat Ordines talium controversiarum imperitos, sed dicit Vorstium *hoc judicasse & reipsa tunc ostendisse*, cum impunè coram illis negaret, quæ tamen antea docuerat. Hæc sunt tam manifesta & certa, ut & ipse Grotius postea ad se paulisper reversus viderit & intellexerit. Nam in postrema editione minoris formæ hæc verba non leguntur, *Quid enim est* ἐργονλας τῦ λαῦ ἔρειν κακῶς *si hoc non est?* Quod autem subjungit D. Sibrandus suum consilium de adhibendis alijs Theologis controversiarum peritis, quum ipse Vorstius in Confessu Ordinum peroraret, nihil derogat quidquam Ordinum aut peritiæ, aut judicio. Nam modestè tantum ostendit, quid ille optaverit, & optimum factum censuerit, Resp. ad Piet. p. 55. Deinde & hoc observandum, ipsum non de controversijs ipsis loqui, quarum scilicet essent Ordines imperiti, sed de tergiversationibus, contradictionibus & æquivocationibus Vorstij, quas ritè explicari à Theologis censet, Ibid. pag. 21. 22. Quamvis verò & Ordines ipsi controversias intelligerent, quod non negat D. Sibrādus, quis tamen inficiabitur Theologos de contradictionibus, & Captiosis Strophis melius judicare posse? Quod si denique & alij Theologi suum de istis æquivocationū tricis judicium interposuissent, non ideo ipsis Ordinibus judicium, aut juridicialem auctoritatem, & potestatem præreptum, aut temeratum iissent: non magis, quam cum Theologi Academiæ Lugdunensis mandato & jussu Ordinum Hollandiæ de controversijs Cornelij Wigartii, Anno 1595. 6. Septemb. censuram suam interposuerunt, ijdemque de

hæresibus Ostorodi & Vaidovij jussu Ordinum Generalium iudicarunt, Anno 1598. Si igitur Illustrium & Præpotentissimorum Ordinum Maiestas non fuerit læsa, quod in iudicandis controversijs istis iam nominatis usi fuerint Theologorum opera, quæ est iniquitas, quod in decidenda Vorstij controversia censuram Theologorum in præiudicium Ordinum cessuram dicant? Quæ est hæc perversitas, quod ideo Ordinum imperitiæ illusisse dicant D. Sibrandum, quod hoc optaverit? aut factum voluerit? verè igitur scripsit D. Sibrandus illa quæ ibi posuerat D. Grotius, non esse sua, neque ea dixisse, aut scripsisse,

Ex pagina Octogesima excerpsit hunc trigesimum sextum Numerum.

CVM videres te (ait ibid. Sibrandus) *causam Conradi sine læsione famæ & existimationis tuæ defendere non posse.* Ad quæ solummodò hoc dicit Anonymus, Grotium noluisse defendere Vorstium, idque ex toto libro satis apparere. Sed vide quæ de hac re Numero 6. 10. & 21. supra sunt dicta.

Numero Trigesimo Septimo hæc excerpta sunt ex pagina Octogesima tertia.

QVod cum his indicijs non ad Ordines eorumque delegatos venitum, non ad Illustriss. Principem Mauritium, non ad Academiæ Curatores, sed incredibili celeritate missos in Germaniam primum nuntios, non puto verum esse. Et ex pag. 84. hæc verba. *Qua conscientia & qua fide hæc scribas, tu videris.*

Anonymus vera esse, quæ Grotius dixerat, profitetur, & relegat nos ad narrationem magis particularem, quæ extat apud Iohannem Arnoldi pag. 54.

Sed ut ista syncerè & verè excutiamus, hæc duo ibi poni videtur, unum est, quod cum indicijs istis, quæ contra Vorstium initiò producebantur, non statim itum fuit ad Ordines eorumque delegatos, neque ad Principem Mauritium, neque ad Curatores

ratores Academiæ. Alterum est, quod prius missi in Germaniam nuntii sint quam ad Ordines itum fuerit. Deinde notandum est ad ista D. Sibrandum scripsisse, se *NON PVTARE* vera esse. Non n, absolutè aut ἀπλῶς negavit hæc. Et quomodo ipsi ista omnia, quæ in Batavia sunt gesta, & quorum neque author, neq; pars ulla fuit, liquidò comperta esse possunt. Non etiã hæc tam in D. Sibrandum, quam in Ministros quosdam Ecclesiarum Batavicarum à D. Grotio stringi arbitror. Verumenimverò; ut ne hac in parte veritati & fidei bonæ desimus, primum istud membrum falsum esse affirmamus. Ostendit enim hoc luculenter narratio D. Sibrandi, quæ extat in Respons. ad Pietat. pag. ead. 83, 84. ubi annotato anno, mense, die, probat cum istis indicijs idque statim, non in Germaniam itum fuisse, sed ad Ordines Hollandiæ, ad urbium Magistratus, ad Principem Mauritium, adeoque ad Ordines Generales. Certum enim est, indicia ista omnia etiam cum excusa essent, prius ad Ordines & Principem Mauritium missa fuisse, quam in vulgus mitterentur. Quod ad alterum membrum, in eo nugas agunt. Non n, indicia ista prius mitti potuerunt quam detecta fuerunt. Neque etiam refert, a primum nuntii in Germaniam missi fuerint, an verò post illa indicia. Non enim ait D. Sibrandus, tunc cum nuntii mitterentur in Germaniam, ista indicia fuisse in manibus nostris. Et sanè studiosi Theologiæ in Academia Lugdunensi Anno 1610. 3. & 16. Octob. statim cum ageretur de Vorstio vocando, iverũt cum istis indiciis, quæ tunc præ manibus erant, ad Delegatos Ordinum, & Curatores Academiæ.

Vt hoc clarius expediatur, res tota sic habet, D. Grotius in Pietat. p. 7. & 8. scripsit, statim atque compertum fuit zelotis (hoc titulo scilicet. Ministros Ecclesiarum insignire ipsi familiare est) Vorstium niti commendationibus illorum, *qui* ipsis maximè displicebant, librum illius de Natura Dei cæpisse excuti, inquisitum fuisse in ea quæ dudum acciderant, privata quoq; & ἀνέκδοτα ipsius scripta in lucem protracta, *reseratas amicorum literas*, quæ ultima tamen verba in postrema edit. studio omissa sunt. Miscet hic multa, quæ diversis locis & temporibus acciderunt. Nam quæ de protractis in lucem privatis & ἀνεκδότοις scriptis, de interceptis literis; hæc in Frisia puto facta diu, postquam in-

quisitum fuerit in librum ipsius de Natura Dei. Nam Anno 1610:16. Octob. ver. stilo, in lucem emisit Vorstius admonitionem ad omnes Theologos, & Ministros Ecclesiarum, qua de præiudicio sumendo ex istis articulis, qui dudum ex ipsius libro de Natura Dei extracti & vulgati erant, cavere voluit. Necessũ igitur est articulos istos, ad quos postea respondit Vorstius, primum Epitome quadam præmissa, deinde pleniorè exegesi Apologetica, diu ante istud tempus excerptos fuisse ab studioso Theologiæ. Sed ἀνέκδοτα ista, & privata ipsius scripta deinde subsequentibus variis annis in lucem emanarunt. Tractatum de Filiatione Christi D. Sibrandus in sua declaratione primus vulgavit Anno 1611. Tractatum de satisfactione Christi suo Cõmentario ad 99 errores Anno 1613. idem inseruit. Confessio ipsius primum quidem, ni fallor, Heydelbergæ edita, sed postea eadem cum quibusdam dictatis Franckeræ Anno 1612. divulgata fuit.

Literæ ipsius discipulorum reseratæ, & lectæ Leovardiæ à Delegatis Ordinũ Frisiæ 9. Iul. 1611 Quæ igitur ipse Grotius tã vario & cõfuso tempore gesta hic involvit, quomodo ista à nobis commodè explicari poterunt, quomodo cum omnibus istis statim & simul iri potuit ad Ordines, quæ diversis temporibus & locis contigerunt? Nimis enim notum est, hæc omnia in causa Vorstij non simul, sed paulatim in variis locis erupisse & increbuisse. Sed ad rem: Quædam igitur ibi à D. Grotio memorantur quæ præcesserunt nuntios in Germaniam missos, quædam verò secuta sunt. Sed verò quî hæc omnia rectè intelligi possint, non video. variat & mutat ipse Grotius. In prima a, edit. ita dicit. *Cum istis indicijs non ad Ordines, eorumve delegatos ventum.* Sed in ultima hac suâ edit. addita vocula (*statim*) ita scripsit: *Cum his indicijs non* statim *itum est*, &c. Hæc enim particula (statim) mutat sententiam totam. Quæ igitur D. Sibrandus respondit, ea ad priorem editionem accommodatè dicuntur. Quæ verò jam Anonymus & Ioh. Arnoldi urgent, ea ad sententiam ult. editionis referenda videntur: verum neque sic D. Grotij mentẽ expressêrunt, aut rectè interpretati sunt. Nam Grotius hic non tam de tempore missorum nuntiorum loquitur, quam de locis ipsis, ad quæ successivè ipsi nuntij missi essent. Nam sic dicit, *primum*,

mum, in Germaniam fuisse missos, Deinde *ad alia* loco, aut regna, Et *quò* non? Fraus igitur horum hominum multis modis hîc se prodit. Dubium etiam est, an Grotius putet cum istis supradictis indiciis missos fuisse in Germaniam & aliò nuntios, qui Vorstium Socinianismi arguerent: an verò sine istis indiciis ablegatos? Nam in utramque partem verba ipsius accipi possunt. verum quolibet modo intelligantur, mihi de istis nihil compertum est. Hoc scio, Theologos Heydelbergenses rogatu Ministrorum Hollandiæ iudicium suum de Tractatu Vorstii de Deo literis suis cum ipsis communicasse Quod ad narrationem Ioh. Arnoldi, eam discutiet suo tempore cum Deo D. Bogermānus, & ex istis etiam quæ dixi iam sponte corruit.

Trigesimus Octavus Numerus ex pagina 85. ita se habet.

HVc accedit te Orthodoxos Pastores Doctoresque quasdam etiam socias Provintias & ipsum denique M. Brit. Regem accusare temeritatis, quod scilicet judicium suum de Conradi hæresibus præcipitaverit. Anonymus & hic suum vetus (falsum) κοκκύζει. Hoc n, dicere Grotium ait, *eum, qui publicè de aliquo judicium condemnatorium protulit, non posse cum auctoritate postea ejusdem esse judicem.* Sed neque hoc dicit D. Grotius. verba enim ipsius, in quæ digitũ suum intendit D. Sibrandus, hæc sunt pag. 15: *Amplius addam; Tanta vos diligentia, tanta celeritate omni ex orbe præjudicia aucupatos, ut vix quisquam esset, qui se judicio integrum servasset.* Non scribit hic de iudicio condemnatorio publico, de quo Anonymus, sed de præiudiciis quorundam captatis. Quod si & ita intelligeret hæc D. Grotius, non video tamen falsum de ipso scripsisse D. Sibrandum.

Quod enim Pastores Doctoresque, quædam etiam sociæ Provinciæ & Rex ipse præcipitaverint suum iudicium, idem hoc insinuat D. Grotius, quum scribit istos omnes, adeoque *ORBEM Universum* præjudicia sua tulisse. Deinde quod illi se haud judicio integros servarint, hoc ijsdem verbis scribit D. Grotius. Cur igitur & hæc iniuria & contumelia Grotij in capita Doctorum,

rum, Pastorum, Sociarum Provintiarum, ipsiusque Regis non recidet? Anne & hoc est τοὺς ἄρχοντας λαοῦ εἴρειν κακῶς? Accipimus etiam, quod & ipsi imprudenter excidit *de toto Orbe*. Nam & hinc apparet, totum orbem vel Interprete hoc Anonymo, publice condemnare Vorstium: Mirum ergo & hosce homines paucos iudicium totius orbis recusare & rejicere, Olim hæc sententia celebrata fuit, *vox populi, vox Dei*. An verò paucorum vox & judicium de scriptis Vorstij pluris faciendum, quam vox & iudicium orbis universi? Quæ hæc dementia aut arrogantia? Quod ad rem ipsam attinet, nihil peccare puto, qui rogati iudicium suum liberè exponant de alicuius scriptis. Quæ enim in vulgus mittuntur, ea fiunt publici iuris, & censuræ omnium exposita sunt. Non omnes autem æquè subactum iudicium, & usum rerum habent, neque pollent ea doctrina & dexteritate, acumineque ingenii, ut de arduis materiis rectè iudicare possint. Necessum igitur est, ut talibus alii doctiores & exercitatiores subveniant, & cum istis publicè communicent, quæ sentiant; Quis hoc culpaverit, nisi qui contra seriam Domini nostri Iesu Christi monitionem ψευδοπροφήτας cavendos nolit?

Conqueruntur à nobis libertatem prophetandi tolli, aut in Tyrannidem, & Dominatum verti. Sed videant ipsi, an isto modo se non hoc crimine constringant, & clavem scientiæ sibi solis arrogent & custodiant? Sed se ita (inquiunt) iudicio integros non servarunt, hoc est, ut exponit Anonymus, *non possunt cum auctoritate postea eorum judices esse, de quibus publicè tale judicium condemnatorium protulerunt*. Hoc enim *esse ait ex fontibus æquitatis, ideòque tam ad Ecclesiastica, quam politica extendendum*. Verum hîc non agitur de tali iudicii forma, quæ in foro à iudicibus agitatur: sed de libertate, aut iure de aliorum scriptis iudicādi, hoc est, Quæruntur duo, unum est, An non liberum sit omnibus de publicis aliorum scriptis iudicium suum publicè proferre, idque ex ipsis scriptis? Alterum, an qui hoc fecerunt, amiserint eo facto ius & auctoritatem in cætu publico de iisdē sententiam suam ferendi? Primum istud puto nobis concessuros. De altero membro diligenter & verè disseruit D. Sibrandus pag. 85. 86. variisque exemplis hanc fuisse praxin Ecclesiæ veteris ostendit, ad suffragia scilicet, & sententiam dicendam in Synodis

etiam

etiam admissos, qui antea cum hæreticis sui temporis publicè conflictati essent: Addo hoc, si omnibus ijs eriperetur jus suffragij & sententiæ, qui vel rogati, vel sponte de publicatis hæresibus judicassent, cui bono & usui concilia? Ita enim res natæ esse possunt, ut ex altera parte astipulari hæretico reliqui Doctores & Pastores possint. Quis igitur ex omnibus istis, quorum erit in Synodo judicare, se isti judicio integrum servasse dicendus est? Aut igitur tunc nulla publica judicia in Ecclesijs de hæresibus habenda, aut qui pro, aut contra istas antea publice egerant, admittendi sunt.

SEQVITVR. trigesimus nonus Numerus ex pagina octogesima nona. desumptus.

IN quo dicit scribere D. Sibrandum, *se de Ordinibus Hollandiæ Iudicibus nihil dixisse*. Res ita habet; Scripserat D. Sibrandus in Epist. ad Archiepis. Si adhibito solo juramento aliquis elabi posset, quod conabatur Vorstius, etiam Garnettum potuisse supplicium hac ratione effugere. Hinc extruxit D. Grotius hanc calumniam, Quod videlicet D. Sibrandus scribat, Garnettum, ejusque socios parricidas Ordinibus Hollandiæ judicantibus potuisse absolvi. Sed hic ait D. Sibrandus se de Ordinibus *IVDICIBVS* Hollandiæ *nihil dixisse*, & provocat ad totam istam Præfationem. Quid ad hæc Anonymus? Profert hunc locum ex ista Præfat. pag. *15*. ubi D. Sibrandus ita: *Hoc videtur illis apud quos dixit, satis esse. Verum si hic procedendi modus (quo scil. usi sunt illi Ordines) obtinebit, nemo tam sceleratum facinus perpetrare poterit propter quod ad supplicium rapi queat.* Hic passim Ordines *eorumque judicia* prestringi dicit. *Nomina enim demonstrativa vim habere propriorum nominum.* Atqui ego iam antea concessi isto loco designari Ordines, sed tam odiosè & maligne torqueri ista doleo. Cur a. iste procedendi modus eo tempore in Causa Vorstij sibi displiceat, justas se habere causas dicit, quas in Respons. ad Pietat. p. ead. 89. etiam ingenuè & modestè indicat. Sed cur in ipsos *judices*, *eorumque judicium*, quod necdum in hac causa finitum & confectum est, involaverit, nihil ex isto citato loco demonstrari scribit.

QVADRA-

QVADRAGESIMVM Caput texuit ex istis quæ pagina Centesima septima leguntur.

IN sue libri defendo theses meas, sed ineptè & petulanter à Conrado flagellatas, de Ordinum verò judicio ne unum quidem verbum facio. Et mox, *Ut mirari satis nequeam, qui potueris tuæ conscientiæ tantam vim facere, ut illud de me scripseris.* Vt res clarior fiat. D. Sibrandus conqueritur à D. Grotio sibi hoc exprobratum, Inquisitionem, nimirum, hanc de Vorstio ideò à se factam esse, quod Ordines Hollandiæ iudicarint illos Ministros tolerari posse, qui in doctrina de Prædestinatione à se dissentiant, vide Piet. p. 16. Sed nihil falsius esse res ipsa docet. Nam inter Sibrandum & Vorstium privatis literis altercatio quædam prius fuit agitata, quam Vorstius ad Professionem vocatus fuit, atque ea non de prædestinatione, sed de aliis quæstionibus Theologicis, ut ex eorum Epistolicis diatrivis comprobari potest. Deinde ante decretum istud Ordinum de mutua tolerantia edidit (ni fallor) suam declarationem contra Vorstium D. Sibrandus. Anno 1611. nondum absoluto colloquio Hagiensi evulgavit illud scriptum, quum anno quidem eodem, sed in Octobri, finito iam colloquio, conditum sit, ut puto, decretum istud. Quod a Anonymus ex pagina 837. hæc verba allegat *Dolendum est Ordines Hollandiæ ab homine tam indocto et tam stupido DECIPI VELLE.* Itemque ex p. 841, *ut mecum doleas esse inter Proceres Hollandiæ, qui tam florentes Ecclesias his neniis turbari distrahiq; patiantur*, ea omnia non probant, quod intendit. Hoc enim ipsi propositum fuit ostendere, ideò in Vorstium inquiri cœptum à Sibrando, quod viderit sectatores Arminii tolleratos ab Ordinibus. Agit istis locis quidem de Prædestinationis quæstionibus D. Sibrandus, sed nihil de decreto aliquo aut de mutua tolerantia, multò minus de insectatione in Vorstium eam ob causam instituta. Etsi enim doleat Ordines à Vorstio in istis quæstionibus Prædest. decipi velle, & Ecclesias istis næniis distrahi, nō tamē sequitur propter istas quæstiones instituisse contra Vorstiū agere, Hoc non dicit

neque ulla ratione inde deduci potest. Mille etiam locis apertè protestatus est D. Sibrandus, sibi nihil rei hactenus cum controversiis istis Remonstrantium esse, vide imprimis pag. 110. Nihilo tamè minus clarè ostendit se ab isto & aliis dissentire in causa Prædest. sed ideo certamen hoc iniisse constantissimè negavit. Rectè igitur mirari omnes convenit, quî D. Grotius & hic Anonymus suæ conscientiæ tantam vim facere potuerint, ut illud de ipso scripserint.

Numerus 41. conceptus est his verbis quæ leguntur pagina 109.

ET *quia erubuisti hujus affirmativam* alendum scilicet hæreticum, ut (hæreses seminet) *in hac doctrinæ luce asserere, mutas statum controversiæ, & quæris, An in rebus adiaphoris & ad salutem necessariò non pertinentibus nos mutuo ferre debeamus.*

Anonymus primò respondet falsum esse, Grotium erubuisse id facere, quem constat id facere noluisse. Sed an voluerit hoc facere, iudicent omnes ex iis, quæ hactenus sunt disputata, & pro thedram. Quin etiam ipsum interea publico stipendio alendum & fovendum esse putet, nullum est dubium: Sed quia forsan regeret, de ipsius hæresibus nihil sibi constare, aliis speciosis titulis ista defendere conatur. Non enim scilicet eo animum suum inducere patitur, ut credat Vorstium multarum hæresium manifestum esse. Nam si de eo certum se esse diceret, iam utique cõstrictus hæreret. Quamdiu igitur Vorstium nullarum hæresium convictum videbit, retinendum & alendum ipsum iudicabit. Summa est, D. Grotius non vult hæreticum alendum ut hæreses seminet: sed vult alendum Vorstium, ut, quæ sunt Vorstiana, disseminet.

Deinde falsum esse dicit, quæstionem institui de rebus adiaphoris, Quæri enim de dogmatibus non planè necessarijs, hæc autem non esse adiaphora. At scire debuisset adiaphora hic latâ significatione à D. Sibrando sumi pro ijs, quæ non sunt absolutè ad salutem necessaria. Talis autem naturæ esse istas contro-

versias de Prædestinatione καὶ τοῖς ἐχομένοις passim ab omnibus inculcatur. Vide Piet. pag. 12. & Lansbergium reliquosque omnes. Quæ autem salva pace & salute animarum aliter atque aliter credi possunt, ea sunt adiaphora.

Talia sunt istis iudicibus hæc dogmata. Huc igitur derivare & inflectere negotium Vorstij lubens cuperet Grotius, aut sic saltem involuere & tegere. Ideoque recte notatum à D. Sibrando ipsum controversiæ statum mutasse, & à Vorstio ad Remonstrantes, mutuamque tolerantiam transilijsse. Hæc n. sunt ipsius clara verba. *Ad alterum veniamus accusationis caput* (quod nimirum causam Prædestinationis concernit) *Innuitur a hoc quidē rectè* (à D. Sibrando) in Præfatione (ad Archiepil.) *sed in fine ipsius libri et in prioribus ejus scriptis apertius indicatur.* Hoc *autem* ILLVD est CVIVS CAVSA *ipsam quoque in Vorstium inquisitionem à nonnullis institutam multi credunt, nempe, quod tolerandos iudicaverint Ordines Hollandiæ eos Pastores qui à Sibrando de Prædestinatione dissentiunt.* Mirum igitur, ad hæc nihil notasse aut respondisse Anonymum. Sed forsan nihil potuit. Silentium igitur & dissimulationem loco confessionis accipimus, & concludimus verum esse quod scripsit D. Sibrandus statum controversiæ mutatum esse à Grotio, ideoque Vorstium in Amplissimo isto specu Tolerantiæ cum omnibus suis hæresium involucris occultandū esse,

REPETITVR hic Numerus de Melanchthone, qui ordine est quadragesimus secundus.

Sic enim schripserat D. Sibrandus p. 110. *Moneo te optimo viro Philippo Melanchtoni injuriam facere, quod eum pro Remonstrantibus stare dicis.* Hoc non concoquere potuit Anonymus, ideoque annotavit hæc quæ sequuntur, *visum idem fuisse, inquit, Philippo quod Remonstrantibus apparet ex locis citatis, supra num. 30. Et cur ad verba Melanchthonis allata in Piet. Ordi. nihil respondet Sibrandus?* Quæritur an Remonstrantes in istis suis quinque enuntiatis

nuntiatis idem sentiant quod Melanchthon. D. Sibrandus negat, D. Grotius & Anonymus affirmant. Videamus quomodo & unde hoc probent. Anonymus primum provocat ad titulos supra citatos locorum communium. Sed ad ista tunc respondi. Deinde ad sententias & effata quædam nos remittit, quæ ab ipso Grotio ex Melanchthonis scriptis allegata sunt pag. 25. 26. & quærit cum procaci quadam insultatione, cur ad ista non responderit Sibrandus? Sed & hoc vicissim D. Sibrando retorquere licebit in Anonymum, Cur & ipse non responderit ad ista loca, quæ pro se ex Melanchthone citavit? pag. 33. 34. Verum Age examinemus nos sigillatim omnia, quæ ille adduxit, & faciamus, quod ille non esse factum exprobrat.

Quod igitur ad *Prædestinationem*, hæc loca laudat D. Grotius ex Melanchthonis libris, Primum est. Quod neget aliam causam justificationis, aliam electionis, Iam ad Num. 30. ipsius verbis expressimus & probavimus illum hæc ita intellexisse, ut de electione nostri à posteriore iudicandum esse velit, & eatenus unam eandemque causam justificationis & electionis rectè constituit.

Alterum est, quod dicat promissiones esse universales: sed restringit infinitis locis hanc universalitatem ad credentes, & qui misericordiam Dei in verbo oblatam *fide apprehendunt*, quod etiam facit Strigelius. Imò comment. ad Rom. cap. 9. p. 118. tom. 2. operum. Ita scribit, Cum disputabant Iudæi se esse populum Dei, se esse Ecclesiam, ad se pertinere promissiones, Respondet Paulus *promissiones pertinere ad electos*. Et mox. Oportet scire, quod promissiones pertineant *ad veram Ecclesiam*, non ad regnum, quod sibi falsò arrogat nomen Ecclesiæ

Tertium est, non quærendam esse aliam Dei voluntatem, quam qua simpliciter vult omnes homines salvos fieri. 1. Tim. 2,4. At tom. 1. in Enarrat. Symb. Nic. 419. b. ita se explicat, quum scribit, Voluntatem Dei non aliter à nobis quærendam esse, nisi in hoc verbo, quod per Filium, Prophetas, & Apostolos tradidit: Et in Deo acquiescendum esse juxta promissiones Euangelii. *Idem Melanchthon tom. 3, declam. 796, apud Pezelium. 367. Ideo sæpe hanc verissimam commonefactionem repetimus cogitates de Deo à patefacta voce doctrinæ* orditi *oportere, nec quærendam esse*

voluntatem Dei sine verbo ipsius, lege & expende insignem locum ex comment. ad Rom. pa. 114. tom. 2. operum. ubi apertè docet *voluntatem Dei de electione nostri esse nobis quidem* absconditam, *sed eam in verbo & Euangelio esse quærendam, non* præpostero ordine à priori incipiendum, *sed à* posteriore. Neque sanè hoc nos negamus. Etsi enim sua sit Deo arcana voluntas, teste eodem Melanchthone, quam scrutari nos non possumus, neque debemus, sedulò tamen & reverenter ejus voluntas, quæ in verbo revelata est investiganda est, atque in ea nobis acquiescendum. Deinde quod ad dictum Apostoli attinet, certum est, ipsum non intelligere de omnibus & singulis in toto mundo, sed de iis tantum, qui sunt in Ecclesia, & à Deo trahuntur per vocem Euangelij. Sic enim loquitur in Enarrat. ad Rom. tom. 4. oper. 162. *Hæc dicimus ad consolandos eos*, qui sunt in Ecclesia, *& se intelligunt* vocari voce Euangelii, *& volunt converti* (prius scil. tracti à Deo per verbum, uti mox audiemus) *Si qui a*, sine pœnitentia *movent curiosas quæstiones, cum talibus frustra disputatur*. Imò in Ioh. cap. 17. adversum hunc *Non pro mundo rogo, sed pro iis, quos mihi dedisti*, annotavit. tom. 1. operum. p. 276. ista verba intelligenda esse *de solis electis*. Deinde dicit & hanc sententiam docere, quomodo sit interpretanda illa Paulina, Deus vult omnes homines salvos fieri. & putat tantum *de electis accipiendam esse*.

4 Quartum est, Quod propter Filium Dei offeratur misericordia. Sed quis hoc negat? Nam rectè Pezelius p. 341. 342. interpretatus est mentem Melanchthonis hisce verbis. *Elegit quidem Deus ab æterno libere & mera sua gratia, quos vult salvos facere juxta Apostoli dictum, Deus elegit nos ante jacta fundamenta mundi. Sed tamen non aliter quam in Christo & propter Christum nos elegit, (ut scilicet per Christum suo tempore salutem consequamur) Nam sequitur mox: Et hanc electionem suo tempore per vocationem, quæ fit mediante verbo nobis patefacit, ut qui promissionem Dei in verbo oblatam accipiunt, & Christo per fidem sunt insiti, illi ipsi etiam sint electi, &c.*

5 Quintum est, Causam Reprobationis esse pertinaciam adversus Filium. Sed jam D. Sibrandus in Respon. sua ad Pietat. p. 33. ad hunc locum responderat, ipsum Melanchthonem non loqui de reprobatione negativa, sed positiva. Disertè enim scribit Melanchthon. *Ideo rejiciuntur, quia nolunt audire Filium.* Comment.

ment. ad Rom. cap. 9. p. 281. docet *causam reprobationis esse quidem in impijs, sed interea fatetur etiam esse hoc mirabile consilium Dei, quo paucos eligat, & multos rejiciat, & concedit secundum Apostoli sensum eos non posse etiam converti, scilicet necessitate consequentiæ*, hoc est, *ex* suppositione decreti divini.

6 Sextum est: Removendas esse à Paulo stoicas disputationes, quæ fidem & invocationem evertunt, &c. Sed quæ sunt istæ stoicæ disputationes? & quæ est illa Parcarum tabula, quam hic vult removendam? Docuit alibi intelligere se ista stoicorum deliramenta, quibus omnia ita absolutè necessaria esse dicuntur, ut tum Deo ipsi libertas, tum creaturis contingentia omnis adimatur. unde hoc consequi dicit, ut fiducia invocationis & omnia exercitia pietatis intermittantur. Interea docet esse etiam quandam determinationem divinam, quam etiam *FATUM* vocari dicit. Sic enim lib. 2, Physic. de Fato. 126. *Etsi enim temporum momenta vel* ingenia hominum *causæ minus principales dici possunt, tamen* Principalis *causa Deus est, cæteras causas mirabili consilio excitans & ad unum finem universum opus dirigens. Et hæc* FATA *dicuntur* immutabilia, *non stoica necessitate, sed necessitate consequentiæ, quia à Deo decreta sunt. Estque hoc loco Fatum appellatio causæ per se, quia significat Deum hæc ordinantem vel gubernantem.* In Articulis Bavar. 369. Tom. 1. oper. *Laudat Franciscum Stadianum, quod dicere solitus sit, se utramque hanc propositionem credere, Esse determinationem divinam, & esse contingentiam, sed se non posse omnia contraria explicare.*

Quod autem determinatio hæc non tollat libertatem voluntatis, hoc sic lib. 1. Physic. 27. & alibi, multis locis exponit, ut accipiat de electione externarum actionum, quæ rationi subiectæ sunt, & de regenda locomotiva. Vide etiam tom. 2. Oper. Comment. ad Rom. cap. 9. pag. 116.

Nam quod ad verè spiritualia & supernaturalia attinet, in ijs nullam esse homini ψυχικῷ voluntatis libertatem rotundè asseverat, sicuti mox ostendemus. Quod autem scribit Melanchthon ipsum Saulem non potuisse credere, aut invocare, quum dubitaret promissionem ad se non pertinere, aut cum ipsi tabula Parcarum obreperet, Iam decretum est te rejiciendum esse, non es scriptus in numero electorum: Hoc concedimus si de-

sto stoico fato intelligatur. Alioqui hoc certum est, ipsum Melanchthonem non ponere Saulem in numero electorum. Sic enim in Comment. ad Rom. p. 256. tom. 2. oper. *Discernit a. Apostolus novam obedientiam à carnali, et novam vocat spiritualem, alteram verò vocat vetustatem literæ. Supra a. dictum est literam significare omnes cogitationes, conatus, bonas intentiones: item opera, quæ ratio facit sine vero timore Dei, & sine vera fiducia Christi, & sine Spiritu Sancto. Sicut Saul habet bonas intentiones, bona proposita, quod velit Deo servire. Item, sacrificat & interea nec timorem habet, nec veram fidem.* Qui autem Deo velit servire, & interea sine Spiritu Sancto & vera fide permanet, ille utique non potest esse in numero electorum. Imò diserte Comment. ad Rom. cap. 9. p. 118. tom. 2. Operum. Hoc negat, cum dicit *Deum non reddere paria paribus. Esavo & Iacobo, Davidi & Sauli, quia Iacob & David eligantur per misericordiam.* Vide & pag. 378. eod. tomo. in dispositione Epistolæ ad Rom. & Annotat. in 1. ad Corinth. tom. 1. operum pag. 310.

Atqui hæc responsa sunto ad omnia ista loca, quæ ex scriptis Melanchthonis pro sententia Remonstrantium in negotio prædestinationis produxit. Sed jam & nos claris verbis & sententiis doceamus, Melanchthonem etiam Ecclesiarum nostrarum doctrinam de Præ destinatione approbare. Tom. 2. operum. p. 118. in comment. ad Rom. Caput istud nonum de Electione & Reprobatione, ita ut nostri Doctores aperte & rotundè exponit. Non jubet quidem arcanum consilium Prædestinationis inquiri; verum tamen peofitetur esse tale arcanum consilium Dei. Nam clarè docet *Filios Dei fieri electione Dei, vel quos Deus sua promissione sibi elegit, & à reliquis filiis Abrahæ segregavit inde usque ab initio. Cum videret Paulus hæc abhorrere à judicio rationis humanæ, hæc sibi opponere tradit vers. 14. Num injustitia est apud Deum! videri enim iniquum Deum, quod paribus paria non reddat, Debuisse enim utrumque Iacobum & Esavum pariter aut eligere aut perdere, ideò quod essent pares. Sed Paulum diluere aut hanc objectionem hoc modo. Cum solvitur debitum, paria paribus reddi debent. In donatione a., vel cum agitur per misericordiam, nihil opus est paria paribus reddere, &c.*

Et paulò post. Deinde addit aliud testimonium (*scilicet exod. 9. 16. de Pharaone*) ex quo oritur quæstio durior (quæ nimirum

vers.

vers. 19. extat. *Dices ergo mihi, quid adhuc succenset? Nam voluntati ejus quis restitit? ad quam non respondet, sed jubet Deo judicium relinquere.* Quid clarius, verius & ad nostram sententiam magis appositè doceri potest? Sed in dispositione ejusdem Epistolæ ad Rom., quàm edidit Anno 1529. multò manifestius hanc suam sententiam declaravit. Nam pag. 378. 379. tom. 2. Oper. ad ultimam istam objectionem vers. 19. docet, *Paulum significare indignã esse istam objectionem, ideoque dicere nos non debere expostulare cum Deo, quia Deo uti liceat creaturis pro arbitrio. Addit Apostolus de luto & figulo similitudinem, ut fiat clarior ratio repudiatæ objectionis, videlicet,* quod nihil debeat *nobis Deus, quare non debeamus eum accusare, & tanquam in ius vocare.* In Annotationibus ad Ioh. cap. 17. hæc verba, Quos mihi dedisti, &c. Hæc scripsit *quos elegisti separatos à mundo.* Itemque ad hæc verba, Non pro mundo rogo, sed pro iis quos mihi dedisti, *vide horrendum judicium Christi de mundo, cum negat se orare pro mundo,* &c. *Deinde separat à mũdo, pro quibus orat, nempe electos. docetque se ideo orare, quia electi sunt.* Quod a. aliis locis passim ad usum, aut praxin hanc doctrinam de Prædestinatione accommodatam velit, non officit nostræ causæ. Nam posita hac praxi non tollitur arcanum consilium Dei de particulari electione. In Respons. enim ad articul. Bavar. tom. 1. oper. 371. sic inquit: *Sint igitur bi fontes veræ consolationis, et sciamus tales, qui sunt in veris doloribus, non esse turbandos disputationibus de electione,* de qua *perspicua & firma consolatio est ex effectu sumenda.* Ex hisce igitur omnibus sole meridiano clarius patet, Melanchthonem non improbare eam doctrinam quæ de Prædestinatione in nostris Ecclesiis hactenus ex verbo Dei tradita fuit.

11 Quod ad secundum effatum Remonstrantium de *Reconciliatione* omnium & singulorum per mortem Christi impetrata, nihil aliud dicit D. Grotius quam illas sententias, Sic Deus dilexit mundum, Et, conclusit omnes sub peccatum, ut omniũ misereretur, universaliter sumi ab ipso Melanchthone. *Sed* jam ex supradictis apparet, quomodo ista omnia accipi ex genuina & vera mente Melanchthonis debeant.

111 Verum maior scrupulus apparet in Tertio enuntiato *De Libero Arbitrio.* Nam gratiæ resisti posse dicit D. Grotius ipsum non du-

non dubitaviſſe. Huc enim citat, quod aliquoties docet Melanchthon, apud Baſilium legi; μόνον θέλησον, καὶ θεὸς προσπαίζει. Et Chryſoſtomi, ὅδε ἕλκων, βιαζόμενον ἕλκει. *Et contrariam ſententiæ Manichæam & Enthuſiaſticam eſſe. Itemque tres bonæ actionis cauſas concurrere, verbum Dei, Spiritum & humanam voluntatem aſſentientem nec repugnantem verbo Dei.* Ad hæc omnia reſpondeo, Primum eſt, D. Melanchthonem paſsim contra Enthuſiaſtas diſputare, qui verbum Euangelii rejiciebant, & ſe violento motu invitos rapi à Spiritu ſomniabant. Sic enim in Enarrat. ad Rō. tom. 4. operum, 162. *Non cogitur, ut ſomniant Enthuſiaſtæ, expectandum eſſe violentum motum, quo te rapiet Deus etiam repugnantem, & iterum ruentem in ſcelera, &c.* In Enarrat. Symb. Nic. tom. 1. oper. p. 419. *Non exſpectandi ſunt raptus iſti Enthuſiaſtarum, qui violentiam quandam ſomniant, in qua ſenſus præcedat fidem, &c.* Sed omnium clariſsimè in Examine Theologico. 310. b. Tom. 1. oper. *Rurſus etiam errores Manichæorum & Enthuſiaſtarum fugiendi ſunt. Enthuſiaſtæ enim Anabaptiſtæ & Stencfeldiani fingunt expectandos eſſe raptus violentos, qui hominem etiam repugnantem convertunt. Hos portentoſos furores fugiamus, & conſideremus ordinem à Deo ſancitum, fides ex auditu eſt, & auditus per verbum Dei,* unde perſpicuum eſt Melanchthonem in hac cauſa, quotieſcunque iſtis memoratis Patrum dictis utitur, ſemper opponere hæc Enthuſiaſtis temporis ſui qui ſine verbo, ſolo violēto afflatu divino etiam repugnantem à Deo converti hominem dicebant. Atqui neque hoc noſtræ Eccleſiæ docent. verbum enim cum Spiritu jungunt in ordine converſionis, atque hoc modo non invitos, aut repugnantes, ſed volentes per Spiritum trahi affirmant. Alterum eſt, quod non dicimus voluntatem homini ablatam, ſed per peccatum ſanitatem voluntatis, quam per Spiritum Dei reſtitui neceſſum eſt. *Si igitur libertas opponatur violentiæ,* ſeu coactioni, agnoſcimus talem libertatem. Ipſe Melanchthon ſe explicat in libello de formandis concionibus. pag. 265. tom. 3. his ſcie verbis: *Et nequis hic ſe tollat, ratio illa naturalia dona quæ habet, non poteſt exuere. oculi vident, aures audiunt, animus cogitat, affectus impellunt, & ſi quæ ſunt aliæ actiones in corpore humano, illæ eximi non omnes poſſunt, Iam fides hoc agit, ut contra quam oculi vident, contra quam aures audiunt, contra quam ratio colligit, aliquid ſtatuat.* Pezelius

lius ad hunc locum rectè notavit pag. 514. *Esse in universum regulam illam tenendam quà à D. Luthero* Tom. 1. Witeberg. in defensione contra Eccium p. 365. est tradita, *Quando Sancti Patres liberum arbitrium defendunt, Capacitatem libertatis ejus prædicãt*, quod scilicet verti potest. ad bonum per gratiam Dei, & fieri revera liberum, ad quod creatũ est. Quod igitur ex Chrysostomo affertur, ὁ θεὸς μὲν ἕλκει, βιαζόμενον δὲ οὐκ ἕλκει, ita piè & dextrè sumptum non repudiamus. Ita enim Chrysost. exponit in Ioh. cap. 17. πρὸς ἀνάγκην οὐκ ἕλκει ὁ θεός. Chrysost. autem istud dictum extat in Homilia de conversione Pauli.

Sed si intelligatur, ita ut à multis torqueri videmus, ut homo irregenitus ex se velit verum bonum, merito rejicimus hoc cum Melanchthone, qui scribit in Exam. Theolog. 310. Tom. 1. Oper. & alibi passim, *homines in actionibus justitiæ externæ habere suam libertatem, sed interiorem & spiritualem obedientiam quæ consistit in vero timore, vera fide, invocatione & dilectione, ne posse quidem inchoare sine Enangelio & Spiritu sancto.* Quod ad Basilium, qui dicit μόνον θέλησον, καὶ ὁ θεὸς προαπαντᾷ, aut ut alij dicebant, *Præcedente gratia, Comitante voluntate*, ita debet intelligi, ut ne scilicet in conversione voluntas otiosa sit, aut in truncum, statuam & stipitem mutetur. Nam cum homo convertitur, voluntas & stipitem mutetur. Nam cum homo convertitur, voluntas equidem vult, idque liberè, alioqui non esset voluntas. Necessum igitur est, ut quum Deus προαπαντᾷ, aut quum gratia præcedit, tum etiam voluntas adsit, & comitetur. Sed prius tum excitata, & vivificata à Spiritu. Sic enim Melanchthon in libello definit. tom. 1. Oper. pag. 551. *In his verò, quitrahuntur a Spiritu sancto libertas est facultas, qua homo renatus, gubernanti Sp. S. potest obtemperare, &c.*

Deinde & hoc observandum est, quod Melanchthoni non tam ipsam doctrinam, quam usum eius tradere semper placuerit, Passim enim in omnibus scriptis præsertim in Respons. ad articul. Bavar. tom. 1 Oper. p. 370. sic inter cætera scribit: *Sicut igitur etiam conversi post ea consolatione erigendi sunt, ita IN IPSA CONVERSIONE dicendum est iis qui iam habent dolores, ne maneant in dubitatione, donec vi cogantur credere, sed audeant & cogitent Enangelium, quo Deus est efficax. Hac in docẽdo & in consolãdo & in ipsa experientia usum habent. Hoc modo & in scriptis & coram.*

Lutherus interrogantes consolatus est, ut multi norunt, qui adhuc vivunt. Et congruunt haec ad vetera dicta, Praecedente gratia, Comitante voluntate. Ideò inquit Chrysost. ἕλκει μὲν ὁ θεὸς, &c.

Vnde etiam manifestum est, haec omnia ad usum accommodata esse, ita tamen, ut non de tempore ante conversionem, sed de initijs ipsius conversionis agat. Haec n. verba notanda sunt. *Ita in ipsa conversione dicendum est ijs qui iam habent dolores.*

Et huc spectat illud dictum Nazianzeni, quod etiam admodum placuit Melanchthoni, τοῦτο χαλεπώτερον παρὰ θεοῦ ἔστι, δίδοται δὲ τοῖς χαλεπαίνουσι, καὶ οὕτω νεύουσι. Vult dicere, tunc nos velle, aut annuere & assentiri incipere, cum à Deo efficaciter vocamur. Rectè enim Melanchthon dicto isto loco docet nullam factam esse conversionem, donec omninò repugnet voluntas. Hanc autem repugnantiam, aut contumaciam voluntatis, quae omnibus natura est insita, à Deo per Spiritum & verbum tolli aut edomari passim inculcat. Sic quoque commodè intelligi debet, quod tres conversionis nostrae causas Spiritum, Euangelium, & voluntatem concurrere dicat. Nihil sane voluntati nostrae irregenitae largitur ad inchoandos, efficiendos, & perficiendos motus spirituales, sed ordinem & modum, quem Deus in nobis covertendis servat, ritè & plenè ad excitandas & consolandas conscientias memorat. Sic enim in Enarrat. Symb. Nic. tom. 2. Oper. 267. *Sic igitur & non aliter dicimus concurrere hac causas, vocem Euangely, & ipsum Filium Dei* intus nos *docentem, & effundentem Spiritum sanctum, qui cor confirmat, vt assensio & obedientia inchoetur, & voluntatem nostram luctantem, vt assentiatur verbo Dei & non repugnet. Deus antevertit nos, & vocat edita voce Euangely, docet & trahit mentem per Filium, &c.* Itaque rectè explicavit mentem Melanchthonis ibi p. 359. D. Pezelius: *Hanc ἀδυναμίαν totam scriptura* servitutis *nomine complectitur, & de quibusdam gradibus nonnulli recentes scriptores phrasin illam usurpant, quod voluntas quatenus nondum capit renasci, habeat se purè passivè, & vt Lutum in manu Figuli. Dicitur autem concurrere voluntas in actionibus spiritualibus, quatenus à Deo movetur, trahitur, corrigitur, et sanatur in his, qui renasci incipiunt per verbum Dei, et Spiritum Sanctum, tantum vt ordo monstretur, quo fit in nobis conversio, &c.* Et pag. 365. sic: *Interea tamen etsi concurrere dicitur voluntas*

illius

UNIV. U. LANDESBIBLIOTHEK HALLE (SAALE)

illius, qui renasci incipit cum verbo et Spiritu sancto, tamen hac enumeratione nequaquam pares gradus causarum ponuntur, sed discrimen retinetur. ut Spiritus sanctus sit κύριον ἐνεργοῦν. i. principale efficiens, et causa per se efficax conversionis nostra et omnium motuum spiritualium: voluntas verò sit comes imbecillis sequens ductum Spiritus sancti, idque liberè et sine coactione, sic tamen ut hoc ipsum quod volens rectè agit, non ex se, sed ex Spiritu sancto accipiat, In hac interpretatione sententiæ Melanchthonis & nos acquieſcimus, quam etiam cum ipsius scriptis & genuino sensu congruere agnoscimus. Nam sanè si tam præcisè τὸ ῥῆμα urgetur sine dubio ex fecibus Semipelagianis ista hausta erunt. Hoc enim illi volunt, ut si in conversione prima homo ex se resistit gratiæ, idem quoque possit suis viribus oblatam gratiam amplecti. Non quidem hoc tam rotundo & pleno ore audent obbuccinare, sed tamē ipsos hoc sentire & docere alias perspicuè docebimus. Sed ne in nimiā molem excrescat hæc apologia, desino. Tantum ostendam præter supra dicta ex alijs locis manifestum esse ipsum Melanchthonem eiusdem cum nostris Ecclesijs in hac materia sententiæ & doctrinæ tenacissimum fuisse. Sic Tom. 3 declam. 796.

Non potest humana voluntas credere de promissione divina & inchoare interiorem obedientiam, nisi luce accensa per Euangelium à Filio Dei & effuso Spiritu sancto in corda eorum qui convertuntur, Et mox. *Cum ordimur à verbo Dei, tum sciamus concurrere has causas, vocem à Deo traditam & ipsum Filium Dei,* efficacem *per verbi externi cogitationem, & dantem Spiritum sanctum sicut, inquit, Nemo novit Patrem nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare &c. Et tunc oportere voluntatem non repugnare Deo sed assentiri, CVM QVIDEM IAM à DEO TRAHATVR &c.*

Tom. 2 oper. Comment. ad Rom. Cap 9. p. 279. *Cum igitur disputamus, si merita non faciant discrimen (hominum) cur igitur Deus non omnium miseretur?* Respondeo, *Nos quod ad verbum & promissiones attinet, debemus retinere universalem. Sed non omnes consequuntur beneficia, quia plærique repugnant verbo, Et manifestum est, quod repugnare est voluntatis humanæ quia Deus non est causa peccati. Deinde si de Electione pro utilitate conscientiæ loquemur, dicamus sicut de justificatione dicimus, justos esse qui credunt Euangelio, & in fine non abjicium; Et tamen interea tenendum est,* quod *credere et non repugna-*

re sint motus, qui fiunt impellente Spiritu sancto. loquor a. de nostro judicio, quod non scrutatur arcanam Maiestatem sine verbo, sed intuetur Deum vocantem etc. Et post quædam interjecta, sic: Ita Paulus inquit, Non est volentis neque Currentis sed Dei miserentis, id est misericordia est quidem causa electionis non nostrum velle, aut cursus, & tamen hæc fiunt in Voluntate *et currente, non in repugnãte. Idem in Annot in 1. cor.* pag. 310. tom. 1. *Oper. Orditur justificatio ab hoc opere legis à timore, sicut in David & Paulo, imò in omnibus sanctis apparet. Sed electos Deus per Spiritum sublevat, &c. Reprobos sinit perire in pavore. Fugiunt utrique reprobi & electi* à facie Dei. Sed electos trahit ad se Deus *occulta fide,* Idem in Annotat. in Matth. cap. XII. pag. 153. tom. 1. operum. ad hæc verba Christi, *Gratias ago tibi Pater. Hic locus, inquit, primum oppugnat eos, qui in libertate voluntatis nostræ positum arbitrantur credere & converti posse ad Deum. Prorsus enim cõvenit cum illo Ioh. sexto. Nemo potest venire ad me nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. Ita namque hic dicit Christus beneficium esse Patris quod revelatum est parvulis, & pœnam, quod absconditum est sapientibus.* Talia leguntur in Enarrat. Ioh. ad hoc dictum Christi de tractione, quo continere dicit, *peculiarem Ecclesiæ doctrinam, videlicet, de caligine & contumacia naturæ humanæ, &c. Hæc caligo est non solum ignorare Deum & ejus Euangelium, sed etiam sine luce et motu, Spir. sancti non assentiri Euangelio. Refutat ergo hic locus Pelagianas tenebras, quæ prorsus congruunt cum pharisaicis opinionibus, et sunt quædam DILUTA PHILOSOPHIA.*

Lege volente

Si omnia loca hic congegarem, nimium excresceret opus hoc. Suffecerint igitur ista omnibus æquis lectoribus, qui inde discere possunt, non aliter sentire & loqui Melanchthonem de libero arbitrio, quam alios nostros Doctores: *Esse nimirũ istud servum peccati & liberum justitiæ, ideoque in ciendis spiritualibus motibus ex se planè captivum & mortuum.* Calvinus ipse ad testandum consensum suum in hoc doctrinæ Capite cum Melanchthone, dedicavit ipsi primam partem suæ Apologiæ contra Pigium scriptæ, de servitute & liberatione humani arbitrij. Ita inter cætera sic: Principiò, inquit, *eum tibi librum offero, quem duplici nomine tibi gratum fore certò novi, tum quod me amas authorem, tum quod pia, sanæque doctrinæ defensionem continet, cujus tu non modò studiosus es cultor, sed eximius, fortissimusque vindex:*

Scripta

Scripta est a. hæc dedicatio Anno 1543. mense Februario.

Concludam hæc verbis Zanchii & Pezelii, Zanchius in Epist. ad Pezelium Anno 1580. scripta sic Philippum interpretatur: ubi dicit tria ista: *concurrere in conversione, verbum Spiritum et voluntatem. Quod de voluntate dicitur, eget explicatione, ne quis forte putet eam ad sui vivificationem concurrere tanquam causam efficiētem. Ipsa enim principale subjectum est, quod convertitur, ab alio igitur, non à se ipsa ne minima quidem ex parte convertitur. Imo ne ad præparationem quidem concurrit, ut causa seipsam præparans, sed tantum ut subjectum, quod præparatur et convertitur. Præparatur enim voluntas à Domino, sed vivificata, et conversa à Domino statim sine mora acta agit, et facta de nolente volens vult, Neque credimus D. Philippum aliter intellexisse, proinde non* dicit *ad conversionem*, sed *in conversione* concurrere, *quia conversio sine eo, quod convertendum erit non fit. Convertitur verò non truncus, sed voluntas, verum mortua.* Mortuus a. *ad sui vivificationem non concurrit.* Pezelius sic pag. 294. *Hæc si considerarent, qui se Aristarchos omnium Philippi scriptorum constituunt, agnoscerent sanè si quid candoris, si quid sanæ mentis retinerent, neque cum Pelagij et Monachorum errore (quo aut meritum actionibus humanis, aut efficacia in motibus spiritualibus vel ante conversionem vel in cōversione humanis viribus sine Spiritu tribuitur) quidquam commune habere. Nec nisi necessarijs et gravissimis de causis ad refutanda somnia Enthusiastica (quibus vel securitas prophanæ, vel dubitatio perpetua, vel desperatio blasphema alitur, ac confirmatur et ministerij usus tollitur) et homo in statuam, vel truncum transformatur) piè ac rectè propugnari hanc sententiam, etc. tria ista, verbum, Sp. S. et voluntatem in conversione, et tota vita spirituali concurrere, id est, simul esse affirmat. sed suo tamen ordine, etc.*

Vltimò scribit D. Grotius ibid in hūc modum de Philippo: Et veteres citat qui liberum arbitrium esse dixerunt *facultatem in homine applicandi se ad gratiam*, Sed hic exclamare liber ô fidem ô mores! Ita ne authoribus adfingere opiniones, quas ipsi non suas, sed aliorum esse dicunt? Hoc fateor. Philippum citasse veteres, qui hoc scribant, sed anne ideo ipsis suffragari censendus erit? Nunquam, nusquam hoc dixit, hoc scripsit Melanchthon. Sed contra sibi istorum Scholasticorum sententiam, qui hoc opinentur, maximè displicere non uno loco testatus est. Eximius

est locus in libell. de sacris concion. tom. 1. p. 261. *Est a. magna quæstio, num sit in homine liberum arbitrium, quo se comparet ad gratiam. Verum nos sic sentimus, fidem non nostris viribus parari, sed esse summum et maximum Spir. Sancti opus, et donum, neque posse ita omnibus Dei verbis cor assentiri, nisi divina vi excitetur.* Sic David Orat, *Crea in me Deus cor mundum. Spiritus sancti hoc opus est nostra corda infidelitate, et impietate oppressa evolvere, sicque parare, ut certò verbis Dei assentiri possint. Videmus igitur quam longe errent, qui se ad gratiam parare volunt, cum hoc totum Spiritus sancti sit opus, etc. vide reliqua.*

Ex his manifestum evadit, falsum esse Scholasticos in definitione ista liberi arbitrij habere Melanchthonem astipulatorem, Hoc puto ipsum D. Grotium postea advertisse, quum Belgicam suæ Pietatis editionem adornaret. Nam in ea hæc ultima sententia falsò Melanchthoni ascripta rectè omissa fuit.

IV Restat ultimus articulus de perseveratione, quam non omnium credentium esse Melanchthonem apertè statuere dicit D. Grotius, ideò quod amitti gratiam, fidem, Spiritum Sanctum toties inculcat. Sed neque hinc sequitur, Perseverantiam electorum ab ipso negari aut averti. Rectè ista loca conciliantur & explicantur à Zanchio in Epist. ad Pezelium, quam videre est ad calcem objectr: & Resp. Pezelij secundæ partis.

Oppono ipsi unum locum qui Grotium refutat, & authorem ipsum explicat. Sic enim ad 10 h. cap. 6. in hæc verba, ut omne quod dedit mihi, non perdâ ex eo, annotavit p. 211. tom. 1. Oper.

Propter eos hæc dicit Christus, qui quamquam iam cæperint credere, tamen in tentatione labascuni; ubi se putant deseri, atque ideo perituros. Atque hæc est consolatio, quam a Prædestinatione petimus, scire quod in manu divina sumus.

Sic consolatur Apostolus Rom. 8. si in manu Dei sumus, cadere non possumus. Notabilis locus, qui solus omnes istas Remonstrantium opiniones uno quasi ictu sternit. Quid etiam de his controversijs senserit & docuerit Melanchthon, fusissimè explicatum est à Strigelio ipsius discipulo in publica exegesi locorum communium. Infiniti operis esset hæc omnia describere. Indicabo tamen loca & paginas, ubi, quid de hisce materiis à Præceptore suo acceperit, perspicuè tradit. De Prædestinatione,

tione. vide & lege part. III. p. 276. 277. & seq. Inter cætera hoc notandum, quod ibi dicat, *in hac causa non esse scripturæ vim adferendam propter absurditates, quæ rationem offendunt, hoc est, regulam non inflectēdam ad lapidem, sed lapidem accommodandum ad regulā, i. redigendas esse mentes in captivitatem in obsequium Christo. Et mox. Ita, inquit Ioh. 12, Non credebant in Christum* **das gienn noch hin/ aber daß er dazu setzt**/ *nec credere poterant, quod hic reperiemus remedium et malagma, quod leniat hujus loci duritiem. Sic Rom. 9. de duobus fratribus Iacobo et Esavo. Hic nihil potest tam argute, vel absurdè obtici contra paulinam sententiam, quod non ille præciderit. De LIBERO Arbitrio vide et lege prolixam disputationem* p. 324. & multis seq. pag Parte prima. Inter cætera scribit p. 372, *Sumus quidem passive quoad efficaciam et illam δύναμιν credendi, sed sumus etiā activè, dum per Spir. S. assentimur. Et pag. 381. volūtas humana (inquit) in conversione passivè se habet respectu efficaciæ, vel doni divinitus oblati? Deinde habet se activè, quod ad assensum attinet, quo beneficium accipitur. Non igitur hæc inter se pugnant. Dare est Dei, accipere est nostrum, quanquam hoc ipsum accipere non fit nostris viribus, sed per efficaciam spiritus sancti qui voluntatem et adjuvando præparat, et præparando adjuvat.* Et aliquoties inculcat idem docere Brentium & Confessionem Wittebergensem eandem sententiam complecti. Quod ad Perseverantiam, vide quæ scribit part. III. p. 82. Nam aperte ibi fatetur electionem Dei esse immotam, & electos non posse omnino excidere gratia Dei, quia propositū electionis est æternum & immutabile, &c. lege etiam quæ extant ead. parte p. 280. 281. 282. Sed ut tandem ex hoc numero Anonymi exeamus, aio, ita clarum esse, ut quasi radiis solis scriptum sit, injuriā fieri D. Melanchthoni, quod D. Grotius & alii dicant ipsum pro Remonstrantibus stare. Remonstrātes enim altero posito prius tollunt. Melanchthon vero utrumque agnoscit, sed à posteriore vult nos ordiri, atque ita ad voluntatem & misericordiam Dei ascendere, in qua omnino acquiescere & subsistere contra omnes dubitationis, & diffidentiæ fluctus admonet. Abstineant igitur & isti homines ab infectandis manibus Melanchthonis, hac in re ijsque cum manibus Calvini committendis, ut ne vulnera nova vulneribus Ecclesiæ addantur. Satis unguium in vulneribus Ecclesiæ, quæ sanare eos, non refricare oportebat.

Verum

Verum Prophetam in hisce rebus olim egit Calvinus. Sic enim in Epist. ad Melanchthonem Anno 1552. *Nec tamen fieri potest, quin me interea vehementer urat tacita ista cogitatio, improbis post mortem nostram vexanda Ecclesiæ occasionem, quoties libuerit, relinqui, dum pugnantes eorum sententias in certamen committant, quos velut uno ore unum idemque loqui decuerat.* Sed Deus misereatur nostri & ex mera sua misericordia efficiat, ut tandem nos hîc unũ sentiamus & loquamur in Domino ad laudem glorioſi sui nominis Amen.

SEQVITVR NVMERVS Quadragesimus tertius ex eadem pagina Centesima Decima desumptus: ubi Sibrandus:

Addo te esse admodum infelicem in Patrum scriptis allegandis, sed hoc fortasse ab alio declarabitur. Agitur a. ibi de istis quinque enuntiatis Remonstrantium, quæ ex Patribus & Conciliis confirmare conatur D. Grotius: sed quàm infeliciter hoc fecerit, hoc declaratum iri à D. Bogermanno innuit, Quod etiam ab ipso in suis Annotationibus diligenter & fideliter præstitum esse lubens agnosco & gaudeo. Ad hæc Anonymus tria respondet. I° Patrum scripta bona fide & appositè citasse D. Grotium, & valdè thrasonicè provocat omnes, qui cum ipso experiri volent. Deinde quasi minus dixisset, minas etiam adjungit. Dicit enim brevi fortè clarius expositum iri, quid antiquitas de istis controversiis senserit. Væ igitur Orthodoxis Belgii, Germaniæ, Angliæ, Galliæ Ecclesiis cum iste tantus exercitus in aciem dispositus contra Ecclesias prodibit, & decertabit. Ne denique omni præsidio vacuas suas opiniones relinquat, contentum se esse dicit istis testimoniis, quæ adjuncta sunt Ordinum decreto, atq; ea jubet videri & expendi. Sed ego actum agere & in magnas molestias me conjicere videbor, si velim omnia ista testimonia excutere. Quis etiam hoc jam ausit præstare, nisi qui ad Ordines deferri & postulari læsæ Majestatis velit?

Etsi autem

Etsi autem ego hunc latum campum decurrere non institui, committere non potui hac occasione, quin ad plæraque ista testimonia D. Grotij, quæ videntur alicuius pretij esse, paucis respondeam, ut vel saltem ex istis appareat, non rotam antiquitatem cum Remonstrantibus sentire. Initio pag. 16. præmunit viâ narratione sua de præcipicio Stoicismi declinando, sed quæ ibi ex Patrum scriptis malignè torquentur, & in nos stringuntur, nostram causam non lædunt. Vetus & rancida est calumnia de Stoicismo, quæ Augustino etiam fuit olim obiecta: sed lege si lubet quæ respondit lib. 2. ad Bonifa. cap. 5, contra duas Epistolas Pelagij. Itemque de civitat Dei lib. 5. cap. 9. & 10. *De prædestinatione.*

Laudat deinde D. Grotius Canonem concilij Arausicani, quo anathema dicunt ijs, qui aliquos ad malum divina potestate prædestinatos esse docent. Atqui ibi non de malo pœnæ, sed culpæ agunt Patres. Hoc præter præcedentia patet ex ijs, quæ ibi sequuntur de operibus bonis, quorum authorem & effectorem solum Deum prædicant. Hoc nempe certissimum est, quod can. 22. & 23. docuerunt, neminem de suo habere, nisi mendacium & peccatum. Si enim de suo, ergo non de Deo, neque ex ipsius voluntate. Quod autem ad pœnas, apertissimè Fulgentius libro primo ad Monimum pagina duodecima ita tradit: *Non ergò prædestinati sunt mali ad hoc, quod malè operantur. à concupiscentia sua abstracti et illecti, sed adhoc, quod justè patiuntur inviti.* Sed ante ipsum August. tract. 48. in Ioh. sic rotundè *Quomodo dixit istis? non istis, id est, ovibus meis? quia videbat eos ad sempiternum exitium prædestinatos.* Quam sententiam Fulgentius dicto libro pag. 8. & 9. multis probat & confirmat. Quæ autem sequntur pag. 17. quatuor loca ex Prospero, nihil etiam contra nos. Docemus enim hoc cum ijs, causam nostræ incredulitatis non quærendam esse in Deo, sed tantum in nobis: 1. deò tamen non evertitur illud, quod cum *August.* ex Apostolo profitemur, divinum iudicium non discrevisse homines, quod diversos prævideat & pensitaverit futuros eorum mores; Deinde observandum hæc eadem ijsdem verbis post obitum Augusti non ex veritate, sed ex livore fuisse à Semipelagianis obiecta Orthodoxis, quemadmodum & iam nostris opponuntur falsò. *lib. de prædest. & grat. cap. 7.*

Sic enim Fulgent. lib. 1. ad Monimum pag. 72. *non autem*

ignoramus etiam præterito tempore illo luculentissimo sancti Augusti operi, quod scripsit de Prædest. sanctorum. à quibusdam Gallis objectum, quod Beatus Augustus in assertione prædestinationis divinæ, peccatores non ad solum prædestinatos diceret judicium, sed etiam ad peccatum, cuius dicta, quia ipse CELERI præventus est obitu, Prosper vir eruditus et sanctus rectè defendit fide et copioso sermone.

Quod igitur ad primum locum Prosperi hic à D. Grotio citatum, ille extat in sententia 14. ad Capitula Gallorum p. 379. & 385. & notandum inter objectiones Gallorum esse decimam quartam: De qua sic idem Fulgentius dicta pagina. *Ex quibus Gallorum capitulis, vt non multa nunc ponamus, duarum responsionum loca duximus inserenda: Quarta decima quippe objectio sic habetur.* Quod qui Euangelicæ *prædicationi non credunt, ex Dei prædestinatione non credunt. Et quod Deus ita de finiverit, ut quicunque non credunt, ex ipsius constitutione non credant. Huic itaque PRAVITATI, quæ Beati Augustini dictis non ex veritate sed ex livore objiciebatur, tali Prosper sermone respondit: Infidelitas non credentiũ Euangelio nequaquam ex Dei prædestinatione generatur. Bonorum enim Deus est author, non malorum. Prædestinatio igitur Dei semper in bono est, aut ad retributionem justitiæ, aut ad donationem pertinens gratiæ, Universæ enim viæ Domini misericordia & veritas, Proinde infidelitas non credentium, non ad cõstitutionem Dei, sed ad præscientiam referenda est. Quæ non ideò necessitatem non credendi intulit, quia falli de ea, quæ futura erat, infidelitate non potuit.*

Quod ad secundum locum Prosperi, illum mala fide hic luxavit D. Grotius. Extat enim ille in sententia 15. pag. 386. & totus sic habet: *In malis a, operibus nostris sola præscientia Dei intelligenda est. (Quia sicut præscivit & prædestinavit quæ ipse facit, & ut faceremus dedit: ita) præscivit tantum, non etiam prædestinavit, quæ nec ipse fecit, nec ut nos faceremus exigit.* Mediam sententiam, quam hic semilunulis inclusi, & quæ cõtra ipsum de gratia aut gratuitis donis Prædestinationis loquebatur, volens omisit. Sed ut hoc sanè intelligatur, sciendum est, Gallos tunc objecisse etiã Orthodoxis Ecclesiis, quod docerent præscientiam idem esse quod prædestinatio est, hoc est Deum prædestinare & præscire homines tam ad mala aut peccata, quam ad bona. Hanc calumniam, qua jam & nos gravamur à nostris adversariis, ita depulit

pulit Prosper. p. 379. 380. *Qui præscientiam Dei in nullo ab ipsius prædestinatione discernit, quod tribuendum est Deo de bonis, hoc ei etiã de malis conatur adscribere. Sed cum bona ad largitorem cooperatorẽque eorum Deum, mala & ad voluntariam rationalis creaturæ nequitiam referenda sunt, dubium non est sine ulla temporali differentia Deũ & præscisse simul & prædestinasse, quæ ipso erant authore facienda, vel quæ malis meritis justo erant judicio retribuenda. Præscisse autem tantummodo, non etiam prædestinasse, quæ non ex ipso erant CAUSAM OPERATIONIS habitura.* Citantur & hæc ad verbum ex Prospero à Fulgentio, lib. 1. ad Monimum. p. 73. 74. ut ostenderet, quid de Prædestinatione Sãctorum & Impiorum debeamus sentire, & ut appareret Augustini & Prosperi sententiam sententiæ nostræ convenire, hoc est, *iniquos non ad peccatum, sed ad supplicium prædestinatos.*

Tertius locus Prosperi legitur, sententiâ contentâ pag. 381. Sed nihil iuvat ipsum. Nam in Responsione sua ad objectionem quintam Gallorum Semipelagianorum ita se explicuit, ut libenter ipsius sententiæ subscribere velimus. Sic enim legitur p. 368. Objectio autem Cap. v. *Quod qui vocati sunt, non æqualiter sint vocati: sed alij ut crederent, alij non crederent.* Responsio: *Si vocatio in Euangelij tantum prædicatione intelligatur, non veraciter dicitur, quod aliis atque aliis, aliter atque aliter prædicetur: cum unus sit Deus, una fides, una regeneratio, una promissio. Si ad effectum plantationis & rigationis aspicitur, aliud actum est cum eis, quorum EXTERIORES aures corporali voce pulsata sunt: aliud in eis, quorum interiorem sensum Deus aperuit, & in quorum corde posuit fidei fundamentum, dilectionisque fervorem. Quosdam autem ideò vocatos dicere, ut non crederent, nimis absurdum est, quasi vocatio eis CAUSA INFIDELITATIS exstiterit, & prædicatio fidei fecerit infideles.*

Quamvis enim dispensatores verbi Dei quibusdam sint (sicuti scriptum est) odor mortis ad mortem: Deo tamen bonus odor essent Christi qui prædicant Christum crucifixum, &c. Quod ergò prædicatus Christus crucifixus Iudæis erat scandalum & gentibus stultitia, humanæ voluntatis faciebat aversio.

Quod verò ipsis vocatis Iudæis & Græcis Christus erat Dei virtus & Dei sapientia, divinæ gratiæ præstabat operatio.

Quod ad quartum testimonium Prosperi hic allegatum à D.

Grotio, quo scribitur *infidelitatem non credentium Euangelio nequaquam ex Dei prædestinatione generari*, mirum est, hoc seorsim hic citari, quum in Responsione ad obiectionem Gallorum decimamquartam primo loco allegata inveniatur, de quo etiam supra dixi. Sed videtur D. Grotius non diligenter inspexisse authores, quos citavit, aut indiculo operave aliorum subinde usus fuisse in describendis locis Patrum. Pergo ad ultimum dictum quod dicit Augustini esse. Legitur autem illud apud August. in Responsione IV. ad articulos sibi falsò impositos. Ex quo etiam apparet calumniam eandem & nostris Ecclesiis falsò hodiè impingi. Hiulca tamen & manca est apud Grotium citatio hujus loci. locus totus sic legitur.

Omnium quidem hominum Deus creator est: sed nemo ab eo ideo est creatus, ut periret: (quia alia est causa nascendi & alia pereundi est. Ut enim nascantur homines, conditoris est beneficium: ut a, pereant, prævaricatoris est meritum. In Adam quippe, in quo omnium hominum præformata est natura, omnes peccaverunt, eademque sententia, quam ille excepit, obstricti sunt. Neque ab hoc vinculo, etiamsi propriis peccatis careant, absolvuntur, nisi in Sacramento mortis et resurrectionis Christi per Sp. sanctum renascantur) Nimis ergo impius & indoctus est, qui vitium naturæ non discernit ab authore naturæ: à quo prorsus alienum est, quidquid in unoquoque damnandum est.

Totam istam mediâ sententiam, quæ hic semilunulis inclusa est, volens videtur prætetijsse, ne in ἔλεγχον suæ ipsius calumniæ incideret: Objecerunt enim olim Semipelagiani Orthodoxis, objiciunt etiam nunc ijdem nobis hanc calumniam: Nempe docere nos, quod Deus majorem partem generis humani ad hoc creavit, ut illam perdat in æternum. Rectè respondemus cum Augustina & Prospero, falsum hoc esse, ideo quod *alia sit causa nascendi, alia pereundi*, atque ideò nimis *impium* & *indoctum* esse, qui vitium naturæ non discernant ab authore naturæ, quod tantum postremum hic citavit Grotius. Notandum quoque est, quæ hic Augustino tribuuntur, ea apud Prosperum in Respons. ad object. Vincentianas. object. 3. p. 389. extare. Parum refert, cuius illa sint: sufficerint tamen ista calumniis adversariorum, qui dicunt nos peccandi causas Deo, aut damnationem hominum fatali necessitati ascribere, diluendis: Si tamen ista non sufficerint

fecerint curiosulis, audiant & hæc D. Grotius, & tota Arminii schola, quæ Augustinus Epist 106. rotundis verbis toti mundo inclamat: *Cur omninò creati sunt, quos Deus ita peccaturos, ut æterno essent igne damnandi, sine dubitatione præscivit? quamvis enim peccata non fecit, naturas tamen ipsas, quæ per se ipsæ sine dubio bonæ sunt, quibus tamen ex arbitrio voluntatis futura essent vitia peccatorum, & in multis talia, quibus esset æterna pœna reddenda, quis nisi Deus creavit? Quare? nisi quia voluit? Quare a voluit? ô homo tu quis es qui respondeas Deo! Numquid dicet figmentum ei, qui se finxit, quare me sic fecisti? &c.* Quæ sequuntur in Grotio p. 17. de hæresi Prædestinatorum ex Sigeberto & ex Gersone, illa à nostra sententia sunt alienissima. Et sine dubio tunc cum certamina de libero Arbitrio ὁ ἀκμὴν essent, ab adversarijs Gratiæ malignè impacta fuerunt Doctoribus Orthodoxis, quemadmodum & nunc hoc fieri videmus. Hoc sanè uterque insinuare videtur; Nan Sigebertus: Hæc hæresis inquit, ex libris *Augustini malè intellectis initium sumpsisse dicitur.* Gerson ita: *Habet error iste ramos plurimos pullulantes ex dictis Apostoli & Augustini & similium malè intellectis super prædestinatione Dei.* Ita hodiè ex malignitate aut inscitia detortis nostrarum, Ecclesiarum sententiis extruuntur ijdem, adeoque plures absurditatum cumuli, quibus odia Magistratus & plebis in nos concitantur. Hinc est quod & nos inter *Prædestinatos istos* hæreticos accensent & palam traducunt. Sed opponimus ipsis quæ Augustin. tũ alibi passim, tum inprimis de corr. & grat. & Prosper de vocat. Gent. lib. 2. cap. 10. p. 76. tom. 2. lit. A. & D. pro nostris Ecclesiis solidè & prolixè contra ista objecta dudum disputarunt.

Sed veniamus ad glossas Patrum, quibus nostra munimenta Scripturæ infringere conatur. Primò ad istum locum Rom. 8. vers. 28. τοῖς κατὰ πρόθεσιν κλητοῖς οὖσι, dicit Grotius Chrysostomum intelligere ταυτὴν τὴν πρόθεσιν non Dei vocantis, sed hominum qui vocantur, propositum. Sed ex ijs, quæ ibid. sequuntur apud Chrysost., apparet ipsum in hoc negotio non rejicere Dei propositum. Nam mox: *Ostendit & aliundè* Providentiam Dei, *quum dicit ista divinitus esse præscripta. Item. ab initio erga nos disposita, unde dicit, Quos vocavit, eos justificavit.* pag. 101. & alibi ipsam πρόθεσιν θεοῦ expressè dicit, 2. Tim. 1. 9. Locum integrum

græcè descripsit D. Bogermannus in Annotat. pag. 126. Et idem Chrysost. ad cap. 9. vers. 11. πρόθεσιν Dei, interpretatur *electionem Dei juxta præscientiam factam*, vid. p. 111. c. locum totum ἐκλογὴν θεοῦ κατὰ πρόγνωσιν apud Oecumenium.

Neque aliter Theophylactus, qui Chrysostomi vestigijs pressiùs insistit, sic ad hæc verba scripsit: *Deinde quia hoc incredibile videbatur, à præteritis hoc stabilit, inquiens, ij qui secundum propositum vocati sunt. Etenim vocavit te, quum longè abesses, sibique te proprium fecit, quantò magis vocatum te suscipiet? vocatus autem est homo secundum propositum, hoc est, secundum peculiare Dei consilium, ac deliberationem.* Vnde rectè August. lib. 2. contra duas Epist. Pelag. pag. 212. contra eos qui ibi de proposito hominis, & non Dei Apostolum loqui putabant.

Hoc est (inquit) propositum Dei, unde dicitur, omnia cooperantur in bonum ijs &c. Hominis autem propositum bonum adjuvat quidem subsequens gratia, sed nec ipsum esset, nisi præcederet gratia. Studium quoque hominis quod dicitur bonum, quamvis cum esse cæperit, adjuvetur gratia, non tamen incipit sine gratia, sed ab illo inspiratur, de quo dicit Apostolus 1. Cor. 8. Gratias Deo qui dedit studium. &c.

Imò ipse Chrysostomus ad cap. 14. Actor. homil. 30. eos. qui præordinati erant ad vitam, dicit *præfinitos à Deo*, & iuxta voluntatem Dei assumptos esse. Quo tad Ambrosium fatetur D. Grotius ipsum quidem non de hominum sed Dei proposito, locum istum Pauli accipere: sed de tali proposito Dei ipsum interpretari dicit, quod ex præscientia futuræ nostræ fidei pendeat. Hæc enim citat ex ipso: *Hi autem secundum propositum vocantur, quos credentes præscivit futuros sibi idoneos, ut antequam crederent, scirentur.*

Sed notandum est Ambrosium non loqui de ista præscientia Dei, quæ ex nostra fide pendeat, sed quæ in ipso Deo eiusque consilio & voluntate resideat. Sic enim ad caput nonum eiusdem Epistolæ pag. 496. lit. M. seipsum explicavit. *Vnum elegit præscientia, & alterum sprevit. Et in illo quem elegit, propositum Dei manet; quia aliud non potest evenire, quam scit & proposuit in illo, ut salute dignus sit, & in illo quem sprevit, simuli modo manet propositum, quod proposuit de illo, quia indignus erit.* Et multò clarius ad vers. 15. eiusdem cap. *Ergo miserebor, ejus, cui miserebor: hoc est, ejus miserebor,*

rebor, cujus præscius eram, quod misericordiam daturus essem sciens conversurum illum, & permansurum apud me.

Patet igitur Ambrosium ipsum nomine præscientiæ etiam complecti gratuitam & liberam electionem Dei, 2. ipsum loqui de futuris *sibi idoneis* aut aptis, quos ille ex misericordia sua tales facturus esset. Quod & postea Arausicanum concilium can. 12. tradidit: *Tales nos amat Deus, quales futuri sumus ipsius* dono, *non quales sumus nostro merito.*

Amplius a. suam mentem ibi aperuit Ambrosius ad istum versum supradictum his verbis. *Incredulis tamen prædictis non valdè dolendum est, quia non sunt prædestinati ad vitam. Præscientia n. Dei olim hos non salvandos decrevit, &c.*

Pergit Grotius & ex eodē Apostolo cap. 9. dicit nos urgere hæc verba μὴ πως ἄρα γενηθέν ἴωμεν, & quæ sequuntur, τὸν Ιακὼβ ἠγάπησα, τὸν δὲ Ησαῦ ἐμίσησα. Ad quæ Chrysostomum dicit commētatum esse ita, ut causam istius dilectionis non quidem in operibus bonis, sed tantum in εὐγενείᾳ προαιρέσεως καὶ γνώμῃ Iacobi εὐγνώμονι latere putet. Verum ex toto istius loci commentario facilè apparet Chrysostomum attollere etiam animum suum ad ipsam liberam & voluntariam electionem Dei, Nam p. 111 c. sic loquitur: *Et non dicit, quoniam hic quidem bonus, iste verò malus erat, ideo præhonoratus est hic, &c. Sed ad* Dei scientiam *omne negotium conjicit, cui* repugnare *nemo planè ausit, etiamsi vehementer insanus fuerit.* Et mox: *Præscientia siquidem istud erat, quod ex eodem partu sibi delegit ut appareret, inquit, manifestaque fieret electio Dei juxta præscientiam facta.* Et statim: *Cedo igitur incomprehensibili electionis arcano:* Quomodo a. hæc intelligat mox exponit p. 112. *Atque ideo & Publicanum elegit, & latronem & meretricem; sacerdotes verò & presbyteros ac principes contemsit & rejecit. Hoc & in Martyribus contingere planè quis viderit. Hic multi, qui prorsus abjecti fuerant, certaminum tempore coronati sunt, & vicissim, qui magni quidam apud multos esse putabantur, subversi sunt & exciderunt. Noli itaque ab hoc opifice rerum exigere causas, neque dicas, cur hic coronatus est, ille verò punitus? Novit autem ista diligenter & exactè facere, unde & dixit, Iacob dilexi, Esau vero odio habui.*

Agnovit igitur & hîc Chrysostomus electionem Dei, eamque talem, quæ incomprehensibilis & arcana nobis sit, & cui resisti

à nullo

à nullo poterit, Altius etiam in hac materia subvehitur, cum paulo antea sic scribit p. 109. D.

Quid enim hic dicit quispiam, CAVSARI poteris (quod nimirum in locum Filij ad regnum suffectum fuerit mancipium vilissimum) An hoc quod indignus sit Filius? Sed hic quoque, qui in illius locum susceptus est, non minus est indignus, imò multò etiam indignior. Oportebat igitur aut illos pariter puniri, aut pariter honorari. Tale scilicet & Gentibus usu venit & Iudæis, imò quod isto mirabilius etiam est. quod enim omnes utrobique indigni sunt, manifestavit in præcedentibus, ubi dixit, Omnes peccaverunt ac destituuntur gloria Dei. Hoc vero novum erat, quod cum omnes essent pariter indigni, Gentes solæ servatæ sunt.

Quid igitur ad hæc Grotius? Dicet Deum tantum, qui præcedentia & futura novit, prævidisse, qui futuri essent digni & indigni. Sed occurrit ibid. Chrysost. ipso teste & astipulatore, Quod dignitatem istam in occulta quadam aptitudine, dispositione & nobilitate animi sitam esse dicit. Vnde sequitur causam non esse fidem prævisam, neque opera quæ externa sunt, & foras perrumpunt. In quamcunque igitur formam se & Chrysostomum suum vertat Grotius non hoc ab ipso extundet, eos nimirum quos Deus præscivit credituros eligi, sed si attentius & pensiculatius ista excutiantur, hoc tantum; eos scilicet electos ab æterno esse, in quibus illam internam & abditam animi εὐγενείαν præviderit. Quod si & hoc cõcedatur, supererit & hæc quæstio, unde ista animi εὐγενεία, & γνώμη εὐγνώμων .i. aptitudo & dispositio talis occulta in homine? Audivimus supra ipsum Chrysostomum rectè conclusisse, causam in homine non latere, ideo quod *omnes* peccaverint? Et suo loco *postea* intelligemus ex eodem Chrysostomo post lapsum omnes homines ex æquo corruptioni & exitio immersos esse. Sequitur igitur & hanc εὐγενείαν à Deo solo esse, qui dona sua partitur quibus & sicuti vult, cui etiam & hoc (citante ipso Grotio) tribuit Chrysostomus, quod τὸν τοιοῦτον κἂν ἐν κακίᾳ διατρίβων τύχῃ, οὐ περιοφθήσεται, ἀλλὰ ταχέως αὐτὸν ἀνιμήσεται ὁ πάντα εἰδὼς θεός. Sicuti igitur Dei est confestim ex peccato ἀνιμᾶσθαι τοιοῦτον εὐγενῆ, nobilem hominem sive electum: ita Dei erit ipsi talem εὐγενείαν infundere per suum Spiritum, eumque ab aliis, qui natura sunt δυσγενεῖς, discernere,

Quod ad loca ista Ambrosii, quæ in hunc textum adduxit D. Grotius,

Grotius, ea omnia supra sunt discussa. Hoc unicum hîc tantum notandum in citatione istorũ trium locorum excerpsisse ipsum, quæ sibi in speciem favere videbantur, omissis istis, quæ authoris mentem explicabant. Nam post illa, *sciendo enim quid unusquisque illorum fututurus esset*, &c. hæc statim sequuntur, quæ à Grotio præterita sunt, *Quia a. aliud non potest evenire, quam scilicet proposuit in illo, ut salutè dignus sit: Et in illo quem sprevit, simuli modo manet propositum Dei, quod* proposuit de illo, *quia indignus erit.* Deinde ante hæc, *Præscius itaque Deus malæ illos voluntatis futuros*, &c. hæc docuerat. *Incredulis a. prædictis non valdè dolendum est, quia non sunt prædestinati ad vitam. Præscientia enim Dei olim hos non salvandos* decrevit. Et mox se se ita exposuit, cum dicit, *Præscientiam Dei esse qua definitum habet, qualis uniuscujusque futura erit voluntas, in qua mansurus erit, per quam aut damnetur, aut coronetur.* Tertiò ubi dicit *misericordiam daturum esse Deum ei, quem præsciverit post errorẽ recto corde reversurũ ad se*, immediate antè scripserat *Deum præstiturum misericordiam ei, cujus præscius erat, quod misericordiam daturus esset*, &c. Et mox, cum dixisset, *Deum vocare, quem sciat obaudire, & non vocare, quem sciat minime obaudire*, addit, *Deum tunc vocare, cum ad recipiendam fidem compungat.* Tandem eò dilabitur Ambrosius, ut fateatur, *periculosum esse discernere judicium Dei, propter diffidentes tamen recurrendum esse magis ad res, quam verba:* hoc est, à posteriore magis ordiendum in tradendo usũ huius doctrinæ, quam à priore, atque ita semper manifestũ futurum, Dei judicium nunquam esse injustum.

Post hæc ad figuli similitudinem pergit D. Grotius, quam à nobis ad vivum resecari dicit, sed aliter sentire Chrysostm. & Ambrosium: Chrysostomum scribit existimare, quod Apostolus ista de figulo non ideò protulerit, ut tolleret τὸ ἀυτεξούσιον, sed ut ostenderet, quousque *parendum sit Deo.* At Chrysostomus agit hic contra Manichæos, qui hoc loco abutebantur, ut dicerent etiam esse talem Deum, qui conderet substãtias malas, non aliter atque figulus condit & fingit vasa in gloria. Hoc apparet inde, quod ibid. p. 113. sic scripsit.

Non putabis ista de ratione δημιουργίας (creationis) *aut voluntatis necessitate à Paulo dici, sed de dispensationum potestate ac differentia. Nam si de voluntate esset hic sermo, sequeretur ut idem esset tam bono-*

rum quam malorum opifex, effetque homo extra omnem boni maliq; causam.

Sed neque noſtrûm quiſquam eſt, qui hoc ſimile eouſque urgendum, aut trahendum dicat. Hoc autem cum Chryſoſtomo volumus, ibi ſignificari poteſtatem & differētiam diſpenſationum Dei, quæ nullius cenſuræ obnoxiæ eſſe debent. Sic enim ibi poſt iſta verba: *In eo ſiquidem, quod à Deo rerum inquiruntur cauſæ, non oportet nos aliter habere, quam lutum ad figulum ſuum. Neq; enim hic non contradicere ſolum, aut inquirere, ſed ne ſonare quidē omnino, neque cogitare etiam quod contrarium ſit, &c. Sed luto illi inanimato fingentis ſe manum, quocunque voluerit, circumagentis obſequenti ſimiles eſſe debemus.*

At quid maſſa luti conferet ad creationem ſui operis aut vaſis? Quid homo irrigenitus, ψυχικὸς, & mortuus ad ſui regenerationem & vivificationem? Paulò autem poſt clarius ſuam ſententiam aperuit: *Quemadmodum enim figulus ex eadem maſſa, quæ vult, facit, idque nemine contradicente, ita & Deum EX EODEM hominum genere, punientem quidem illos, iſtos verò honorantem neque temerè, neque CURIOSE inquiras, ſed ADORES ſolum.* Mox: *Nihil enim ſimpliciter, aut fortuito facit, etiamſi ſapientiæ ipſius ARCANUM ignores.*

Atqui ſi non ulterius in hac materia, quam ad ſecundas cauſas aſcendere licebit, hic ſanè nihil arcanum, nihil incomprehēſibile ſed omnia aperta & plana erant. Quorſum igitur iſta expoſtulatio Apoſtoli, ô homo tu quis es, qui ex adverſo reſpondes Deo? Ad quem locum ſic Chryſoſt. *Facit autem hoc, ut intempeſtivi adverſarij curioſitatem reſtringens frænum injiciat inſtruatque, quatenus agnoſcet quid Deus, quid homo, quamque incomprehenſibilis ſit Dei providentia, quomodo noſtram rationem tranſcendat, &c.* Et ſtatim: *Oportet ſiquidem, quæ à Deo dicuntur, credamus, non curioſè ſcrutemur, etiamſi rationem ignoraverimus.* Et ut ne regerant, Chryſoſtomum loqui de myſteriis ſolo Dei verbo comprehenſis, addit, Eum, qui dicat vel ſic fieri, vel non fieri debere, ex adverſo reſpondere Deo.

Ex quibus ſequitur Chryſoſtomum non ſolum hoc velle, ut eo ſimili ſignificetur nobis eſſe Deo parendum, aut obſequendum, ſed etiam ipſi credendum neq; obſtrependum eſſe, etiamſi

ratio

ratio & causa nobis incognita sit. Quod & Photius agnoscit, qui scribit, *etiam concesso* hoc *theoremate nempe, quod homo non sit* αὐτεξούσιος, *atque talis à Deo conditus, fore tamen absurdum et impiũ, si creatura in creatorem insurgere velit.* ὥστε κἂν σὺ εἰ κἂν ὡς λέγεις, οὕτως ἐπάδῃς, οὐκ ὀφείλεις μέμφεσθαι ἢ ἀντιλέγειν καὶ τὸν κοινὸν τῆς πλάσματων νόμον, καὶ ὅρον. pag. 326.

Ex Ambrosio hæc verba subjunxit ad enarrandum istum locum: *In figulo sola voluntas est: In Deo autem voluntas cum justitia. Scit enim Deus, cujus debeat misereri.* Miror qua conscientia potuerit D. Grotius Ambrosio hic iterum abuti ejusque sola verba interponere, cum paulò antè se tam manifestè declaraverit: Nam ita. *Ostendit hoc (scilicet simuli ex Esaiæ Cap. 45, desumpto) contra authorem opus ejus queri non posse: In potestate enim authoris est, QUALEM velit condere creaturam.* Et Paulo post *Manifestum est vasa aliqua fieri ad honorem, quæ ad usus honestos sunt necessaria: alia vero ad contumeliam quæ instrumẽta sunt culinarum, UNIUS TAMEN ESSE SUBSTANTIÆ, SED DIFFERRE VOLUNTATE Opificis in honore: Ita & Deus, cum Omnes ex una atque eadem massa simus in substantia, & cuncti peccatores, alij misereatur, & alterum despicit non sine justitia.*

Quod autem jam ad extremum addit, in figulo esse solam voluntatem, sed in Deo esse voluntatem cum justitia, quis negat? Non enim voluntatem Dei ut brutam & irrationalem sine judicio ferri agique dicimus, sed impelli summa cum ratione, quæ secundum Augustinum, nobis quidem occulta, sed nunquam injusta est.

Vltimò dicit hunc locum, de vasis coagmentatis ad interitum à quibusdam periculosè στρεβλῶσθαι, ideò puto, quod dicant à Deo Satore & Conditore omnium ea esse coagmentata, quod supra ex Augustino, Prospero, Fulgentio, & alijs probatum est. Et opponit denuò Chrysostomum, qui tradit ista vasa διὰ τοῦτο καὶ παρ' ἑαυτῶν aptata esse. Concedi hoc potest, si ad executionem decreti referatur, sicuti & Chrysostomum totum hunc suum commentarium eò transferre manifestum est. Huc etiam spectant, quæ Theophylactus addidit; *Neque enim quidquam indidit, vel immisit Deus, quod ipsum perderet, verum omnia ipsius patravit, quæ ad pernitiem ipsum ferrent.* Alioqui quod ad vasa mi-

sericordiæ, docet ab Apostolo, non vocari vasa virtutum, neque vasa fiduciæ, sed vasa misericordiæ, ut ostenderet, quod *totum* hoc Dei sit. pag. 114. B. Id Chrysost. homil. de Adamo & Eva (si tamen Chrysostomi est) & pag. 112. M. edit. Venetæ: ex vasis iræ fecit vasa misericordiæ, quod adeò *totum* divini operis esse sentitur, ut hæc efficienti Deo gratiarum actio & laudis confessio pro talium correctione referatur.

Et quod Apostolus προητοίμασε, *præparavit*, dixerat, hoc interpretatur Theophylactus, *prædestinavit*. Neque enim dixit, omnes gentes servatas, sed *quosdam ex gentibus*: ideòque monet Iudæum, ne offendatur. Nam ecce ex gentibus *nonnulli* misericordiam obtinent, *nonnulli* verò minimè. Et secundum Augustinum de fide ad Petrum Cap. 35. *Prædestinatio illa est gratuitæ donationis præparatio, qua nos Apostolus ait prædestinatos in adoptionem Filiorum Dei per Iesum Christum.*

Oecumenius quoque vas iræ ita exponit, ut sit homo accendens aut attrahens iram Dei, atque etiam ad interitum coagmentatus, τελέσιν ἀπηρτισμένον, ἢ τελειωμένον πρὸς τὸ δεῖν ἀπολέσθαι.

Ambrosius docet *eos à Deo quidem frustra expectari, siquidem nolunt converti, sed modo etiam dixerat præparari ad interitum VOLVNTATE ET LONGANIMITATE DEI, non quod certò vellet omnipotenti sua voluntate eos convertere, sed quia sciebat eos proprio suo vitio non credituros.* Sed quis inficiatur perditionem ex nobis esse, quod testatur Oseas. Interea quia mox dicit, de maxima multitudine solos credentes salvari, quos præscivit Deus, certum est, supremam Dei voluntatem aut consilium intervenire oportere in iis, qui salvantur & qui intereunt.

Sequitur nobilis ille ad Ephesios locus, in quo Apostolus, nos in Christo antè jacta mundi fundamenta electos dicit: Sed ex Chrysostomo, vim istius loci conatur subvertere, quum dicit τοὺς δοκίμους eligi: Nam & hoc (*eligi*) est signum Dei benignitatis & ipsorum virtutis. At quæri potest, unde ἔσται τὸ δοκίμιον? Si dicant à seipsis. Pelagiani sunt. si verò à Deo ipso, non elegit tales in se, sed quales ipse effecturus est relictis alijs, Sic enim apud Chrysostomum mox sequitur: *Omnino enim si futuros probos elegit, & nos utique reddidit sanctos, sed semel sanctificatos necesse est in sanctimonia vit*

monia vitæ persistere. Hoc autem ibi docet, Deum elegisse nos in Christo antè mundum, idque per eam fidem, quæ ih Christum habenda esset, *Sed cur elegit? ut simus sancti & immaculati in conspectu ejus. Ne igitur ob id, inquit, quod te elegit existimes tibi fidem sufficere solam, adjecit & vitam: Nam propterea, inquit Apostolus, elegit & in hoc elegit ut simus sancti.* Non igitur fidem & sanctitatem vitæ causas nostri electionis putat esse, sed effecta, quæ electionem consequantur in hac vita. Imò ea omnia ex Dei gratia in tempore nobis donari dicit. Disertè enim ad vers. 6. tradit. *neminem servatum iri sua virtute, nisi adsit dilectio Dei. Dic tu mihi quæso, inquit, quid Paulo profuisset aut quod suæ sapientiæ dedisset specimen, si non cælitus illum accivisset ad fidem, & quem prius dilexerat, ad se attraxisset?* Eodem modo idem Chrysost. homil. 26. in Genesin, *Gratiam causam omnis boni in nostra voluntate dicit: verùm quia in nostra voluntate totum post gratiam Dei relictum est.* Admodum etiam dilucidè hunc locum interpretatur Photius apud Oecumenium, pag. 613.

πόθεν οὖν ἐξελέξατο κινηθείς (Deus scilicet ut nos eligeret)? ἐξ ἀγάπης μόνης. ἵνα τί γένηται; ἵνα υἱοθετήσῃ ἡμᾶς διὰ τοῦ χριστοῦ ἑαυτῷ. τοῦτο γὰρ καὶ προώρισεν, ἐκ προοράσεως ἡμῶν ἐργασίας; ἐξ οὐδεμιᾶς, πλὴν ὅτι δι' εὐδοκίαν τὴν θελήσαι καὶ αὐτόν. ἠυδόκησε γὰρ καὶ ἠθέλησε τοῦτο ἡμῶν ὅλως μηδὲν συνεισενεγκόντων. πῶς γὰρ ἦν συνεισένεγκεῖν, τοὺς μηδ' ἀρχὴν πόθεν ἔναι λαβόντας; Quæ ad hunc locum etiam ex Ambrosii commentario accumulat, illa ex mente ipsius, quæ antea fuit exposita, intelligi debent. Nam hoc verum est, Deum decrevisse, ut crederetes in Christum adoptarentur sibi in Filios, ipsumque etiam scivisse, qui crediturì essent in Christum; sed quæritur, an ideò eos elegerit, quia credituros prævidebat? an vero quia eos fide donare decreverit? Hoc docet ipse Ambrosius istis verbis, quæ ibi à D. Grotio etiam allegantur, *Deus nobis gratiam suam dedit, propter quod credidimus in Filium ejus Christum.* Clarè hic fatetur gratiam electionis præcedere fidem atque adeo eam esse unicam causam nostræ fidei.

Sic etiam paulò antè Ambrosius pag. 535. *Hominibus autem sic benedicit Deus, ut donum gratiæ suæ eis impertiat non secundum merita eorum, sed secundum misericordiam suam.* Si enim electionis gratia esset effectum fidei, certè Dei benedictio & gratia diceretur quoque

tur quoque effectum nostræ fidei, quatenus illa ex nobis est. Sed quò tandem nos cum Pelagio ita præcipitaremus? Omnium clarissimè idem Ambrosius ad Timot. cap. 2. pag. 51. H. ita scribit, *cum credunt, qui* destinati sunt *in vitam æternam*. Et mox: *Tamdiu resurrectio suspensa est, quamdiu omnes credunt prædestinati ad salutem*. Quod etiam ex Hieronymo additur, *ex præscientia Dei evenire, ut quem scit justum futurum prius diligat, quam ex utero oriatur*: illius magis quam nostræ sententiæ officit, Si nimirum hic, nulla adhibita commoda explicatione, κατὰ πρόληψιν accipiatur.

Puto autem desumptum illud ex ejus Comment. in Malach. cap. 1. Nam ibi simile quid legitur, quum fol. 129. dicit, *dilectionẽ & odium Dei ex præscientia meritorum futurorum, vel ex operibus.* Sed hic de præscientia justitiæ & operum, quam in hac causa rejiciunt adversarii nostri. Vide ad Num. 31.

Secundum verò est, Hieronymum non separare in hoc negotio Dei voluntatem, arbitrium, propositum & gratiam ab ipsius præscientia. Nam cum ad Cap. 1. Epist. ad Eph. fol. 101. dixisset, *electionem nostri, quæ ante καταβολὴν mundi facta sit, ad præscientiam Dei pertinere, cui omnia futura jam facta sunt, & antequam fiant universa nota sunt*, opponit sibi opinionem aliorum, qui Deum ideò justum conantur ostendere, *quod non ex præjudicio scientiæ suæ, sed ex merito electorum unumquemque eligat*, etc. Sed respondet: *Paulum non dicere Deum elegisse nos ante constitutionem mundi, cum essemus sancti & immaculati, sed ut essemus sancti & immaculati, hoc est, qui sancti & immaculati ante non fuimus, ut postea essemus.* Et mox: *Non enim ut ante diximus, eligitur Paulus, & qui ei similes sunt, quia erant sancti & immaculati; sed eliguntur & prædestinantur, ut in consequenti vita per opera & virtutem sancti & immaculati sint*.

Paulò post ad vers. eusdem capitis: Propositum & prædestinationem talem Deo tribuit, qua aliquid antè in mente sua præfiguret & destinet, quid futurum sit. Vide etiam ad pag. 142. alium insignem locum qui Doctoris mentem apertius exponat.

Eleganter itaque & nervosè ut omnia, scribit Augustin. de Prædest. Sanctorum. Nam cum cap. 5. dixisset *Divinitatem Christum præsciviſſe, sapientiam condidisse, justitiam damnaviſſe, et gratiam liberasse*,

liberasse, postea cap. 17. sic concludit. *Intelligamus ergo vocationem qua fiunt electi, non qui eliguntur, quia crediderunt, sed qui eliguntur ut credant. Nam si propterea electi erant, quoniam crediderant, ipsi eum utique prius elegerant credendo in eum, ut eligi mererentur.* Neque aliter Photius & Theophylactus interpretantur ex Chrysostomo istud Apostoli, elegit nos, ut essemus sancti: Sic enim ille: Ἐξελέξατο ἡμᾶς ἵνα ἐν τούτῳ τῷ ὄρῳ, εἰς τὸ εἶναι ἡμᾶς ἁγίους καὶ ἀμώμους καὶ ἀβίους. Duo sunt notanda, unum est, quod sanctitatem exponunt de sanctitate fidei; *Alterum*, istam sanctitatem fidei esse finem vel consequens electionis in hac vita. Planè contra Remonstrantes, qui in colloquio Hagiensi aliter istum locum Pauli exponunt. Nam apertè dicunt, ibi non de sanctitate fidei in hac vita agere Apostolum: Et, fidem ex gratia electionis non dari, pag. 971. Belgicæ editionis.

Cõcludo igitur hoc caput ex Augustin & Prospero. Augustinus sic eod. libro de Prædest. sanctorum pag 689. *Præsciebat ergo, ait Pelagianus, qui futuri essent sancti & immaculati per liberæ voluntatis arbitrium, & idoneos ante mundi constitutionem in ipsa sua præscientia, qua tales futuros esse præscivit, elegit. Elegit ergo, inquit, antequam essent, prædestinans filios, quos futuros sanctos præscivit; utique ipse non fecit, nec se facturum, sed illos futuros esse prævidit.*

Ad hanc obiectionem Pelagianorum, quæ etiam & nostrorũ est adversariorum, sic respondet Augustin. *Intueamur, inquit, verba Apostoli, atque videamus utrum propterea nos elegerit ante mũdi constitutionem, quia sancti & immaculati futuri eramus, an ut essemus? Benedictus, inquit, Deus ac Pater Domini nostri Iesu Christi, qui nos benedixit, &c. sicut nos elegit in Christo antè mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati. Non ergo quia futuri eramus, sed ut essemus. Nempe certum est, nempe manifestum est, ideò quippe tales eramus futuri, quia eligit ipse, prædestinans, ut tales per gratiam ejus essemus.* Et statim: *Deinde quod adjungit, attendite; Secundum placitum voluntatis suæ, ne in tanto beneficio gratiæ Dei, placito gloriemur voluntatis nostræ.* Vide reliqua.

Prosper etiam verè & nervosè de vocat. Gent. lib. 1. cap. ult. *Igitur profundus* (inquit) *illius quæstionis, quam secundum Apostoli admirationem impenetrabilem confitemur, pro liberi arbitrij velle et nolle non solvitur, quia licet insit homini nolle bonum, tamen nisi donatum, non habet*

non habet velle bonum & illud contraxit natura per culpam, hoc recipit natura per gratiam. Sed quid illud sit quod hæc eadem natura in omnibus hominibus antè reconciliationem mala, in omnibus misera, non in omnibus justificatur, & à pereuntibus, quadam sui parte discernitur ab eo quod venit quærere & salvare quod perierat, humano sensu prorsus non potest indagari. Quantumlibet enim ipsorum malignitas accusetur resistens gratiæ Dei, nunquid probabuntur eam, quibus est collatta, meruisse: aut illa virtus gratiæ quæ sibi quos voluit, subdidit, convertere eos, qui inconvertibiles permansere, non potuit? Tales fuerunt qui sunt attracti, quales ij qui in sua duritia relicti. Sed illis tribuit gratia stupenda, quod voluit, istis retribuit veritas justa, quod debuit, ut judicium Dei magis inscrutabile sit in electione gratiæ, quam in retributione justitiæ.

Sed pergamus ad reliqua tria enuntiata Remonstrantium, quorum patronos dicit D. Grotius non solum veteres istos Patres ante Augustinum, sed etiam ipsum Augustinum, non tantũ quum adversus Manichæos scriberet, sed quum Pelagij dogmata oppugnaret. Sed hoc falsum esse docet ipse Augustinus lib. de Prædest. sanctor. in quo pag. 664. 673. ex Cypriano & alijs suam sententiam stabilire nititur. Et lib. 1. Retractationum cap. 1. & 23. ubi multa, quæ juvenis contra Manichæos scripserat, explicat, vide in excerptis Genuensium, resp. Prosperi ad dubia eorum tria priora ex lib. Retract. Augustini desumpta, p. 401. 402. 403. Vide ipsum August. de Prædest. sanctor, p. 664, & seq. ubi quæ antea incommodè scripta erant, molli interpretatione leniit.

Et si necessum esset, luculenter & copiosè hoc possit ostendi ex omnibus eius scriptis, quæ contra Pelagium & Semipelagianos extant. Si cui tamen lubet ista cognoscere, legat Lutherum de servo arbitrio contra Erasmum: Calvinum contra Pigghiũ, & Paræum contra Bellar. Interim hoc agamus, quod præ manibus est, hoc est, expendamus ista loca tantum, quæ D. Grotius firmandis opinionibus suis produxit.

De mor te Christi, Quod igitur ad mortem Christi, per eam omnes quidem redemptos, sed non actu, aut è captivitate erutos conatur docere, ex Prospero. Sed latet hic etiam dolus.

Nam hic multa prætermissa sunt, quæ authorem explicant. Prosper enim in Resp. ad capitula objecti, vincentianar. Objectio

prima

prima hæc erat. *Quod Dominus noster Iesus Christus non pro omniũ hominum salute & redemptione sit passus,* Ita respondet Prosper p. 388. ubi quoq; & hic iextus citatus à Grotio reperitur. *Quod ergo ad magnitudinẽ & potentiam pretij, & quod ad unã pertinet causam generis humani, sanguis Christi redemptio est totius mũdi, sed qui hoc secretum sine fide Christi & sine regenerationis sacramento transeunt, redemptionis alieni sunt.* Vnde probatur distinctio sufficientiæ & efficaciæ redemptionis Christi. Sed in suis Annotat. D. Bogermanus ex Epistola Prosperi ad Augustinum docuit istam sententiam de universali redemptione & de particulari liberatione inter reliquias Pelagij numerandam esse. Prosper ad capitula Gallorum cap. 9. ita se explicaverat pagina 374.

Quantumvis rectissime dicatur Salvator pro totius mundi redemtione crucifixus propter communem in primo homine perditionem, & communis naturæ susceptionem, potest tamen dici pro his crucifixus tantum, quibus mors ipsius profuit.

Agnoscit ipse Grotius libros istos duos de vocatione Gentium Prosperi esse. Audiamns igitur quomodo iam in istis suam mẽtem de ista Apostoli sententia perspicuè tradidit. Lib. 1. Cap. 4. rectè docet, *ibi Deum velle vt pro omnibus etiam infidelibus & inimicis crucis Christi sibi supplicetur: Quod etiam universam Ecclesiam ubique terrarum sedulò præstare affirmat. Neque frustra hoc passim orari dicit. Quotidiè n. se videre de tam profundis malis innumeros* erui. Sed addit, quod velim notari ab Grotio alijsque: *Quid si aliquos, sicut videmus accidere, salvantis gratia præterierit, & pro eis oratio Ecclesiæ recepta non fuerit, ad occulta divinæ justitiæ judicia referendum, & agnoscendum est secreti hujus profunditatem nobis in hac vita patere non posse.* vide *Resp.* ad secundam object Vincentian. pagina, 389. Objectio hæc erat: *Quod Deus nolit omnes salvare, etiamsi omnes salvari velint.* Ad hanc ita respondet Prosper. *Cum veritas dicat: Si vos cum sitis malt, nostis bona dare filijs vestris &c. Qui fieri potest, vt Deus qui etiam illos salvat, de quibus dici non potest, quod salvari velint, nolit aliquos salvare, etiamsi salvari velint, nisi aliquæ causæ existunt, de quibus quamvis nobis sint incognoscibiles, ita tamen benè judicat de quo dici non potest, aliter eum quicquam facere debuisse, quam fecerit? Remota ergo hac discretione, quam divina scientia intra secretum justitiæ suæ continet, syncerissimè credendum atque confiten-*

dum est, Deum velle vt omnes homines salvi fiant. Vnde apparet etiã constitui volũtatem in Deo aliam occultam, aliam patefactam, & secundum hanc nobis æstimandam & sequendam gratiam Dei, quæ in verbo suo offertur.

Sed si regeratur eundem ipsum auctorem lib. 2 cap. 6. apertè docuisse Christum pro omnibus impiis & peccatoribus mortuum esse, responsio ex eodem ipso loco peti debet. Nam se de omnibus nationibus Gentium, quæ postea vocandæ essent, loqui dicit, Neque etiam eas singulas uno eodemque tempore vocandas, sed diversa tempora occulto Dei judicio circa vocationem earum dispositta esse ait.

Certum etiam esse (inquit) *omnes, qui ex præputio, sive ex circumcisione cum Deo per mortem filij ejus reconcilienter, antè istam reconciliationem, quæ per Christi sanguinem facta est, fuisse peccatores aut impios testante Apostolo Rom. 5.* Et quod ad universalitatem istam attinet lib. 1. cap. 3. istam restringit ad solos electos. *Habet ergo populus Dei plenitudinem suam & in electis & præscitis, atque ab omnium generalitate discretis specialis quædam censetur universalitas, ut de toto mundo totus mũdus liberatus, & de omnibus hominibus omnes homines videantur assumpti.* Vide quæ ibi sequuntur, p. 67. tom. 2. Sic etiam cap. 5. eiusd. libri in fin. *Liberatur pars hominum parte pereunte. Etsi hoc voluntatum meritis velimus ascribere, ut malos neglexisse gratia, bonos autem elegisse videatur, resistet nobis immunerabilium causa populorum quibus per tot seeula nulla cælestis doctrinæ annuntiatio coruscavit, nec meliores fuisse eorum posteros possumus dicere (quibus nimirum annuntiatum sit Euangelium) sed cur illorum non misertus & horum misertus sit Deus, quæ scientia comprehendere potest, quæ potest investigare sapientia? latet discretionis ista ratio, sed non latet ipsa discretio,* lege reliqua quæ admodum eleganter, piè & doctè dicũtur p. 68. In summa, exponit Prosper istum locum Pauli ex hac sententia Petri, qui dicit Deum salvatorem esse omnium hominum, maximè fidelium. Libro enim 2°. cap. 10. *dicit hanc sententiam Petri, quam subtilissimæ brevitatis, & validissimi roboris ait esse, si tranquillo consideretur intuitu, totam hanc de qua agimus controversiam dirimere.*

Dicendo enim qui est salvator omniũ hominũ *confirmavit bonitatem Dei super universos homines esse generalem: Adjiciendo autem*

maximè

maximè fideliũ,, *ostendit partem esse generis humani quæ merito fidei divinitus inspiratæ ad summam atque æternam salutem specialibus beneficijs provehatur: quod utique nulla iniquitate agitur justissimi & misericordissimi Dei, cujus judicium in his disputationibus non cum arrogantia discutiendum, sed cum tremore laudandum est.*

Ex quibus etiam apparet, illud quod infarcit D. Grotius de voluntate antecedente, secundum quam Deus velit omnes salvos fieri, esse puram putam glossam. Nam sanè distinctio ista voluntatis Dei in antecedentem & consequentem nupera est, & à Damasceno primitus excogitata, de qua nos alibi contra Vorstium.

Quod denique ex eodem dicat, non certum numerum prædestinatorum Deum velle salvum fieri, contrarium extruitur ex Prospero lib. 2. de vocat. Gent. Cap. 10. Locum mox audiemus. Et observandum est Prosperum non dicere istud theorema falsum, sed durum (nimirum si intet rudiores ita aridè & imprudenter enuntietur). Post Prosperum Chrysostomum iterum in scenam producit, ut probet omnes servari, λόγε αὐλῆ τῦ θεῦ μέρ. i. ex parte Dei. Locus ille Chrysostomi extat commentar. in Cap. 9. ad Rom. p. 110. *Objectio, Attamen dicit, Apostolus omnes peccasse gloriaque Dei destitutos esse. Si omnes peccaverunt quomodo isti salvati sunt, illi verò perditi?* (*Respondet*) *Quoniam non omnes accedere voluerunt, Quantum enim ad Deum attinet, salvati fuissent omnes, omnes etenim vocati sunt: sed addit de Apostolo,* quod dissimulavit D. Grotius; *Interea tamẽ istud* (respondet) *non potuit,* sed quæstionem hanc & alijs exemplis & copiosè alia subinducta quæstione solvit.

Designat exempla gemellorum Iacobi & Esavi, qui tamen diversis potiti sunt bonis, & Israëlitarum, qui omnes ἐμοσχοποίησαν, quorum alios Deus punivit, alios miseratione sua dignatus pro beneplacito suæ voluntatis. Pharaonis, qui non ideò punitus, quod carnalis & incredulus fuerit, cum plures tunc vixerint in carne & infidelitate. Accommodat omnia hæc exẽpla ad suum hoc propositum de gentibus adoptandis, repudiata Iudæorum gente, & de solis reliquis Iudæorum salvandis, & concludit hanc esse *causam IUSTAM, cur justificatæ sint gentes & Iudæi exciderint, Quod nimirum gentes ex fide sunt, at illi fidei ubique*

repugnantes ex operibus legis invēti sunt. Ex quibus verbis discimus, vel teste ipso Chrysostomo, istam priorem solutionem de omnibus salvandis ex parte Dei, non esse Apostoli, sed hanc ultimam de omnibus istis salvandis, qui crederent in Christū. Nam mox sequitur: *Ista siquidem totius hujus loci solutio ita profertur à beata illa Pauli mente, ut summatim uno capite totum dicat.*

Atqui & hoc nos dicimus si executionem decreti spectemus, Deum velle omnes salvos facere, qui in Christum credunt, atq; hinc iustam discretionis hominum causam à posteriori contemplandam esse. *Iustitia Dei*, inquit Apost. Rom. 3. 22. *per fidem Christi in omnes & super omnes credentes.* Quod scribit Chrysostomum ad hæc verba Christi apud Ioh. 6. ver. 65. ἐὰν μὴ ᾖ δεδομένον, nos vetare intelligere ἁπλῶς ἀποκλήρωσιν, illa intelligenda sunt ad mentem ipsius supra multis expressam & indicatam. Et notādum est, illum non excludere omnē ἀποκλήρωσιν, sed talē, quæ media salutis per Iesum Christum obtinendæ excludat. Atqui hæc de morte Christi.

Sequitur locus de Libero Arbitrio.

De libero arbitrio.

PRimum hic notandum est, quod libertatem arbitrij resistibilitatis pallio ita involvere & tegere conantur, ut hac in causa aliud nihil dicere putentur, quam divinæ gratiæ operationi resisti posse. Veruntamen cum hoc excutitur, apparebit ipsos hoc docere, quod liberum arbitrium revera in utrumque propendeat. Hoc vidit D. Grotius ideoque rotundo ore Arbitrij libertatem propugnare instituit. Explodit hic uno sibilo Calvinum, & omnes, qui in libertatem arbitrij invehuntur.

Macte hoc animo, & Pelagium ex inferis revoca D. Groti. Huc scilicet spectant, quæ ex Iustino, Irenæo, Cypriano, & Chrysostomo citavit: Non enim Pelagianismi præcipitium effugere poterit, si ista ita præcisè & κατὰ τὸ ῥητὸν intelligantur,

Verum cum ista omnia quæ hic allegavit dicta ad mentem & sensum Patrum rectè exigantur, comperiemus Pelagianismum non stabiliri. Cur autem non licebit nobis commoda interpretatione duriuscula quædam eorum verba emollire, cum ipsi sanam

nam Augustini sententiam *nonnihil corrigere* aut emollire, hoc est, ad suum sensum inflectere studeant. Vide Grevinchovium contra Amesium pag. 30. Interim non diffiteor cum Augustino, nostrisque Doctoribus, ante exortum Pelagium priscos Patres philosophicis præceptis nimis immersos subindè *lubricè, incogitanter, adeoque secure* locutos fuisse. Quod igitur ad Iustinum, quem Apostolicis temporibus proximum esse dicit, non sanè hoc sentit, quod D. Grotius ipsum sentire scribit. Quod enim alibi dicit, *Unumquemq; iuxta voluntatis electionem aut rectè vivere, aut peccare: Nihil etiam laudabile futurum, nisi in utrumque verti possemus.* Apertè hoc de gentibus contra Stoicos, de libero arbitrio absolutè sumpto ait. Conjungit autem & confundit D. Grotius hæc loca, eaque mutilat & interrumpit. Nam Paulò ante ista verba Iustini, (καλὰ προαίρεσιν ἑκάτερον καλοῦ θεῖν καὶ ἁμαρτάνειν) ibi hæc leguntur, quæ omisit, *(sed neque fato agunt homines, aut patiuntur quicquam)* Deinde ibid. Iustin. pag. 146. *Apologia, 1. ad senatū pag. 146 147.*

Quod non intelligentes Stoici, ad fati necessitatem, Omnia retulerunt. Cæterum Angeli, homines que, quoniam initiò cum crearentur, acceperunt à Deo liberum arbitrium, justè pœnam luunt peccatorum, Est autem genitarum rerum omnium hæc natura, ut virtutis ac vitij CAPACES sint. Nihil enim laudabile futurum, nisi esset ad utrumlibet flexile.

Hoc itetum de *Capacitate* notandum est, de qua supra ex Luthero & infra *fusius* ex Prospero de vocatione Gentium, libro secundo, capite secundo. Ipse quoque August. contra Iulianum lib. 2. *Capax (inquit) est natura per gratiam Spiritus sancti.* Quò etiã pertinet quod ex eodé Grotius laudavit, *fatum hoc esse immutabile, κατὰ καλὰ ἐκλεγομένοις digna merces: contraria facientibus pœna reddantur.* Naturæ enim hæc axiomata sunt insita & cognita, de quibus etiam saniores philosophi contra Stoicos multa tradiderunt. Cæteroqui quod ad vera & salutaria bona, in ijs acquirendis & efficiendis nihil hominem corruptum posse, sed Deum solum ea operari per spiritum suum perspicuè docet in Parænetico suo ad Gentes p. 29. idque ex Platonis Memone: *virtus (inquit) nec à natura datur, nec per doctrinam paratur, sed divinitus contingit citra mentis operam, quibuscunque contingit.* Et per virtutem dicit Iustinus intelligendum Spiritum sanctum. Quod

autem ex Platone, veluti à Mose sumptum dicit αἰτίων esse ἑλομένυς, θεὸν δ' ἀναίτιον, hoc contrà Manichæos omnino verum esse dicimus. Nam Deus omnis mali exors, & quodcunque malum, eiusque causa in hominem, qui teste August. libero arbitrio abusus se illudque ipsum perdidit, est referenda.

Iren. lib. 4. cap. 72. pag. 382.

Sequitur Irenæus itidem Antiquissimus, qui in hunc modum alibi scribit: *Non tantum in operibus, sed etiam in fide liberum & sua potestatis arbitrium servavit Deus, dicens, secundum fidem tuam fiat tibi, propriam fidem hominis ostendens, quoniam suam habet sententiam.* Hunc locum etiam Bellarm. lib. 6 de lib. Arbit. cap. 11. pro libertate arbitrii in operibus pietatis, idemque lib. 5. cap. 25. pro lib. arbit. in moralibus citavit.

Ad quem rectè respondet D. Paræus hoc scriptum esse contra Valentinianos, hominis opera & fidem necessitati tribuentes, quasi homines necessitate & vi ad bonum traherentur. Ita enim legitur ibi pag. 281. *Sed oportebat* (inquit Valentinus) *eum neque homines neque angelos tales fecisse, ut possent transgredi, aut qui statim ingrati existerent in Deum conditorem, Quoniam rationabiles & examinatores & judiciales facti sunt, & non quemadmodum irrationabilia sive inanimalia quæ sua voluntate nihil possunt agere, sed cum necessitate & vi ad bonum trahuntur, in quibus unus sensus, & unus mos inflexibilis & sine judicio, qui nihil aliud esse possunt præterquam quod facti sunt.* Ibid. 281. *Quia consilium instruit Deus adhortans nos ad subjectionem sibi, avertens ab incredulitate non tamen de violentia cogens.* Et mox: *Libertatem refert hominis, quapropter & omnia licent, non cogenti eum Deo.*

Sed cum totum illud caput & sequens Irenæi ritè expendatur, satis apparet ipsum etiam loqui de statu hominis integro, quo etiam quædam ex istis, quæ nunc produxi, referenda sunt. Vide etiam caput præcedens 71. Sic n. ibi inter cætera p. 280. *Deus ab initio liberum hominem fecit habentem suam potestatem, sicut & suam animam ad utendum sententia Dei voluntariè, & non coactum a Deo. Vis enim à Deo non fit, sed bona sententia adest illis semper.* Apparet & hoc quoque Irenæum in superioribus istis locis de statu gratiæ in Christo agere quò ultima ista verba in isto capite 72. de studio ad coronam gloriæ adipiscendam accommodari debent. Eleganter enim dicit, *Alias nostrum bonum esset insensatum,*

fatum, *si esset inexercitatum*.

Sequitur igitur de statu peccati post lapsum non loqui cõtra Valentinum hæreticum, de quo tamen quæstio est. Nam si illa libertas arbitrij in homine post peccatum æque ad cæleste bonũ propenderet, cur etiam & mali Angeli non possent tam ad bonum, quam ad malum flecti? Nam cap. 71. 72. *Angelos malus cum hominibus jungit, eosque omnes cum ratione & electione voluntatis conditos esse docet.* Sed de salutaribus gratiæ donis ita recte cap. 70. p. 278. Est autem hic *Pater Domini nostri, cujus providentia cõstant omnia, & jussu administrantur omnia, & gratuitò quidem donat in quos oportet, secundum autem meritum dignissimè attribuit in ingratos.* Et lib. 2. cap 65. *Non ex nobis, neque ex natura nostra vita est, sed secundum gratiam Dei datur.*

Inter Cypriani sententias & hanc legi dicit D. Grotius, *Credendi vel non credendi libertatem in arbitrio positam*. Sed & hoc à Bellar. lib. 6. cap. 11. eundem in finem citatum invenies. Paræus notavit contra Manichæos hoc dictum fuisse, nam alibi fidem & omnia quæ ad salutem, Deo tribuit Cyprianus. Hæc n. sententia ibid. cap. 4. legitur, pagina. 56. *In nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit.* Quam probat his sequentibus locis in Euangelio κατὰ Iohannem, *Nemo potest quidquam accipere, nisi datum illi fuerit de cælo.* Item in Epist. Pauli ad cor. 1. Quid enim *habes quod non acceperis, si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Hactenus Cyprianus: Si autem fides est in nostra potestate, aliquid nostrum est, Et in hoc nostro nobis gloriandum est tanquam nostro. Cæterum ut & hoc addam, notandum est istam supradictam sententiam Cypriani Augustin. de præd. Sanct. p. 664. citasse, atque adeò liberè professum se hoc testimonio convictum, cum aliter antea sentiret de hoc doctrinæ capite. Idem Cyprian. lib. 2 Epist. 2. *Non prædico in proprias laudes, ociosa—jactatio est, quam vit non jactatum esse possit, sed gratum, quidquid non virtuti hominis ascribitur, sed de Dei munere prædicatur*, Et mox: Dei est, inquam, *Dei est omne quod possumus, inde vivimus, inde pollemus &c.*

Cypria-nus lib. 3. ad Quiri-num cap. 52. p. 78.

Sequitur *Chrysostomus* de quo vere D. Grotius dicit minus circumspectè ipsum interdum loqui; Sed & nisi commodè explicetur, totum Pelagianum ipsum esse necessum est, quod & ipse

Chrysostomus.

Pelagius

Pelagius olim etiam apertè nostris objecit Primus locus extat in Comment. ad Rom. cap. 9. p. 110. & est supra allegatus. *Scribit ideo alios servari, alios perire, quod non omnes volunt venire.* Concedimus totum. A nobis enim in statu peccati positis causa cõdemnationis est sumenda, sed non itidem causa salutis. Neque hoc etiam ibi dicit. Elegantet exponit suum sensum homil. 37. in Math. Operis imperfecti, p. 183. 184. *Ante peccatum liberum arbitrium habebamus benè operandi, non autem postea. Quia non nostra virtute post peccatum evadere possumus de manu Diaboli, sed sicut navis fracto gubernaculo illuc ducitur, ubi tempestas voluerit, sic à Diabolo de peccato in peccatum ducimur, nec hactenus quicquam facere licebit, nisi quod ipse Diabolus voluerit. Et nisi Deus VALIDA MANU MISERICORDIÆ SUÆ nos solverit, usque mortem in vinculis peccatorum nostrorum permansuri sumus.*

Alter locus est in Comment. ad Ephes. cap. 2. Vbi ad hæc verba Apostoli, *Gratia estis servati per fidem*, sic dicit: *Si gratia, cur non omnes servamur? quia non vultis. Nam gratia etiamsi gratia est, servat volentes, & non invitos & reluctantes.*

Respondeo primò non extare hæc veba in isto loco: sed contra sic ad istum textum scribit Chrysost. *Itemque ipsum* (arbitrium) *sustulit, dicens*, Et hoc non ex nobis. *Ac si diceret, Ne fides quidem ipsa ex nobis est: Si enim non venissest, si non vocasset, quinam in ipsum potuissemus credere? Quomodo, inquit, credent, nisi audierint? Itaque quod fidei est meritum, ne id quidem nobis adscribendum est, Dei enim donum est, ait.*

Deinde & hoc sæpius repetitum est, id genus dicta stringi contra Stoicorum fata & Manichæorum delira, cum quibus nostræ Ecclesiæ nihil commune habent. Ipse Chrysost. in Act. Apost. homil. 30. dicit ordinatos à Deo ad vitam ideò vocari, ut non ostenderet quod per necessitatem.

Planè in diversum abeũt nostri adversarij, qui ideò dicunt per necessitatem adigi ad salutem, quod à Deo præordinati sint ad vitam. Nihil autem certius, quam non invitos & reluctantes, sed volentes servari. Interea & hoc faciendum, quod ita benè velint, aut ex nolentibus volentes fiant, esse divinæ gratiæ, quæ voluntatem ægram sanet, mortuam vivificet, lapsam restauret & erigat. Chrysost. hom. 30. in Act. Apost. *Nihil nostrum esse patemus,*

mus, quandoquidem & ipsa fides non est nostrum opus. Quod autem non sit nostrum opus, sed Dei, audi Paulum dicentem, Etiam hoc non ex nobis, Dei donum est. Idem Homil. 12. in 1. Cor. 4. Igitur quod accepisti habes, neque hoc tantum & illud, sed quidquid habes. Non enim merita tua hæc sunt, sed Dei gratia. Quamvis fidem adduc as à vocatione eam accepisti, quamvis peccatorum veniam adducas, quamvis gratias, quamvis doctrinæ sermonem, quamvis virtutes, OMNIA inde tibi proveniunt. Quid igitur quæso habes, quod non acceptum habeas? Num ipse per te rectè operatus es? non sanè, sed accepisti, & idcirco magni te facis? propterea cohibearis oportet, Non enim tuum est munus, sed largientis. Nam si accepisti, ab illo accepisti. Si ab illo, non tuum accepisti, Si non tuum, quid insolescis, ac si tuum habeas? Theophylactus ita ad istum locum ex Chrysostomo, ad verbũ penè: Rursus ipsum arbitrium sustulit, inquiens, quoniam neque fides ex nobis est. Nisi enim venisset, ac nisi vocasset, non obedissimus. Quomodo enim, inquit, credent nisi audiant? Proinde & ipsa fides Dei donum est.

Antea dixerat Theophylactus fidem esse nostram (quatenus nimirum ea in nobis à Deo excitata hæret, ut ne scilicet liberum arbitrium absolutè sumptum planè vastetur, deleatur, & extinguatur, & nos in truncos mutemur) sed supra docuerat vers. 5. non laborè, neque propriis operibus nos servatos, sed SOLA GRATIA,

Et in cap. 13. Lucæ rotundè loquitur. Deus nullum cogit non volentem: Nam si voluisset nos cogi, non fecisset rationales & liberi arbitrij.

Tertius locus est apud Ioh. 6. 44. ubi verbo ἑλκύσῃ ait denotari, βοηθεῖσθαι & verbo ἐλθεῖν, ἰὸν προαίρεσιν. Arqui vel ex hoc loco superior nostra responsio roboratur; verum hic iterum fraudis deprehenditur D. Grotius. Nam quod ipsius causam lædere videbatur, vafrè omisit: Sic autem scribit Chrysost. pag 161. Hic insurgunt Manichæi, nihil nos ex nobis ipsis posse hujus particulæ testimonio contendentes, &c.

Deinde mox ex verbis Christi sequentibus docet, quomodo Deus nos trahat. Quomodo trahat, inquit, hoc Propheta prædixerat, quod erant OMNES DOCIBILES DEI, vide fidei dignitatem, quod non ab HOMINIBVS, neque PER HOMINEM,

sed per *IPSVM DEVM* ea imbuendi sunt.

Et quod de omnibus Propheta dixerat, hoc de *pluribus* dictum esse scribit, aut de omnibus, qui volunt (voluntate scilicet sua simpliciter sumpta.) Deum enim esse instar *Magistri*, qui gratiam suam communiter omnibus in Euangelio offert. Paulò antè ad hæc verba, Omne quod dat mihi Pater ad me veniet, hæc annotavit Chrysostomus pagina Centesima quinquagesima nona *Sed dicet fortasse quispiam, si omne quod dat Pater, venit ad me, & quoscunque traxerit: & nemo potest venire ad te, nisi datum sit ei desuper: quibus Pater non dat, hi nullo crimine tenentur, Verba hæc inania & frivola sunt. Opus enim est voluntate nostra; doceri n. credere voluntatis est, hic autem nihil aliud ostendit his verbis,* Quod dat mihi Pater, *quam non parvum quiddam esse credere, atque humanam cogitationem superna indigere revelatione. & animæ quæ eam fideliter accipiat.*

Idem in Psalm. 115. pag. 238. L. similem in sensum docet. *Etsi enim* inquit, *Dei est trahere & inducere, animam tamen requirit, quæ morem gerat & facilè pareat, & tunc suum adhibet auxilium.* Et mox: *Neque enim virtus neque salus nostra cogitur.*

Ex quibus verbis manifestum est, quid Chrysostomus de hac re sentiat. Aperuit enim hic totam suam mentem. Nam quod hic & alijs locis in conversione hominis, animam, quæ fidem accipit, opus esse dicat, verum est; sine anima enim & voluntate nihil agit & operatur Deus, quæ necessariò non ad conversionem, sed in conversione requiritur. Gratia enim non servat nolentes & invitos, ut alibi scribit.

Sed quod de εὐγενείᾳ, i. generositate, nobilitate animæ dicat, non esse eam omnium hominum, sed quibus Deus eam donavit, certissimè supra probatum fuit. Chrysost. hom. 31. in Matth. ejusdem operis pag. 152. B. docet, *omnem quidem intellectum de Spiritu Sancto & gratia Dei esse*, sed addit, *aliam esse gratiam, quã Deus omnibus hominibus creando donavit, aliam esse quam non omnibus hominibus, sed dignioribus & excellentioribus & electis donat*, atque ita illam discrè vocat *generalem*. & hanc *specialem*. Et ibid. homil. 28. p. 137. b. clarius describit istam specialem gratiam, quum dicit *esse talem, sine qua nihil possimus, & tantam, ut in nobis faciendi operetur virtutem.* Sic enim hic & passim isti *digniores* sunt

accipiendi,

accipiendi, non quod ex se tales sint, sed quod à Deo tales effecti sint. Quomodo enim secundum Prosperum ad Rufinum de libero arbitrio hoc tam ineffabili bono aliquis inventus est *dignus*, nisi qui electus à Deo factus sit dignus, sicut dicit Apostolus Col. 1. 12. gratias agentes Patri, qui *dignos* fecit nos. Nisi tamen per animam intelligenda sit anima talis quæ regenerata est & carni opponitur. Nam idem Chrysost. Homil. 12. in Matth. operis imperfecti pagina octogesima nona, dicit *animã in arbitrio suo creatam, ad quod voluerit declinare, sive ad bonum sive ad malum, sed* intelligit *eam animam quæ sub lege justitiæ creata est, ut recta videat, recta audiat, & agat & ambulet.* E contrario *carnem* dicit *in arbitrio suo ita non creatam, sed in malo creatam esse tantum sub lege peccati, quæ nec potest aut videre, aut audire aut agere rectum.* Vnusquisq; ergo nostrũ habet mentẽ & voluntatẽ animæ, & mẽtem voluntatemque carnis, hoc est, constamus ex carne & Spiritu. Per divinum igitur auxilium intelligit Chrysostomus passim talem tantamque gratiam Dei, qua revelet homini, aut cogitationi humanæ inspiret cognitionem fidei, quam natura non habet: cogitare siquidem & intelligere est hominis, *sed cælestia & divina cogitare dicit esse inspirationis divinæ, secundum illud Matth. 16. 17. Caro & sanguis non revelavit tibi.* Nihilominus tamen eos quibus ista Deus non revelet aut quos non trahat, crimini & pœnæ obnoxios esse docet, quia propria voluntate aversi non credunt. Sic enim Chrysost. homil. 37. in Matth operis imperfecti, pagina. 184. *Homo* priusquam peccet, *liberum habet arbitrium, utrum velit esse sub regno Diaboli: quum autem peccando se tradiderit sub regno ipsius, jam* NON POTEST *de potestate ejus exire, & sic* PRIMA VOLUNTAS *ejus* IN NECESSITATEM *convertitur. Et hoc est, quod homines seculares & peccatores dicere solent. Nunquid volumus esse sancti? Et, quis non vult esse justus? sed non possumus:* VERUM QUIDEM EST QUOD DICUNT, *Sed non habent* EXCUSATIONEM, *quia* PRIMUM *potuerunt non esse sub potestate Diaboli, si voluissent. Postquam vero posuerint thronum Diaboli in cordibus suis, nemo potest eos de potestate Diaboli eripere, nisi* SOLUS DEUS. Sed ut semel aureum hunc cælestis eloquentiæ fontem dimittam, ex homilia de Adamo & Eva, quæ est iam inter Chrysostomi homilias extat, totam hanc controversiam

siam concludam. Sic enim ibi. *Omnium bonorum effectuum, operum, studiorum, omniumque virtutum, quibus ab initio fides ad Deum tenditur, DEVM profitemur AVTHOREM, &c.* Mox: *Per Deum fit ut aliquid boni & velle inveniamur & facere: quo utique auxilio & munere Dei non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur, ut de tenebroso lucidum, de pravo rectum, de languido sanum, de imprudente sit providum: Tanta enim est erga omnes bonitas Dei, ut nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona: Et pro his quæ largitus est, æterna præmia sit daturus. AGIT Quippe IN NOBIS, ut, quod vult & volimus & agamus.*

Iam audiamus quid ex Prospero pro libero arbitrio attulerit: Hoc *unicum, Non sanam esse assertionem existimantium, quod prædicatione gratiæ liberum negetur arbitrium.* Innuit locum, qui extat cap. 1, de vocat. gentium. lib. 1, p. 66. Fucus etiam hic latet imò falsitas. Nam ita loquitur ibi: *Inter quam (voluntatem humanam) & gratiam Dei quorundam non sana discretio est existimantium quod prædicatione gratiæ liberum negetur arbitrium, nec advertentium eadem regula sibi posse objici, quod gratiam negent, cum eam humana voluntatis non ducem volunt esse, sed comitem.* Planè hoc ipsi adversatur. Nam inter ea quæ nobis jam ab adversarijs objiciuntur, etiam hoc est, quod prædicatione gratiæ liberum arbitrium tollamus. Sed non ritè ista discerni dicit Prosper: Quippe quod vice versa ipsis objici possit, gratiam ab ipsis negari, quoniam & hominem cum Deo cooperati dicant.

Deinde etiãsi & hoc concedatur, ipsum scribere, nihil tamen juvat. Nam neque se negare dicit liberum arbitrium prædicatione gratiæ. Intelligit enim naturalem motum voluntatis, qua appetit, quod placet, aut declinat, quod displicet, eamque ex vitio primæ prævaricationis reservatam facit aut sensualem, aut animalem: Sed cum adest gratia Dei per donum Spiritus, posse fieri spiritalem, sicuti cap. 2. se mox explicabit. Cap. 3. autem omnium clarissimè & elegantissimè hac de re disseruit. Inter cætera enim sic scribit: *Cum homo spoliaretur à Diabolo, non voluntate,*

sed

sed voluntatis sanitate privatus est; quia nec detrudi ab innocentiæ statu posset, nisi voluntate peccaret. Qua ergo natura erat bona, qualitate facta est mala. Et ille animi motus, qui nunquam potest sine aliquo esse amore, hoc est, sine aliqua voluntate, non perdidit appetitum, sed mutavit affectum. Cum igitur homo ad pietatem redit, non fit novum figmentum, nova creatura, non alia in eo creatur substantia, sed eadem quæ fuerat labefactata, reparatur. Nec aliud aufertur nisi vitium, quod natura non habuit. Paulò post *Nec quia Spiritu Dei agitur, ideo se putet liberum arbitrium non habere, quod ne tunc quidem perdidit, quando Diabolo voluntate se dedit, à quo judicium voluntatis depravatum, non ablatum. Quod ergo non interfectum est per vulnerantem, non tollitur per medentem: vulnus sanatur, non natura removetur. Sed quæ in natura periit, non restituitur nisi ab authore naturæ.* Hinc est quod lib. 2. cap. 2. p. 72. c. ita scribit. *Non itaque omnis reparabilis reparatur, nec omnis sanabilis sanatus est, quia reparabilem & sanabilem esse de natura est, reparatum autem & sanatum de gratia:*

Neque aliter docuit auctor insignis istius Epistolæ ad Demetriadem, quæ inter Epistolas Ambrosii censetur 84. Sed Suares putat eam esse Prosperi. Nam p. 187. c. sic scribit: *Omnis igitur illuminatarum mentium pius motus alienari quidem non potest à propria hominis voluntate, siquidem nihil rectè facies, nisi quod volens egerit: sed ut ad id quod æquum & utile est, animi tendat intentio, de illius æternæ & incommutabilis voluntatis inspiratione concipitur.* Quid verius & magis appositè dici potest? Audiant igitur hæc & obmutescât in posterum Censores nostri, qui ex Prospero & aliis insciтè aut distortè nobis cum veteribus Pelagianis impingunt, quod prædicatione gratiæ liberum arbitrium tollamus, & ex homine stipitem faciamus.

Harmin. in declarat. pag. 23. Iohan. Ornold. contra Tilen. pag. 203 & 204. Grevinghovi. cõtra Ameſi. pag. 28. & 29.

SEd nunc ad Auguſtinum, quem miror in ſcenam hanc productum, cum noſtrum eum eſſe non ſolum Arminius, Bertius, Iohannes Arnoldi, ſed & ipſe Grotius fatetur, pagina vigeſima prima, præſertim in cauſa Prædeſtinationis. Ex prædeſtinatione autem pendet neceſſariò controverſia de libero arbitrio, quam etiam contra Pelagium nemo acrius, ſolidius, nervoſius quam ipſe diſcuſſit.

Noverint igitur illi omnes (utar verbis Proſperi, in Epiſtola de libero arbitrio ad Rufinum, pagina quingenteſima quinquageſima) *non ſolum Romanam, Africanamque Eccleſiam & per omnes mundi partes univerſos promiſſionis filios. Cum doctrina Auguſtini in tota fide*, ita *in gratiæ confeſſione* congruere, &c. Sed ne ſine Auguſtino, quem in hiſce controverſijs inſtar multorum omnes agnoſcunt, videatur aliquid dicere, ex ipſorum libris lacera quædam fruſtula in unum conjecit, quæ nos genuinæ veſti reſtituemus. Nihil tamen hic novum, aut inſolens adfertur, Nam & ipſi Pelagiani poſt Auguſtini mortem, etiam ipſo vivente iſtis pro ſe utebantur.

Teſtantur hoc literæ Proſperi & Hilarij ad Auguſtinum ſcriptæ, ad quas cum ille reſponderit, ſuam ſententiam à depravationibus Pelagianorum vindicavit & commoda interpretatione mollivit. Iactantur quoque illa, quæ hic citantur, hodie à Ieſuitis, alijſque Doctoribus Pontificijs contra nos. Dicit igitur D. Grotius contra eoſdem, qui prædicatione gratiæ negant liberum arbitriũ extare Auguſtini librũ. Eſt liber iſte ſcriptus ad Valentinum & cum illo Monachos de gratia & libero arbitrio, vide paginam 746. *Propter eos* (inquit initio) *qui liberum hominis arbitrium ſic prædicant, vt Dei gratiam qua vocamur ad eam, & à noſtris malis meritis liberamur, &c. negare audeant & conentur auferre, multa iam diſſeruimus* &c. vide reliqua.

Deinde dicit hanc ſolere citari ſententiam Auguſtini, *conſentire vocationi aut non conſentire propriæ voluntatis* eſt. Extat hæc ſententia in libro de Spiritu & lit. ad Marcellum. Cap. 34. Sed ibi agit teſte & interprete Paræo de proprio actu voluntatis humanæ, quod nimirum homo conſentiens vocationi, vel diſſentiens id faciat non invitus, coactus, ſed propria voluntate: ſi verò ſic torqueatur quaſi homo ſine gratia poſſit velle gratiæ conſentire, vel

re, vel secus, repugnabit, quod ibi præcessit: *Propterea etiam voluntas, qua credimus, dono Dei tribuitur, Et, Profectò & ipsum velle credere Deus operatur in homine,* Adjecit & hoc dictum Augustini; ut, *velimus suum esse voluit & nostrum, suum vocando, nostrum sequendo.*

Legitur hoc libro primo ad Simpl. qu. 2. Verum & hoc eadem interpretatione commodè mollitur, quod nimirum, nostrum esse rectè dicatur velle sequi, quatenus voluntas, qua volumus, nostra est. Hoc ipsum Augustinum ita accipere patet ex duabus sequentibus sententijs, quæ hic à D. Grotio allegantur: Nam contra Pelagianos rectissimè scribit, *liberum esse in hominibus arbitrium & Deum esse nascentium conditorem; Neque inde hæreseos eos accusari posse; sed hinc potius, quod libertatem, in quam vocati sumus, gratiæ Dei non ascribant;* Locus hic extat libro tertio contra Iulianum Pelagianum pag. 350. Accusat sanè meritò Augustin. Iulianum istum, quod Catholicos doctores Manichæorum crimine infamant, sicuti & iam nostri adversarij hoc crimen nobis impingunt. Ejusdem sensus est, *quod dicat fidem Catholicam neque negare liberum arbitrium, sive in vitam malam sive in bonam, neque tamen ei tribuere, ut sine gratia Dei valeat aliquid.* *Quod ibidem repetit aut* exponit libro tertio contra Pelagium. *Quisquis negaverit liberum arbitrium, Catholicus non est, Et quisquis dixerit sic esse, quod sine Deo bonum opus nec incipere, nec perficere possit, Catholicus est.* Vorstius ipse superiora ista Augustini dicta ita interpretatus est in Antibellarmino suo contracto. pag. 589. *Confundi libertatem naturæ, & gratiæ, quum ad peccandum sive non amplectendum gratiam oblatam, satis virium semper habeamus, quantumvis alioqui corrupti. Verissimum quidem esse quod nostrum sit velle, vel nolle, sed & hoc verissimum esse, quod benè velle non sit ex nobis, sed ex Deo.* Patere hoc dicit ex collotione aliorum Augustini locorum. Quæ omnia huc coacervare non est nostri instituti. Duo tria insignia testimonia explicandæ sententiæ orthodoxæ contra ipsos hîc producam. Libro primo de Prædestinatione Sanctorum ad Prosperum & Hilarium, pag. 664. non erubescit fateri se olim similiter errasse, cum putaret fidem, qua in Deum credimus, *non esse donum Dei, sed à nobis esse in nobis &c. oportere tantùm præcedere præconium veritatis, sed nostrum esse*

proprium

proprium, & nobis & ex nobis esse arbitrabatur, ut prædicato nobis Evangelio consentiremus. Sed mox addit: Quem meum errorem nonnulla opuscula mea satis indicant ante Episcopatum meum scripta. Et statim pagina 665. Utrumque ergo nostrum est propter arbitrium voluntatis, & utrumque tamen datum est per Spiritum fidei & charitatis. Et quod Paulo post dixi, Nostrum est credere & velle, illius autem dare credentibus & volentibus facultatem benè operandi per Spir. Sancti; verum est quidem, sed eadem regula, et utrumque ipsius est, quia ipse præparat voluntatem; & utrumque nostrum, quia non fit, nisi volentibus nobis. Et ibid. p. 669. Proinde posse habere fidem, sicut posse habere charitatem, naturæ est hominum: habere autem fidem, quemadmodum habere charitatem, gratia est fidelium. Illâ itaque natura, in qua nobis data est possibilitas habendi fidem, non discernit ab homine hominem, ipsa verò fides discernit ab infideli fidelem. Ac per hoc ubi dicitur, Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? quisquis audet dicere, habeo ex meipso fidem, non ergo accepi, profectò contradicit huic apertissimæ veritati, non quia credere vel non credere non est in arbitrio voluntatis humanæ, sed in electis præparatur voluntas à Domino. Et statim. Multi audiunt verbum veritatis, sed alij credunt, alij contradicunt; volunt ergo isti credere, nolunt autem illi, Quis hoc ignoret? quis hoc neget? Sed cum alijs præparetur, alijs non præparetur voluntas à Domino, discernendum est utique, quid veniat de misericordia ejus, quid de judicio. Ibid p. 677. Sed cum dicitur, inquiunt, si credideris, salvus eris, unum horum exigitur, alterum offertur. Quod exigitur in hominis, quod offertur in Dei est potestate. Cur non utrumque in Dei, & quod jubes, & quod offertur? Rogatur enim ut det, quod jubet, rogant credentes, ut sibi augeatur fides. Et mox: Sic autem dicitur, si credideris, salvus eris, quemadmodum dicitur, si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Nam & hic ex his duobus unum exigitur, alterum offertur. Num igitur placet, ut facta carnis mortificare non donum Dei esse dicamus, neque id donum Dei esse fateamur, quoniam exigi audivimus à nobis præmio vitæ, si hoc fecerimus, oblato. Absit ut hoc placeat participibus & defensoribus gratiæ.

PELAGIANORUM error est iste damnabilis, quorum mox ora Apostolus obstruxit, adjungens, Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei, nec facta carnis nos mortificare, non per Dei, sed per nostrum Spiritum credieremus, Et mox: Ideò enim & hæc nobis præ-

bis præcipiuntur, & dona Dei esse monstrantur, ut intelligatur, quod & nos ea faciamus, & Deus facit, ut & illa faciamus, sicut per Prophetam Ezechielem apertissimè dicit. Quid enim aptius quam ubi dicit, Ego faciã ut faciatis, locum ipsum Scripturæ fratres charissimi attendite, & videbitis illa Deum promittere facturum se, ut faciant, quæ jubet ut fiant. Sed abrumpo, ne fastidium illorum stomachis faciam, & lectorem æquum ablego ad totum istum librum & sequentem de bono perseverãtiæ. & ad libros Retractat. lib. 1. cap. 1, & 23.

POst Augustinum allegat eadem in causa Hieronymum, de quo nihil aliud dicit, quam D. Sibrandum fateri ipsum libero arbitrio plus multo detulisse, quam Augustinus fecerit. Sed ubi hoc D. Sibrandus schribat, non indicat, neque ex ipso Hieronymo quidpiam citavit probondæ sententiæ suæ. Hieronymo fuit res cum ipso Pelagio, qui docebat esse à nobis fidei meritum sine Deo.

Quid autem ipse de hac materia senserit, ostendit luculenter in Epist. ad Ctesiphontem, ubi fol. 115. D, sic scribit: *Unus discipulorum Pelagij, imo jam Magister, & totius ductor exercitus & contra Apostolum vas perditionis per solœcismum & non ut sui jactitant per syllogismorum spicula decurrens, sic philosophatur & disputat: Si nihil ago absque Dei auxilio, & per singula opera ejus est omne quod gessero, ergo non ego qui laboro, sed Dei in me coronabitur auxilium, frustraque dedit arbitrij potestatem, quam implere non possum, nisi ipse me semper adjuverit, Autor semel potestate, quæ mihi data est, ut liberum servetur arbitrium: aut si alterius ope indigeo, libertas arbitrij in me destruatur. Qui hæc dicit, quam non excidit blasphemiam? quæ hæreticorum venena non superat? Asserunt se per arbitrij libertatem nequaquam ultra necessarium habere Deum, & ignorant scriptum, Quid habes quod non accepisti? si autem accepisti quid gloriaris, quasi non acceperis? Magnas agit Deo gratias, qui per libertatem arbitrij rebellis in Deum est. Quam nos libenter amplectimur, ita duntaxat, ut agamus semper gratias largitori, sciamusque nos nihil esse, nisi quod donavit, in nobis ipse servaverit, dicente Apostolo, Non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei. Velle et currere meum est. Sed ipsum meum sine Dei semper auxilio non erit meum. Dicit enim idem Apostolus, Deus est, qui operatur in nobis & velle, & perficere. Et ibid:*

pag. 116. D. *Frustra blasphemas & ignorantium auribus ingeris, nos liberum arbitrium condemnare. Damnetur ille, qui damnat. Caterum nos ex eo differimus à brutis animalibus, quod liberi arbitrij conditi sumus: sed ipsum liberum, ut diximus, arbitrium Dei nititur auxilio, illiusque per singula opera indiget. Quod vos non vultis. Sed id vultis, ut quod semel habet liberum arbitrium Deo adjutore non egeat. Liberum arbitrium dat liberam voluntatem, & non statim ex libero arbitrio homo facit, sed Domini auxilio, qui nullius opera indiget.* Id. lib. 1. cõtra Pelagianos. fol. 124. B. *Illud verò, quod in alio ponis loco, omnes voluntate propria regi, quis Christianorum potest audire? Si enim non unus, nec pauci, nec multi, sed omnes reguntur propria voluntate, ubi erit auxilium Dei? Et quomodo illud exponis? A Domino gressus hominis diriguntur, Et, non est in homine via ejus, Et, nemo potest quicquam accipere nisi datum ei fuerit desuper, Et in alio loco, Quid enim habes quod non accepisti, &c.* Passim hæc contra Pelagianos in ejus libris & commentariis inculcantur. Sic in Comment. super Ieremiã, cap. 18. fol. 144. *Et hoc dicimus, non quod ignoret Deus hoc vel illud gentẽ aut regnum esse facturum, sed quod dimittat hominem voluntate, suæ, ut vel præmia vel pœnas sua voluntate et suo merito recipiat. Nec statim totum erit hominis, quod eveniat, sed ejus gratiæ, qui cuncta largitus est. Ita enim libertas arbitrij reservanda est, ut in omnibus excellat gratia largitoris, juxta illud* Propheticum, *Nisi Dominus ædificaverit domum, &c. Non enim volentis, neque currentis, sed est miserentis Dei.* Ibid. sic, ubi est ergo (inquit etiam) &c. *Ubi est ergo absquè gratia Dei liberi arbitrij potestas, & propriæ iudicium voluntatis, cum grandis offensa sit Dei, sequi cogitationes suas et pravi cordis facere voluntatem. Id super verba Christi, Quos dedisti mihi, &c.* Non dixit *dedi eis liberi arbitrij potestatem, ut ipsi se suo labore servarent, sed ego custodivi eos, ego servavi.*

Sed quorsum tam multa hic accumulo? fatetur ipse Hieronymus in fine lib. 2 contra Pelagianos, & alibi Augustinum solidè refutasse Pelagij hæreses, & in hisce capitibus doctrinæ cum hoc catholico Doctore se idem sentire, loqui & docere. Quid igitur causæ sit, cur D. Grotius hos duos inter se committat, non video, nisi quod ex ipsorũ ficta discrepantia, unitatem Ecclesiæ Orthodoxæ discerpere conetur. Sed ut articulum hunc claudam coronidis vice subjiciam locum insignem Bernardi,

qui omnibus

qui omnibus supra citatis Patrum dictis lucem adferet. Sic n. de grat. & lib. arb. p. 263 lit. B. *velle inest nobis ex libero arbitrio, non etiam posse, quod volumus. Non dico velle bonũ aut vellemalũ, sed tantum velle: velle enim bonum profictus est, velle malum defectus est. velle verò simpliciter ipsum est, quod proficit vel deficit, Porro ipsum ut esset creans gratia facit, ut proficiat, salvans gratia facit, ut deficiat, ipsum se deijcit. Itaque liberum arbitrium nos facit volentes, gratia benevolos. Ex ipso nobis est velle, ex ipsa bonum velle, &c.* Sed iam satis de libero arbitrio.

PErgamus ad ultimum pronuntiatum Remonstrantium de Perseveratione, quã dicit D. Grotius ipsos dubitare, an sit omnium, qui verè credant: sed primum ad Chrysostomum provocat, quem scribit certissimè asserere negativam sententiam. Laudat ex ipsius homilia 80. in Ioh. cap. 17. pag. 281. ad verba Christi, quos *dedisti mihi, ego custodivi, & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis, hæc verba, ego mea causa non expellam, non derelinquam, quod si sponte sua resilient, vi eos non trahamus.*

Cogitandum ipsi primum fuit, quod ipse in quæstione posuerat *de verè credentibus.* Non enim Iudas, & alij, de quibus ibi agit Chrysostomus, verè credebant, si fidem pro interna animi persuasione per Spiritum adoptionis in animo excitata de remissione peccatorum in Christo intelligas.

Deinde expendere debebat Grotius quod præcedit in Chrysostomo, Christum ibi loqui, ut hominem, & prophetam, hoc est, ut alibi ad caput sextum, homil. 46. pag. 166. dicit, *spontaneam dispensationem Christi significari*, secundum quam ut prophetа & minister cum hominibus in externa Euangelij vocatione agit. Denique etiamsi & hæc divinitati eius tribuerentur, & hoc verum est Deum sicuti neminem invitum vocat, ita neminem invitum expiere aut extrudere, aut sponte sua abeuntem vi quadam aut invitum etiam retrahere. Passim enim Chrysostomus talem violentiam & necessitatem verè negavit. Sic eadem homil. 46. pagina eadem. B.

Non dixit (abite) ne expellere videretur, sed rogavit, num vellent abire, ut & vim omnem, & necessitatem auferret. Et mox: *Interrogavit eos, ne vi teneri viderentur. Nam si inviti mansissent, haud secus*

ac si abijsset, fuisset. Ibid. ad hæc verba Christi, *Nõne ego vos duodecim elegi*, sic scribit: *Non enim vi & necessitate quadã Deus bonos facere consuevit, neque electio ejus violenta est, sed suasoria, ut intelligas, inquit, non cogi vocationem, multos vocatos perire contingit. Quamobrem constat in nostro esse arbitrio an salvemur, an perdamur.* Vult dicere voluntatis esse & non noluntatis ut salvemur, aut sine volũtate nostra non salvari, neque perdi nos: intellige voluntatem absolutè sumptam, quæ etiam coactioni opponitur. Sed unde voluntas ista, quæ serva peccati, ad bonum flectitur, & mutatur, nisi à Deo omnis boni authore? Atqui & hoc ad similia loca Chrysostomi, quæ libero arbitrio favere videntur, responsum esto. Hoc etiam est, quod dicit, τὸν βλόμενον à Deo trahi, hoc est, *non invitum, non vi, aut necessitate quadam*, ut supra audivimus. Cæterum ne extra septa evagemur, quid sentiat hic Chrysostomus de perseverantia sanctorum, ostensum est ex multis locis, quæ in suis annotationibus descripsit D. Bogermannus pag. 150, 151.

EX Augustini postremis, uti dicit, scriptis hæc loca adduxit. Sed non est quod de extremis scriptis hic loquantur. Nam omnia ista loca, quæ huc produxit, sunt ex uno isto libro Augustini, cui titulus de corrept. & grat. Ex quo apparet neque ipsum Grotium certò cognoscere, aut inspicere libros, sed forsan ex registris, aut indicibus hæc & similia excerpere. Et quod dicit de postremis scriptis, neque in totũ est verum. Nam quem de bono perseverantiæ scripsit ad Hilarium & Prosperum contra reliquias Pelagianorum, ille, post hunc librum de corrept. & grat. est scriptus. Attamen videamus, quæ hic citavit ex eo libro testimonia.

Primus locus ita se habet: *Mirandum est, multumque mirandum, quod filijs suis Deus quibusdam, quos regeneravit in Christo, quibus fidem, spem, dilectionem dedit, non dat perseverantiam.* Extant hæc verba cap. 8. lib. de corrept. & grat. p. 292. Sed mox se explicat Augustinus ibid. cap. 9. p. 793. 794. ubi ita: *Nec nos moveat, quod filijs suis quibusdam Deus non dat istam perseverantiam. Absit enim ut ita esset, si de illis prædestinatis essent, et secundum propositum vocatis, qui verè sunt filij promissionis. Nam isti cum piè vivunt, DICUN-*

TUR

TUR filij Dei, sed quoniam victuri sunt impiè, & in eadem impietate morituri, non eos dicit filios Dei præscientia Dei. Sunt enim filij Dei, qui nondum sunt nobis, & sunt jam Deo. Et sunt rursus quidam filij Dei propter susceptam vel temporaliter gratiam dicuntur à nobis, nec sunt tamen Deo.

Et paulò post pag. 795. loquens de discipulis istis, qui offensi concione Christi de manducatione ipsius carnis apud Ioh. 6. deficiebant, sic scribit: *Quia ergo non habuerunt perseverantiam, sicut non verè discipuli Christi, ita nec verè filij Dei fuerunt, etiam quando esse videbantur, & ita vocabantur. Appellamus ergo nos & electos Christi discipulos & Dei filios, quia sic appellandi sunt, quos regeneratos piè vivere cernimus, sed tunc verè sunt, quod appellantur, si manserint in eo, propter quod sic appellantur.* Vnde apparet Augustinum designare tales, qui in visibili Ecclesia baptizati piè vivunt, ideoque nobis videntur & appellantur filii Dei, *justificati & regenerati*, sicuti & cap. 8. & 19. eosdem vocat justificatos, Renatos etiam intelligit, per lavacrum Baptismi Ecclesiæ insitos, qui sanè non alieni, aut extranei, sed filij Dei & domestici ejus vocantur. Nam eodem loco quem ibi à Grotio citatum audivimus, opponit ipse August. tales filios Dei alienis filijs, qui scilicet nõdum inter domesticos censebantur. Posthæc dicit Augustinum hæc verba Iohannis, *si fuissent ex nobis, ita interpretari, non quia justitiam simulaverunt, sed quia in ea non permanserunt.* Leguntur etiam hæc eod. lib. de corrept. & grat. pag. 794. cap. 9, & eum in finem hic citantur à Grotio, ut & ex hoc loco doceat, talem justitiam, fidem, dilectionem, quam nonnulli abjiciunt, esse veram & non simulatam fidem, justitiam, dilectionem. Sed fucum facit.

Nam Augustinus ibi loquitur de externa professione veræ justitiæ, & fidei. Non enim nos negamus fidem & justitiam, quã tales profitentur in Ecclesia, esse veram, eosque non fictam, sed veram justitiam quam Ecclesia profitetur tenuisse, atq; in bono, imò in fide filiorum fuisse, uti ibid. loquitur August. Sed interea dicimus cum eodem authore, tales apostatas non esse verè filios Dei, aut promissionis. Sic enim ibid. scribit, quod callidè omittitur à Grotio: *Cum ergo filij Dei dicunt de his, qui perseverantiam non habuerunt, ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis, &c. quid aliud dicunt, nisi non erant filij, etiam quando erant in professione & nomine*

filiorum, ideoque fuerunt isti quidem ex multitudine vocatorum, sed non ex paucitate electorum.

Tertiò ejusdem Augustini hæc esse dicit. *Quis ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate vivitur, in numero prædestinatorũ, esse præsumat?* Leguntur hæc eodem libro, cap. 13. pag. 808. Citatur & hoc testimonium Augustini à Bellarmino contra certitudinem perseverãtiæ & salutis lib. 5. de justificat, cap. 12. p. 2375. Sed ex hoc loco non evertitur dogma istud de perseverantia electorum, sed in electis tantum carnalis ista elatio & arrogantia cõtunditur. Sic enim modo dixerat; *Quod autem etiam perseveraturis sanctis sic ista dicuntur (ut nimirum teneant quod habent, ne alius coronam accipiat Apoc. 3. & similia) quasi eos perseveraturos habeatur incertum, non aliter hoc audire debent, quibus expedit non altum sapere, sed timere. Et mox ita: similia multa dicuntur propter hujus utilitatem secreti, ne fortè quis extollatur, sed omnes etiam, qui benè currunt, timeant, dum occultum est, quo perveniunt.*

Dicit consilium prædestinationis in se homini esse clausum & secretum. Quis negat, si à priori res petenda erit? vetat carnalem securitatẽ, quæ ex præsumptione inflatæ mẽtis est & exigit timorem, quem saluberrimum dicit, quò vitium elationis hîc opprimitur; Quis inficiatur, si hoc modo nõ excludatur certitudo salutis, quæ à posteriore inchoanda erit? Duo hic præcipitia cavenda, *Diffidentia & confidentia.* De hac præsertim ibi agit, cum inquit, *Quæ præsumptio in isto tentationum loco non expedit, ubi tanta est infirmitas, ut superbiam possit generare securitas.* Et cap. 9. pag. 797. *Discunt enim* (electi scilicet) *in ipsa ista vita justa omnes tremore se exultare debere non sibi arrogando, tanquam de sua virtute fiduciam permanente, nec dicendo in abundantia sua. Non verebor in æternum propter quod eis dicitur, Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore, &c.*

Ad extremum subjungit & hæc verba Augustini, ex eadem pagina octingentesima octava. *Credendum est quosdam de filiis perditionis non accepto dono perseverandi usque ad finem in fide, quæ per dilectionem operatur, incipere vivere, & postea cadere.* Citatur & hic locus à Bellarmino libro tertio de Iustificatione, Capite decimo quarto, pagina 2384. Sed & hæc eò spectãt, ut dicat filios perditionis donari tali fide, quæ per charitatẽ efficax est, quod etiam ibi contendit

ibi contendit Bellarminus. Nam alioquin vel hinc probatur nullos filios promissionis, hoc est, electos perire, sed tantum filios perditionis, hoc est, reprobos, quod contra ipsos est. Sed, ut dixi, loquitur de externa professione veræ fidei, quæ in conversatione justæ, & piæ vitæ se coram hominibus exerit etiam in talibus, qui non sunt ex numero electorum. Sic enim ipse Augustinus eodem libro, Capite septimo, pagin septingentesima nonagesima prima. Vbi prius de Hymenæo & Phileto locutus fuerat, scribit: *Horum fides quæ per dilectionem operatur, profectò aut omnò non deficit, aut si qui sunt, quorũ deficit, reparatur antequã vita ista finiatur, & deleta, quæ intercurreret, iniquitate usque in finẽ perseverãtia deputatur. Qui verò perseveraturi non sunt, ac sic à fide Christiana & conversatione lapsuri sunt, ut tales eos finis huius vitæ inveniat, proculdubio nec illo tempore, quo benè plèque vivunt, in isto numero computandi sunt. &c. Et tamen quis neget eos electos, cum credunt & baptizantur & secundum Deum vivunt? Planè dicuntur electi à nescientibus, quid futuri sint non ab illo qui eos novit non habere perseverantiam, &c. Hic si à me quæratur cur eis Deus perseverantiam non dederit, qui eam, qua Christianè viverent, dilectionem dedit, me ignorare respondeo. Non enim arroganter, sed agnoscens modulum meũ audio dicentem Apostolum ô homo tu quis es qui respondeas Deo? Et ô altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, &c.* Sed ut concludamus, Augustini & nostrarum Ecclesiarum sententiã hic ex ipso Augustino proponemus. Sic enim ille lib. eod. cap. 8. pag. 791, *Si ergo confiteris donum Dei esse perseverare in bono usque in finem, cur hoc donum ille accipiat, ille non accipiat, puto quod mecum pariter nescis & ambo hic inscrutabilia judicia Dei penetrare non possumus. Aut si ad liberum arbitrium hominis, quod non secundum Dei gratiam sed cõtra eam defendis, pertinere dicis, ut perseveret in bono quisque, vel non perseveret, non Deo dante si perseveret, sed humana voluntate faciente, quid moliturus es contra verba dicentis, Rogavi pro te Petre ne deficiat fides tua, &c.*

Quando ergo rogavit Christus ne fides eius deficeret, quid aliud rogavit, nisi ut haberet in fide liberrimam fortissimam, invictissimam, perseverantissimam voluntatem? voluntas quippè humana non libertate consequitur gratiam, sed gratia potius libertatem, & ut perseveret delectabilem perpetuitatem & insuperabilem fortitudinem. Et ut sciamus de

quibus

quibus Augustinus loquatur, explicat se clarius cap. 13. p. 807. cum *dicit, se loqui de his qui prædestinati sunt ad regnum Dei, quorum ita est certus numerus, ut nec addatur eis quisquam, nec minuatur ex ijs, non de his qui vocati dici possunt, non autem electi, quia non secundum propositum vocati.* Et *posthæc* ita in lib. de bono perseverantiæ p. 735. cap. 22. sic ista interpretatus est. *Quamvis ergo ita se habeat de prædestinatione definita sententia voluntatis Dei, ut alij ex infidelitate accepta voluntate obediendi convertantur ad fidem vel perseverent in fide: cæteri verò qui in peccatorum damnabilium delectatione remorantur, si & ipsi prædestinati sunt, ideò nondum surrexerunt, quia nondum eos adjutorium gratiæ miserantis erexit. Si qui enim nondum sunt vocati, quos gratia sua prædestinavit eligendos, accipient eandem gratiam, qua electi velint esse & sint. Si qui autem obediunt, sed in regnum eius & gloriam prædestinati non sunt, temporales sunt, nec usque in finem in eadem obedientia permanebunt. Firmissimè igitur tenendum, inquit, de fide ad Petrum Diaconum* cap. 35. *& nullatenus dubitandum omnes quos vasa misericordiæ gratuita bonitate Deus fecit antè constitutionem mundi in adoptionem filiorum Dei prædestinatos a Deo, neque perire posse aliquem eorum quos Deus prædestinavit ad regnum cœlorum, neque quicquam eorum, quos non prædestinavit ad vitam ulla possit ratione salvari. Prædestinatio enim illa gratuitæ donationis est præparatio, qua nos Apostolus ait prædestinatos in adoptionem filiorum Dei per Iesum Christum in ipsum.* Neque aliter Ambrosius in Epist. ad Rom cap 9. pag. 405. M. ut hi *qui credere videntur, et non permanent in fide cæpta à Deo electi negantur, Quia quos Deus elegit, apud se permanent. Est enim qui ad tempus eligitur, sicut Saul et Iudas non de præscientia, sed de præsente justitia.*

POst omnes, οὐραγός est, & agmen claudit Prosper, ex quo primum enotavit hunc locum: *Qui ad obediendum sibi ipsum velle sic donat, ut etiam à perseveraturis illam mutabilitatem, quæ potest nolle, non auferat: alioqui nemo unquam fidelium recessisset à fide.* Extat in libro de vocatione Gentium libro secundo Capite nono pagina septuagesima quinta. B. Sed loquitur de tali discessione, aut defectu à fide, qui postea reparabitur, & sarcietur, qualis fuit in Petro. Quod patet ex sequentibus, Nam nunquam *non dicit debere in auribus fidelium vocem illam Domini sonare,*

qua Apo-

quâ Apostolis dicitur, vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Ubi si de vigilando tantum, non etiam de orando discipulos admoneret, solas liberi arbitrij vires videretur hortatus. Sed cum addidit, Et orate, satis docuit superni futurum muneris, ut eos etiam vigilantes tentationis procella non vinceret. Hæc ibi Prosper quæ vera sunt.

Nihil enim certius quam in electis perseveraturis, quamdiu in via sunt, inesse mutabilitatem voluntatis, quod ibi docuit Prosper. Nam cum dixisset Christum orasse pro Petro ne deficeret fides ipsius, rectè intulit: *Sic ergò defectura erat tanti Apostoli fides, nisi pro eo Christus oraret, inerat ei proculdubiò mutabilitas, quæ posset in tentatione nutare, et non ita jam perseverantiæ fuerat virtute solidatus, ut nullis periculis esset obnoxius.* Et interjectis nonnullis ita: *In cæteris, infit, hominibus donec caro concupiscit adversus Spiritũ, & Spiritus adversus carnem, & donec Spiritus quidem promtus est, caro autem infirma, incommutabilis animi fortitudo non potest reperiri, quoniam non huius sed alterius vita est perfecta & secura felicitas. In præsentis autem agonis incerto, ubi tota vita tentatio est, & ab insidiãti superbia, nec ipsa est tuta victoria, mutabilitatis periculo non caretur.*

Et licet innumeris sanctis suis donet virtutem perseverandi usque in finem divina protectio, à multis tamen aufert, quod ipsis repugnat ex ipsis, ut in omnibus studijs eorum atque conatibus semper inter, se velle et nolle decertet. Quam compugnantiam idem beatissimus Petrus etiam in ipsa palmarum omniũ consummatione perpessus est apud Ioh. cap. 21.

Ex quibus verbis sequitur Prosperum significare perseverantiam sanctorum quatenus sancti in se ipsi consideratur, esse mutabilem, adeoque nullam, sed quod ad Dei electionem & propositum, immutabilem & stabilem; quod Paulò post idem agnoscit cum dicit verbis Domini, *Quod Pater Filio dedit, filius non amittit, neque quisquam potest de manu eius eripere quod accepit, Firmum fundamentum Dei stat & mansuri in æternum templi ædificatio non vacillatim prætenta super omnes veritate & misericordia Dei, &c. Qui semper præcognitum habuit quantus piorum numerus per opem gratiæ et per servitutem obedientiæ ad æternam beatitudinem pertineret, ut nullo excidente de plenitudine promissorum, qui nec provectu erat fallendus, nec auxilio defuturus, eos glorificaret præ omnibus quos elegit ex omnibus.*

Sequitur alter locus, in quo scribit multis fidelibus, qui jam

judicio rationis utuntur, ideo liberum esse discedere, ut non discessisse sit præmium. Legi hoc alibi in istis libris de Vocat. Gentium, sed non memini locum aut caput. Si verba diligentius pensitentur, non officit causæ nostræ.

Nam respectu voluntatis in se consideratæ liberum dicit esse discedere. Quis negat? Hic enim iterum de mutabilitate naturæ humanæ est sermo, quæ si gratia Dei ita stabiliatur, ut quasi immutabilis aut firmè perseverans in bono sit, à quo in fine nō discedat, præmium obtinere gloriæ dicat. Neque tamen istam perseverantiam humanæ voluntatis esse putandum est, sed merum & unicum Dei donum, quod multis testimonijs scripturæ inculcat idem author, libro primo capite ultimo. Et capite tertio ejusdem libri apertè docet, Deum promisisse credituros reconciliandos, obedituros, atque etiam perseveraturos esse; ideò quod dixit, Timorem meum dabo in cor eorum, ne discedant à me.

Vltimus locus ita habet. *Prædestinatio apud nos, dum in præsentis vitæ periculo versamur, incerta est.* Extat in Responsione ad objectionem Vincentianam duodecimam, pagina trecentesima nonagesima sexta. Sed à Domino Grotio truncatâ sententiâ hîc citatus est. Ego hic totū locum cum vera ipsius sententia reponam. Objectio duodecima Pelagianorum hæc erat, quam ad invidiam conflandam veritati Euangelicæ moverant.

Quod Dei Prædestinatione efficiantur de filijs Dei, filij Diaboli, et de templo Spiritus S. templa Dæmonum, et de membris Christi, membra meretricis. Ad quam ita respondet Prosper, *Prædestinatio Dei est apud nos dum in præsentis vitæ periculis versamur, incerta est, apud illum tamen, qui fecit, quæ futura sunt, incommutabilis permanet: nec quæ illuminavit, obcæcat; nec quæ ædificavit, destruit; nec quæ plantavit, evellit; sine pœnitentia enim sunt dona & vocatio Dei. Et firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc, cognovit Dominus qui sunt ejus. Nullo igitur modo prædestinatio Dei facit, ut aliqui ex filijs Dei filij sint diaboli, &c. sed potius prædestinatio facit, ut ex filijs Diaboli fiant filij Dei, & ex templo Dæmonum templum Spir. S. & ex membris meretricis sint membra Christi.* Mox: *Et per hoc prædestinatio Dei multis est causa standi, nemini est causa labendi.*

Quid quæso aliud author hic docet, quam prædestinationem

aut per-

cut perseverantiam respectu nostri in se esse incertam, sed respectu divinæ voluntatis, vocationis, cognitionis, & dilectionis esse incommutabilem? unde sequitur verè credentes, hoc est, electos Dei non ex se, sed ex peculiari & salvifica gratia & dono Dei perseveraturos, quod est τὸ κρινόμενον.

Hæc igitur omnia (loquor cum Fulgentio ad Monimum lib. 1.) *id est, vocationis nostræ initia & justificationis augmenta, & glorificationis præmia in prædestinatione Deus semper habuit, quia & in vocatione, & justificatione & glorificatione sanctorum gratia suæ opera futura præscivit, ob hoc totum Deo assignat amplius Apostolus dicens, Nam quos præscivit & prædestinavit, hos et vocavit, & quos vocavit, hos etiam justificavit, quos autem justificavit, hos & glorificavit.*

In hac aurea Apostolica salutis nostræ catena acquiesco & desino. Satis n. demonstratum puto non solum quid antiquitas ex SS. Dei verbo de hisce controversiis senserit, sed etiam quam infeliciter imò infideliter, ad obfuscandam veritatis lucem, & irretiendos simpliciorum animos Patrum lacinias quasdam prætenderit D. Grotius; ideoque bonam fidem, quam in D. Lubberto hic desiderari Anonymus frustra quiritatur, ipsi D. Grotio defuisse.

An autem hæc doctrina tardos & securos faciat, quod semper ipsis in ore & calamo est, Videant, si lubet, quæ Prosper docuit lib. 2. de vocat. Gent. cap. ult. Et Epistol. ad Demetriadem p. 187. Quod autem ad testimonia ista, quæ decreto Ordinum sunt adjuncta, attinet, ex iis omnibus quæ iam sunt disputata, apparet, quid sit quoque de his iudicandum. Ideoque breviter, ne per eandem lineam sarram hanc reciprocemus, hæc tria respondeo. Primum est, quod illa diligenter expensa firmant & iuvant sententiam Ecclesiarum nostrarum, ipsorumque opiniones enervant, & subvertunt. 2. Si quæ autem duriuscule sunt à Patribus dicta, ex vero genuinoque auctorum sensu sunt explicanda, quod jam factum est supra à nobis. 3° aut si τὸ ῥητὸν præcisè urgebitur, sese mutuò elident, ideoque ipsorum causam lædent. Quod data occasione facilè evincetur. Sed nos jam ad reliqua.

NVMERVS Quadragesimus quartus EXCERPTVS est ex pag. III,

VBi D. Sibrandus scribit à *D. Grotio se reprehensum, quod Ordines accusaret ideo, quod cum sint dogmatum Christianæ fidei imperiti, de illis tamen iudicium sibi arrogent, proinde ac si cæcus de coloribus rectè iudicare possit.* Ad quæ respondet D. Sibrand, quod in tota illa præfatione Ordinum non meminerit. Anonymus verò fatetur cum D. Grotio non nominatos ordines in ea præfatione ad Ecclesiam Londinensem, sed designatos. Accipimus quod nobis largiuntur. Sed cur tam insolenter, & confidenter dicunt ipsos designatos? Anonymus respondet hic, rei evidentiam hoc testare. Sed hoc negamus, & provocamus ad ipsam præfationē, quæ in omnium manibus, imò ad ipsum authorem, cujus est sua verba interpretari. Evidentia rei testatur notari ibi quosdā, qui jam Politici audiunt, etiamsi politiæ regendæ non sint præfecti. Quod ad Ioh. Arnoldi, qui pag. 16. contra mentem authoris istam sententiam ex istis exprimere aut excalpere nimis sanè malitiosè conatus est, hoc jam antè discussum est. Hoc addo neminē mortalium inventum iri, qui verè & solidè demonstrabit Collegium Illustr. Ord: Hollandiæ ibi taxatum fuisse.

PAGINA eadem dixerat D. Sibrandus.

SI alium adversarium haberet D. Grotius metuendum esse, ne pro merito ab ipso tractaretur; sed se non esse vindictæ cupidum. Vnde confecit Anonymus 45. numerum, & dicit hoc falsum esse, quod singulas paginas inspicienti patere scribit. Verum mecum multi hoc singulis paginis videre nequeunt, imò in ista responsione ad Pietatem, iustæ suæ iræ temperasse D. Sibrandum gaudent, vel saltem hanc ob causam, ne quæ amplior calumniandi occasio adversariis detur.

Quod igitur virulentè in ipsum scripsisse D. Sibrandum addat Anonymus,

Anonymus, ipse liber hoc confurat: Sed cur notari etiam hoc velit, quod in eum tam virulentè scripserit D. Sibrandus, qui nihil aliud nisi authoritate publica fecit, non video nisi ut animos Illustr. Ordinum magis inflammet, quasi in hoc scriptum esse deputent ipsi, quod solum in D. Grotium scriptum est. Verum nequeo usque authoritatem publicam extendi puto, ut quicquid hic D. Grotius peccaverit, præstare debeant & velint Ordines. Quod denique nullas privati odij causas D. Grotio fuisse contendat, hoc vicissim D. Sibrandus de se testatur. Sed hoc interest, quod D. Grotius prior D. Sibrandi famam hac sua pietate παραδειγματίσας palam læserit. Quid ipsum impulerit, ipsius novit. Si non privatum odium erga ipsum, sit potius odium publicum erga doctrinam, & regimen Ecclesiarum, quæ hactenus strenuè defendit D. Sibrandus. Anne igitur præter officium & conscientiâ fecit D. Sibrandus, quod ita immeritò lacessitus aut potius læsus respondere debuit, atque adeò suæ famæ consulere? Si D. Grotius auctoritate publica se munitum putet contra Sibrandum, cur non D. Sibrandus justitia & privata & publica se contra Grotium munire debuit? Si illi aliquid causæ sit, cur prior in Sibrādum nihil tale merentum calamū stringat, multò plures causas fuisse D. Sibrando arbitror, cur ipsius injurias propulsare & suo & Ecclesiæ totius nomine debuerit. Sed quam modestè, & piè in Sibrandum scripserit loquitur liber ipse. Appello ipsius conscientiam, & quæro, cur tam multa scommata, virulentos morsus, & salsa dicteria, quibus prior editio conspersa est, in ultima minore editione omisit? Nisi enim ipsum talium puduisset, vix hoc facturum fuisse judico. Sed benè habet. Generosæ enim est indolis fateri & dolere nimis concitatum animi sui impetum. Iram enim furorem brevem, & non diuturnum esse tradunt non Christiani,

IN NVMERVM 46: coniecit hæc verba ex pagina 120.

GLoriaris te esse Fisci advocatum. Sed Anonymus hoc negat: officii tantum nomen ipsum præscripsisse ait, cujus

ratione tenebatur facere, quod fecit. Nimis λεπτολογεῖ, aut minutias sectatur hic homo.

Quorsum autem hæc tam frivola aucupatur, nisi ut famæ & existimationi D. Sibrandi aliquo modo se officere putet. Quod autem dicat ipsum ea propter gloriari, non omnino falsum est. Nam in titulo libri non satis fuit nomen præfigere, nisi etiam & hoc addatur, quod sit Ordinum Hollandiæ Fisci advocatus, ut vel ita Britannia, adeoque universus orbis cognoscat ad quod honorum fastigium D. Grotius subvectus fuerit. Et more quidē solent librorum in titulis nomina auctorum præponi adjectis subinde, quibus fungebantur, officiorum titulis. Non improbamus hoc, modò absit κενοδοξίας & arrogantiæ species. Posset & Theophrastus μικροφιλότιμον suum hinc quoque χαρακτήρίζειν. Et vellem hoc Anonymum in sua Responsione fecisse, ut ne ita toties Anonymus cum titulo hoc minus honesto notari, & vocari cogeretur. Sed neque hic subsistit ipsius καύχησις. Nam in ipso opere p. 2. causam rediturus sui instituti, scribit suum hoc proprium munus esse jura ac sublimitatem Ordinū tueri. Quasi de solio suo deturbati fuissent Illustres Ordines, nisi hic Advocatus succurrisset. Quid sui muneris sit, ipsus noverit. Hoc etiā muneris Christianorum sciat, jura & sublimitatem Christi eiusque Ecclesiæ tueri: ideòque non abs re est, quod D. Sibrandus ibidem ipsum monet, ut ἑτεροδοξίαν & scandala, quæ præter verā doctrinam, de infinitate divinæ essentiæ, plena & vera satisfactione Christi pro nostris peccatis, & justificatione irrepserunt, quantum in se est, curaret tolli. Sed nolo hisce minutijs diutius immorari. Quod dicant jura & Majestatem Dei salva esse, si jura Magistratus sarta tecta maneant, ego inverto, tunc vero Majestatem Principum benè constitui, cum honor divinæ Majestatis in omnibus asseritur.

Ex Pagina Centesima vigesima quarta hæc sublegit.

CVI tribuimus potestatem convocandi Synodos, illi citra controversiam judicandi potestatem tribuimus. Neque hic quicquam novi scribo.

scribo. Nam in Epistola dedicatoria ad Archiepiscopum hæc eadem Regibus et Generalibus Ordinibus tribuenda esse docui.

De iure & potestate magistratus in Ecclesia.

Contrarium autem conatur Anonymus ex ista epistola ostendere. Nam citat ex pagina vigesima tertia hæc verba D. Sibrandi. *Ergo si vel sartores, vel monetarij sibi arrogaverint illud quod est Prophetarum, et iudicarint de prophetijs, violaverint secundam tabulam. Sed neque ipsi Ordines, quia sunt custodes utriusque tabulæ, hoc ipsum, quod alienum est, sibi arrogare debent.*

Verum hoc primò notandum est, D. Sibrandum aperto ore in eadem Epistola proclamasse pagina trigesima septima, trigesima octava. *se et Ecclesiarum omnium Ministros tantum honoris, obsequij, authoritatis, potestatis, juris, majestatis in his provincijs, Ordinibus nostris libenter tribuere, quantum in imperijs et Regnis suis boni Imperatores et Reges sibi tribui olim postularunt, et etiam nunc postulant.*

Quid amplius postulant? Commendat Præpotentes Ordines nostros quod sint custodes utriusque tabulæ, Nutritij, Patroni & protectores Ecclesiarum; Hoc inde ostendit, quod hactenus tria concilia Nationalia sua auctoritate convocarint, in ijs præsederint, atq; ea gubernarint. Quid igitur hic desiderant? Hoc nempè, quod judicandi authoritatem ipsis Ordinibus eripiat. Sed hoc falsum esse palam protestor. Attamen, inquit, Anonymus, Prophetarum esse ordinarium munus dicit de fidei controversijs judicare. Hoc quidem verum est, sed cur non attendit ad ea, quæ ibi D. Sibrandus explicandæ suæ sententiæ sæpius repetijt, nimirum Theologorum esse proprium interpretari, examinare, discutere & respondere de quæstionibus Theologicis? Sic enim pagina vigesima secunda.

Iurisconsultorum est de jure respondere, Medicorum de morbis eorumque remedijs, Naviculariorum de re nautica, Sartorum de veste, Monetariorum de moneta, Planè eodem modo Prophetarum est de prophetijs judicare. Et pagina vigesima tertia. *Hoc accedit illos qui Reipublicæ præsunt, sæpè aberraturos esse, si de prophetijs, jure, vestibus, Metallis, Morbis per se respondendi morem ac jus sibi sumpserint. Omnes enim illi harum omnium rerum periti non sunt.*

Hinc est, quod pagina trigesima septima & vigesima quarta scribit priscis & recentibus temporibus eam ob causam pios

Principes

principes convocasse Synodos Episcoporum & Theologorum, ut ij ipsi qui *sacræ Scripturæ* interpretes ordinarij sunt, de dogmatibus controversis dissererent & responderent. Anne tu negare ausis istud esse Prophetarũ & Theologorũ propriũ munus? Rectè Iunius contra Bellarminum, *Reges (inquit) interpretes legis dicuntur, qui sunt Christiani, atque etiam pro communis vocationis modo, ut privatè instituant suos, non autem, ut sint interpretes publici ex vocationis singularis ipsorum jure.*

Quid respondebunt ad Witakerum, qui Regiam Majestatem Angl. fassus est caput Ecclesiæ esse? Sic enim citra Bellarminum d S. Scriptura p. 329, rotundè in Analia docuit: Ambrosius in Epist. 32. *Valentinianum Imperatorem graviter & meritò reprehendit, quod judicium de causis fidei Episcopis Catholicis præriperet, & sibi arrogaret. Quis enim dubitat pastorum & Episcoporum esse de causis fidei judicare?* Et pag. 330. *Quod deinde Sulpitius lib. 2. historiæ sacræ narrat de Martino, quemadmodum Maximo Imperatori responderit, visum esse, quod causam Ecclesiæ judex seculi judicaret. Respondeo, Martinum Ecclesiæ vindicare judicium de genere doctrinæ & non concedere Imperatori.*

Non nego inter Ordines esse, qui rerum Theologicarum calentes sunt, sed cur ipsis hoc fraudi aut vitio verterur, si ijdem ipsi controversias difficiles & perplexas ad Theologos exercitatiores deferant? Nimis enim notum est ipsos hoc sæpius antehac fecisse, ut Num. 35. ostensum est Possunt igitur & Prophetæ ita de causis fidei judicare, ut nihil de jure & authoritate Magistratus delibent. Possunt etiam & debent Magistratus de istis secundum veritatem judicium suum ferre; possunt quoque & debent ferre judicium coactivum, quod tamen prophetæ non debent, neque possunt. Iudicium Prophetarum non tollit aut minuit judicium Magistratus, sed promovet & firmat, ita tamen, ut utrorumque judicium verbo Dei subsit.

Rectè etiam idem Witakerus ibid. p. 327. *Deinde Athanasium objcit Bellarminus in Epistola ad solitariam vitam agentes, in qua ille loquens de Constantio Ariano, ait: Quando auditum est judicium Ecclesiæ authoritatem suam ab Imperatore accepisse? Respondeo, Iudicia Ecclesiæ legitima de rebus ad fidem spectantibus vim suam atq; authoritatem à nullo homine mutuari, sed ab ipso Deo. Ergo quisquis*

sibi

sibi sumit, ut de fide statuat, quemadmodum ipsi visum fuerit, quod impius Constantius apertè fecit, is sibi divinam authoritatem accepit.

Perspicuè id ipsum docuit D. Sibrandus ibid. pag. 24. cum scribit: *Ut igitur ordini congruenter faciunt Ordines, cum per Iure-consultos de jure respondent, per Sartores de vestibus, per aurifabros de auro, per Medicos de morbis eorumque remedijs, ita non solum hunc ordinem observabunt, sed etiam Dei legi obtemperabunt, si de prophetijs judicandi morem ac jus relinquant Prophetis*: atque eum in finem allegat exempla Constantini Magni, Theodosij Senioris, Theodosij Iunioris, Marciani, Iustiniani, Constantini Barbati, Leonis, Caroli Magni, Iacobi M. Britan. Regis, qui omnes jus istud de prophetijs judicandi Prophetis in Synodis integrum reliquerunt.

Ex istis igitur omnibus manifestum est D. Sibrandum etiam tribuere Magistratui judicandi potestatem. Distinctio adhibenda erit; Dicimus enim iudicium ita Prophetis aut Theologis competere, ut ipsi de doctrina tantum judicent & respondeant, atque illudita ipsis Principibus docemus convenire, ut quoque & ipsi publica authoritate legum istud sanciant. *Servetur ordo*, & *veritas in omnibus*, καὶ καλῶς τὰ πάντα. Legantur, quæ extant apud D. Sibrandum. pag. 120. 121. Resp. ad Pietatem. Inter cætera sic: *Qui hæc* (inquit) *ut par est expendet, videbit nos non adimere Magistratui judicium de rebus fidei, Qui enim posset curare, ut verbum Dei ritè & incorruptè prædicetur, nisi judicet, quid Deus in verbo suo docuerit, illudque discernat ab eo, quod Deus in verbo suo non docuit, nec mandavit. Nemo opinetur, me dum hoc jus Magistratui asserò, detrahere Ecclesiæ eiusque pastoribus, quod ad Ecclesiam eiusque pastores pertinet. Hoc enim proprium munus est rectè docere, Matth. 28. 20. Contradicentes arguere. Tit. 1. 9. de aliorum doctrina judicare. Act. 15. 6. Facultas igitur & jus judicandi de doctrina illis eripi non potest. At inquies, quomodo ista duo cohærent? aut quomodo hoc ipsum quod Magistratus est, non tribuitur pastoribus? aut quod pastorum est, non tribuitur Magistratui? Respondeo, Regis esse curare, ut omnia rectè & legitimè fiant, non tantum in Politia, sed etiam in Ecclesia. Verùm dum politiam administrat ipse, non immediatè pro habitu suo facit, sed vel ipse vel illi, ad quos hoc jus pertinet, constituunt viros idoneos & juris peritos, per quos jus dicunt, &c.*

Planè eodem modo dum Princeps Ecclesiam gubernat non omnia immediatè, pro ut libido fert, facere debet, sed efficit ut illi ad quos hoc jus pertinet, constituant viros idoneos & Theologiæ peritos qui populum Dei verbum rectè doceant, sacramenta ritè administrent, & disciplinam Ecclesiasticam juxta Dei verbum stringant: Defenditque & tuetur eos, quamdiu suo munere rectè funguntur, eosdem severè coërcet, si vel verbum falsa doctrina adulterant, aut sacramenta idololatricis ritibus contaminant, aut denique disciplinam in Tyrannidem aut conscientiarum carnificinam commutant. Hoc modo prisci Imperatores Ecclesiam gubernarunt, &c. lege & expende reliqua.

NVMERVS Quadragesimus octavus ita conceptus est ex pagina Centesima Vigesima Quarta.

QVæris an Imperatori non liceat sine concilio de causis fidei iudicare? Respondeo neque sacras literas, neque primitivæ Ecclesiæ Canones, neque Imperatorum priscorum leges Magistratui tantam auctoritatem tribuere. Addo rem esse plenam periculi uni homini tantam potestatem in rebus fidei concedere.

Anonymus mutilavit locum, ego plenum hic exhibeo, prout ibi legitur. Sed dispiciamus, quid ad ista responderit. Ex veteri Historia aut potius ex pietate D. Grotii duo exempla citavit, quibus sententiam istam infringere conatur. Vnum est Marcellini, allegatum Piet. pag. 37. Alterum Theodosii Senioris, allegatum pag. 30. Priusquam ad singula respondeo, hoc primum notandum est, Quæri à D. Grotio in piet. pag. 30. An concilia simpliciter sint necessaria, & ex Witakero negativum affirmat. Sed loquitur ibi Witakerus de conciliis Oecumenicis, aut generalibus, quæ non semper haberi possunt, & sine quibus Ecclesia & fides per trecentos annos etiam incolumis mansit. Pagina tamen 29. Ita suam mentem clarius exposuit: Bellarminus (inquit) cap. 11. *docet aliqua concilia esse omninò ad Ecclesiæ gubernationem necessaria: quia etsi posset Deus per absolutam potentiam conservare Ecclesiam sine conciliis, tamen secundum ordinariam providentiam necessaria*

saria sunt ad bonam Ecclesiæ gubernationem. Quod certè illius judicium non improbamus: Nam etsi generalia concilia non semper haberi possunt, ut cum Ecclesia est in persecutione sævientibus contra illam Tyrannis: tamen tum etiam aliqua & possunt & debent haberi concilia. Sic primis trecentis annis post Christum varia concilia habita sunt, ut contra Paulum Samosatenum, Cyprianus Concilium cum Episcopis suis habuit. Et hoc probatur ex Christi dicto sive Promisso Matth. 18. 20. Vbi duo aut tres congregati fuerint in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum.

Quod igitur ad primum exemplum Anonym. respondeo illud huc non pertinere. Nam ibi sermo est de collatione, quæ catholicis cum hæreticis authoritate publica necessariò fuit habita, diu postquam suppressi & condemnati in Synodis legitimis fuissent Donatistæ. Catholici enim in Africa legatione facta ad Honorium rogarant & impetrarant Collationem cum Donatistis. Sic enim in Gestis Collationis pag. 8. legitur: *Legationem siquidem venerabilium Episcoporum libenter accipiens Clementiss. Princeps Dominus noster Honorius, &c.* & pag. 9. in edicto Marcellini. Nam sicut à catholicis nuper collatio postulata est, &c. Imò ipse Imperator in suo rescripto ad Marcellinum scribit pag. 6. *se legationem venerabilium Episcoporum libenter admisisse, quæ congregare Episcopos Donatistas ad cætum celeberrimæ civitatis desiderabat*; Docet hoc etiã August. multis locis præsertim in breviculo opere collationis. Et postea accessit consensus Donatistarum, ita ut utraque pars se sponte judicio Imperatoris subjecerit. Collatio etiam hæc ita instituta fuit jussu Principis, ut ne quid de veritate fidei Catholicæ imminuatur aut mutetur. Sic enim Imperator in suo eodem rescripto pag. 5. *Quamvis una sit omnium & manifesta sententia Catholica legis plenam veritatem recto hominum cultu, & cælesti sententia comprobatam, studio tamen pacis, & gratia venerabilium virorum Episcoporum legationem libenter admisimus, etc. ut electis etiam sacerdotibus quos utraque pars deligeret habitis disputationibus superstitionem manifesta ratio confutet. Imò hoc unicè ibi paulò post cautum voluit, ut Marcellinus ille, quem cognitorem & Iudicem constituerat, hoc ante omnia servaret, ut ea quæ circa Catholicam legem vel olim ordinavit antiquitas, vel parentum nostrorum religiosa auctoritas constituit, vel nostra serenitas roboravit, novella subreptione submota, integra, & inviolata custodiat.*

Sed quid hoc ad propositam quæstionem, in qua non de collationibus, quæ cum hæreticis instituuntur, sed de conciliis Ecclesiasticis agitur, Collationes tales crebrò fuisse ista & superiori ætate habitas Historiæ tradunt. Photinus & Basilius Ancyræ Episcopi disputarunt publicè sub Iudicibus ab Imperatore constitutis, Sozomen. lib. 4. cap. 8. pag. 164. Athanasius, & Arrius jussu Constantini sedente Probo Iudice etiam inter se conflixerunt, vide Athanasium pag. 60.

Similem disputationem publicam inter Iudæos & Sylvestrũ Episcopum Romanum à Constantino institutam fuisse refert Zonaras tom. 3. Annalium p. 5. Non diffitemur sanè tales collationes cum Pontificiis in Helvetia, Anglia & alibi, Item cum Anabaptistis in Palatinatu, Embdæ, & Leowardiæ apud nos à nostris postulatas, & viriliter habitas fuisse, in quibus etiã summi Magistratus secundum Ecclesiam judicarunt. Sed quæritur, an sacræ literæ & Canones Ecclesiæ, legesque Imperatorum patiãtur, ut lites in Ecclesia de causis fidei ortæ ab Imperatore solo sine Concilio Ecclesiæ ordinarie debeant judicari? Neque quod Bellarminus in causa hac Donatistarum respondet, omninò rejiciendum est. Nam dicit Augustinum, cum Pelagiani vellent opera Imperatoris cogere Catholicos ad Collationem eo modo, quo Catholici coëgerant Donatistas, respondisse Catholicos, eam collationem *modo extraordinario* cum Donatistis *necessario* habuisse, eo quod illi totam Africam infestarent, nec possent aliter reprimi, vel ad Concilium cogi, nisi per temporales potestates, Rectè, inquit, D. Iunius. *Sequitur enim ex hac responsione Iesuitæ, Magistratum IUDICIO communi judicare de iis, qui nolunt acquiescere iudicio Ecclesiæ singulari.*

Neque enim eadem nobis cum nostris adversariis, quæ Bellarmino cum nobis utrisq; lis aut causa est. Nam Bellarminus probare conatur in Conciliis præsidere & judicare non esse Imperatorum aut Regum. Vtrique hoc negamus & impugnamus. Sed inter nos quæritur, An ordo & praxis Ecclesiæ hoc exigat, ut sine Concilio in causis fidei Imperator solus judicet? Fatemur hoc subinde, sed rarissimè accidisse & accidere posse; Quod & ipse D. Grotius concedere videtur, cum dicit pag. 34. Illustr. Ordines potuisse modum imponere Ecclesiasticis contentionibus,

quum

quum Synodus *haberi nondum* possit. Vult dicere, extra ordinem aliquid agêdum esse, quum ordinariâ viâ necdum potuit incedi. Et alias istam suam sententiam ita restrinxit, ut dixerit *Christianos Principes absque Synodis in re fidei statuisse.* Sed *hactenus, ut dissensionibus exulceratos partium animos sanarent.* Sed hoc ordinario jure & singulari Regibus competere diffitemur. Sic enim ibid. August. de Pelagianis scribit; *Frustra eos collationem cum Catholicis ab Imperatore postulare, ideo quod illorum causâ apud competens iudicium communium Episcoporum modo finita esset.* Neque amplius cum ipsis agendum dicit quantum *ad ius examinis pertinet, nisi ut prolatam hac de re sententiam cum pace sequantur.* Nihil enim certius est, quam hoc jus conveniendi, examinandi, iudicandi & definiendi causas fidei conciliis Episcoporum antiquitus concessum & cum fructu in Ecclesiâ servatum fuisse. Canones Synodorũ & leges Imperatorũ ea de re recitavit D. Sibrandus in hac Resp. ad Pietat. pag. 121. 122. Quæ si vide & expende: Quod etiam, ne abeam ad alia exempla, abundè constat ex hoc eodem exẽplo quod sub manibus est. Nam historiæ testantur initiò Donatistas iusta authoritate conciliorum fuisse damnatos & suppressos. Ipse August. dicto loco scribit antè centum annos (sub Constantino scilicet) à maioribus suis eos fuisse convictos.

Quod ad exemplum Theodosii attinet, illud quidem contra Pontificios rectè allegatur & defenditur, sed non contra nos, Iam antè dictum est, nos tribuere Imperatoribus judicandi de causis fidei potestatem, quod negant Pontificii, Deinde & hoc conceditur, necessitatem posse tantam evenire, ut Concilium adhiberi commodè non possit, aut necesum sit. Ita scilicet tunc cum Theodosius hoc ageret, res & ratio ferebant. Nam Socrates & Sozomenus dictis locis narrant Imperatorem convocasse Cõstãtinopolin omnis generis hæresiarchas. & voluisse ut disputationibus rem transigerent. Quod cum eo tempore non utile judicaret Nectarius Constantinopolitanus Episcopus, ex consilio eiusdem Episcopi Imperator cum illis hæreticis ex scriptis & testimoniis veterum Patrum, qui ante exortas istas hæreses vixerant, agere instituit. Sed cum jam istum agendi modum rejicerent quoque hæretici, tandem ad hoc consilium devenit, ut singulis hæreticorum Episcopis mandaret, suam quisque con-

fessionem fidei, scripto sibi proponerent. Quod cum tandem factum est, rejectis omnibus, probavit per solam Nectarij confessionem de triade homousio, &c. Et hinc sanè multum boni in Ecclesiis secutum est, uti apud eosdem Historicos legere est. Hinc igitur manifestum est, non ibi agi de Synodo *Episcoporũ* Orthodoxorũ, sed hæreticorum omnium, Arrianorum, *Eunomianorum*, Macedoniorum. Aderant enim tunc tantum duo orthodoxi *Episcopi* istius loci, quorum unus erat Nectarius, alter Agelius Novatianæ *Ecclesiæ*, qui etiam cum Homousio sentiebat: unde etiam sequitur non hoc Concilium convocasse Imperatorem propter orthodoxos, sed hæreticos, ut nimirum (teste Zozomeno lib. 7. Cap. 12. pag. 676) & ipsi cederent sua sententia, vel rationem redderent, de illis quorum inter se gratia discrepabant. Futurum enim arbitrabatur, ut cuncti consentirent, si communem illi disputationem de controversiis dogmatum proponeret.

Imperator autem ita homousianæ fidei adhærebat, ut à nullo, quam ab Orthodoxo baptizari vellet, ut est apud Socrat. lib. 5. cap. 6. p. 366. Comparari igitur istud Imperatoris factum rectè potuit cum simili istorum Magistratuum facto, quo convocarũt omnis generis Anabaptistas, in eum finem, de quo jam ex Zozomeno dictum est.

Quis nostrum ista consilia & facta reprobat? Imò quis non ex nobis omnibus ista collaudat & deprædicat? Quod si igitur hoc casu Magistratus secretò, aut palam opem divinam imploraret, non ad veritatem traditam agnoscendam, sed eam multis dissentionum anfractibus implicatam eliciendam, sicuti ex Mortono citavit & Majusculis expressit Anonymus, quis inde eos reprehendet, aut de veritate fidei dubitare dicet? Cæterοquin quid ille Imperator de ordine, jure & authoritate legitimarum Synodorum *Ecclesiæ* senserit, apparet ex cap 8. ejusdem libri p. 376: Nam ibi narrat Socrates ipsum *nihil cunctatum Synodum suæ fidei Episcoporum centum quinquaginta ad hoc convocasse, ut Nicænam fidem confirmantes Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcoporum ordinarent.*

Nimis sanè malignè hic committit D. Sibrandum cum Sibrando, quasi iam alius sit, quando ipsi cum Grotio, quam olim,

quando ipsi

quando ipsi cum Bellarmino res fuit. Nam quæ ibi respondet Bellarmino D. Sibrandus, huc non quadrant. Quærebatur enim ibi, an Imperator in causis fidei judicare possit? Quod verè ex isto exemplo Theodosii contra Bellarminum defendit. Quod ad Mortonum Anglum, ille adduxit exemplum hoc, ut doceret nō solum Episcopos, sed & Laïcos ex scripturis de hæresibus judicare debere. Exceptiones Bellarmini sanè frivolæ & violentæ sunt, quas rectè D. Sibrandus & reliqui nostri Theologi ita elisserunt, & confutarunt, ut tamen nostræ causæ nihil incommodi afferant.

In summa, dico cum D. Iunio ad istum locum, Imperatorem Theodo um isto modo se feciſſe judicem *hominum* in causa fidei non judicem fidei, id est, doctrinæ fidei simpliciter. Deinde & hoc cum eodem Iunio affirmo, *Aliam esse rationem judicij in rebus fidei, ubi legitimè conspirant Episcopi: aliam ubi scismate disrupta & dilaceratæ sunt Ecclesiæ. Illud non est Imperatorum: hoc verò si non fecerint, ut ordine malis publicis prospiciant, commune Ecclesiæ perdunt, atque Rempub.* Concludo igitur hæc exempla à scopo esse aliena. Non enim disputat D. Sibrandus, an nullus unquam casus incidere possit, ut Imperator sine Concilio de causis fidei judicet, sed an hoc ex ordine & praxi Ecclesiæ Antiquæ semper debeat fieri? singularia n, exempla non evertunt regulam communem.

IN NVMERVM Quadrasimum Nonum redegit hæc verba ejusdem paginæ.

NAm si solus Princeps etiam sine Synodo de rebus fidei judicare potest, sequitur omnibus subditis unius hominis judicio in rebus fidei standum esse.

Quid si Princeps iste sit Arrianus? Atqui more suo nimis insolenter dicit Anonymus falsum hoc esse. Cur ita? *Nam non magis hoc sequi dicit, quam, Synodi judicio standum, si Arriana sit, quod evenire potest, ut et olim evenit.* Sed quomodo hoc consequens falsum esse dicere aulit, non video. Exempla, ratio, & experientia omnium seculorum hoc convincunt. Ipse D. Grotius

pagina

pagina quinquagesima. hoc contendit. *Nam nullam aliam fidem propugnare, fovere, amare Reges debere scribit, quam eam cujus ipsi πληροφορίαν habeant.* Et mox: *De fide Ecclesiæ, qua publica est, nemo jus statuendi habet præter eum, cujus omnia publica sunt in manu ac potestate.*

Annon igitur hinc sequitur, si Princeps aliquis πληροφορίαν fidei Arrianæ se habere jactitet, fidem istam Arrianam statim publicè invehendam, propugnandam & fovendam esse? Nam de fide Ecclesiæ, qua publica est, Principis esse dicit ex solo suo nutu & placito statuere, Sed idem periculum in Synodis, si Arrianæ fuerint, metuendum esse aiunt. Hoc nego, Nam quæritur hic à D. Sibrando non de conventiculis hæreticorum, sed legitimis Ecclesiæ Synodis, Deinde neque & ipsæ sibi vendicant publicum hoc cum iubendi, & cogendi authoritate iudicium, quod pijs Regibus convenire cum D. Grotio etiam asserimus.

Sed regerere possunt, se etiam de pijs & orthodoxis Principibus loqui, quemadmodum & nos de legitimis Ecclesiæ Synodis. Verum & hoc scire debent, in præcipitium errorum seduci & prolabi unum hominem proniùs esse, quàm tam multos Ecclesiæ homines. Sed quid si detur etiam Synodos Ecclesiæ Ἀρριανίζειν posse, quid tandem erit? Quò confugient plebes? Nihil certum utique & stabile tandem erit, nisi in veritate fidei. Non in fide, quâ publica, vel à Principe solo invectâ est, vel à Synodo approbata, sed in veritate fidei, quæ ex literis sacris hausta purioris antiquitatis consensu munita, & in legitimis Ecclesiæ Synodis confirmata erit.

Habeant igitur Principes suum jus publicè de Religione statuendi, si neque Ecclesiæ fraudentur suo iure controversias fidei examini subjiciendi, ac de ijs leges ferendi, quod κανονίζειν veteres dicebant. Nam si in totum abrogatis & pessundatis omnibus Ecclesiæ conventibus, in unum & solum Principem cuncta resignantur, quid supererit Ecclesiæ? Nullus enim Synodorum erit usus, si ex Principis solo nutu omnes res Ecclesiæ pendeant. Sed neque istud jus Ecclesijs videtur velle eripere D. Grotius. Nam eadé pagina rotúde *affirmat*, de sua religione iudicem esse quemque, Et de Ecclesiæ fide ipsam Ecclesiam statuere debere,

ere debere. Accipimus quod concedit. Sed quid si fides Ecclesiæ à fide Principis discrepet? Vtrum hic sequendum dicent? Quid hic faciendum?

D. Sibrandus distinctè respondet, *Regem alligatum esse verbo Dei, & ob eam causam nihil nisi, quod in Dei verbo mandatum est, in rebus fidei facere debere. Addo illum non debere noves fidei articulos condere, sed antiquos receptosque fidei articulos syncerè constanterq; retinere, neque permittere ut in illis aliqua mutatio fiat, & ut uno verbo dicam, non debet dominari articulis fidei, sed debet illis quemadmodum cæteri Christiani subesse. Iacobi Magnæ Britanniæ Regis de hac re præclara sententia. Equidem nec adhuc feci, neque postea facturus sum, ut novum quempiam fidei articulum condere, aut de aliquo fidei articulo Iudicem me præsumam: sed exemplarem obedientiam præstabo, & omnibus fidei articulis me submittam non minore cum humilitate & modestia, quam quivis subditorum vel infimus,* Apolog. pro juramento fidelitatis fol. 73. *Regia sanè & tanto Principe digna sententia, quam utinam omnes Christiani Principes & Magistratus sequantur?*

Ex PAGINA Centesima Vigesima Septima DESVMPSIT Numerum quinquagesimum.

NVsquam (inquit D. Sibrandus,) *sacrum Dei verbum docet Magistratum sine Concilio de articulis fidei judicare debere. Sed urges me mei libri, quem de Concilijs scripsi, authoritate, producisque exemplum Donati de Casis nigris a me istic allegatum. Quod admirationem adfert. Nam si hæc Historia tibi probè cognita fuisset, unquam hoc exemplum contra me jus Ecclesiæ defendentem allegasses.*

Anonymus notat fallum esse, quod hoc argumentum adferatur ad quæstionem, An Magistratus possit judicare absque Synodo? & jubet inspici Pietat. p. 30. ubi hæc quæstio tractatur. Deinde ablegat nos ad p. 52. ubi de judicio post Synodum agitur, atque ibi demum mentionem fieri dicit Constantini in causa Donati: Ideoque concludit hic notabilem perversionem

committi à D. Sibrando. Atque hic verum esse apparet, quod Apostolus dicit charitatem præsentem πάντα στέγειν καὶ κρύπτειν πλῆθος ἁμαρτιῶν, unde vice versa sequitur eadé absente, omnia etiam minima κρυφία conspici, detegi, & quoque verti in maximas δοκούς. Nam si rem ad unguem resecamus, fateor isto loco, ubi hæc quæstio agitatur de judicio Magistratus sine Synodo, nõ adferri exemplum Constãtini in causa Donati, sed postea demũ, ubi de judicio post Synodum disputatur. Verum si rem generatim cõsideramus, eodem ferè omnia recident, Vt autem hæc examussim cognoscantur, res ita habet. D. Grotius tria hac in causa pro diversa ratione temporum expendit. Vnum est, Imperatores judicasse de causis fidei antè Synodum & sine Synodo. Alterum est, judicasse in Synodis pag. 49. Tertium de Synodis, & post Synodos, vide pag. 48. De hoc tertio attulit exemplum Constantini in causa Donati pag. 52.

Ex quibus omnibus docere conatur Imperatoris in omnibus fidei causis constituendis aut cõdendis potissimas fuisse partes, aut potius Imperatorem fuisse τὰ πάντα ἐν πᾶσι sine concilio, ante concilium, in concilio, post Concilium, hoc est, non ita ipsum fuisse isti ordini conciliorum divinitus instituto alligatũ, ut non solum absque Synodo moderari possit res Ecclesiæ, sed etiam in Synodo, & post Synodum sua tola αὐτοκρατορικῇ potestate de omnibus causis fidei solus iudicare & statuere debeat, ut autem hoc probet, inter cætera produxit hoc modò citatum exemplum Constantini, qui in causa Donati contra Cæcilianũ in tribus Synodis prius agitata, tandem ipse suam interposuit sententiam.

Quæ igitur hæc notabilis perversio? Quæ hîc falsitas? D. Sibrandus hîc in genere loquitur de judicio Magistratus sine Cõcilio: Atqui hoc Constantini judicium fuit sine concilio, hoc est, uti D. Grotius interpretari videtur, fuit αὐτοκρατορικὸν & solius Imperatoris, utpotè qui solus nullis adhibitis Episcopis istam causam cognoverit, & judicaverit.

Verum quod ad rem ipsam attinet, rectè notavit D. Sibrãdus, *se admirari, cur hoc exemplum pro se allegaverit Grotius. Nam vos istum procedendi modum, quem Imperator Constantinus in ista causa Donati usurpavit, non improbamus,* Omnes enim Ecclesiæ Belgicæ

supremo

supremo Magistratui hoc jus & potestatem unanimi consensu libenter deferunt. Deinde & hoc notandum est, quod ista appellatio à Concilio ad Tribunal. Imperatoris fuerit res pessimi exempli, & Imperatori ita displicuerit, ut ipse meritissimè exclamarit de Donatistarum hoc facto: *ô rabida furoris audacia!* Sicut in causis gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt. Vide apud Goldastum pag. 692. verè Augustinus Epist. 162. de hac re sic conqueritur: *Vtinam saltem Imperatoris judicio insanissimis animositatibus suis finem Donatistæ imposuissent, atque ut eis ipse cessit, ut de ea causa post Episcopos judicaret, à sanctis antistitibus post ea VENIAM PETITURUS, dum tamen illi quod ulterius dicerent, non haberent, si eius sententiæ non obtemperarent, ad quem ipsi provocaverant, sic & illi aliquando cederent veritati.*

Quid tamen ille Gallus de hoc Imperatoris judicio post tot Synodos sentiat, vide apud eundem Goldastum pag. 693, *Quod igitur, inquit, de causa ab Episcopis judicata Princeps cognovit, οἰκονομικῶς & dispensatione factum, ut veteres Theologi loquuntur, neque à malignè interpretandum, ut illi faciunt, qui Imperatorem eo nomine graviter accusant: neque rursus ad exemplum temerè trahendum, ut ex Galasio superiore capite dicebamus.*

Et hinc forsan ortum, quod appellationes à plenariis Synodis ad Imperatores lege Ecclesiastica fuerint prohibitæ. De quo vide Socratem lib. 2, cap. 46, pag. 34. Sed ut ne & hic aliquid temerè statuam, lege de hac quæstione, An & quatenus liceat ad Principes appellare, eundem Gallum de libertate Ecclesiastica, ibidem. pag. 716.

Neque hoc quoque dissimulandum est, Imperatorem non aliter, quam Synodus, neque contra Synodum judicasse, sed suo calculo trium antecedentium Synodorum sententiam approbasse: Atque adeò inter omnia ista exempla quæ à D. Grotio allegantur, nullum quod sciam, reperitur, quo docetur Imperatores aut Reges constitutiones & definitiones Synodorum de dogmatis fidei rescidisse, aut ipsos contra receptam Ecclesiæ Orthodoxæ doctrinam promulgasse sua edicta. Felicem sanè Ecclesiam, quæ suffragiis, authoritate, & consensu Regum suorum contra novos aut renovatos errores sic munitur & defenditur, sive hoc faciant cum Synodo, sive post Synodum.

Cæteroqui si omnia sine Concilijs in Ecclesia ex solo Principum nutu decidi debent, iterum ingeminamus cum eruditissimo Casaubono, in Epistola Antibaronio suo præfixa, *Quo hodie Concilia, nisi ad inanem speciem?* Rectè etiam ille ibidem testatur, *Scripturas docuisse, & priscos Patres agnovisse in Synodis legitimis esse situm SOLVM REMEDIVM ad componendas controversias & hæreses auctoritate Ecclesiæ debellandas.* Quod tamen expressè negat D. Grotius, pagina trigesima, trigesima prima, trigesima secunda. Videat igitur Anonymus, quomodo hîc suum Grotium cum Casaubono conciliet.

Sequuntur Numeri quinquagesimus primus, quinquagesimus secundus, quinquagesimus tertius. Quos hic simul pono.

AGitur enim istis tribus numeris de rebus adiaphoris.

In Numero quinquagesimo primo hæc conjecta sunt ex pagina Centesima vigesima Octava.

QVod quæris an habeat supremus Magistratus jus & potestatem judicandi de rebus adiaphoris, &c. est ridiculum. Sed Anonymus scribit nusquam hanc quæstionem à Grotio ita proponi. Concedo quidem ijsdem verbis non proponi, sed tamen ex eiusdem mente & sensu. Nam pagina trigesima octava palam fatetur Controversias de Prædestinatione cum appendicibus non esse necessarias ad salutem. Sic enim ait: *Ordines Hollandiæ judicium suum inter necessarium & non necessarium interposuerunt.* Et mox: *Huc adde, quod τὰ ἀμφισβήτουμενα per se non esse salutifera, aut mortifera partes ambæ dicebant.* Et pagina quadragesima vocat dissensionem in re non admodum gravi,

Quod autem non est necessariæ fidei, & salutis, est ἀδιάφορον.

Generaliter

Generaliter enim ista vox τῶν ἀδιαφόρων hic accipitur à D. Sibrando, pro eo nimirum, quod credi aut non credi, aut in alterutram partem sumi sine dispendio salutis liceat. Quod palam fit ex istis verbis, quæ ibi in textu sequuntur, & astutè sunt omissa ab Anonymo. Nam exposuit ibi res adiaphoras, indifferentes, & quæ non sunt magni momenti.

Numerus Quinquagesimus secundus ita habet ex eadem pagina.

Scire debes nobis non esse cum Conrado controversiam de rebus adiaphoris. Anonymus negat id dixisse Grotium, atque ita sentire. Verum D. Sibrandus hic non scribit hoc D. Grotium dixisse, aut ipsum ita sentire, sed tantum ipsum hoc quærere: Et videtur cum hoc scriberet, oculos suos defixos habuisse in pag. 38. Pietat. Nam ibi ita ait D. Grotius. *Nihil ergo ab officio suo alienum, nihil Apostolicis decretis contrarium fecerunt Hollandiæ Ordines, quum de Ecclesiasticis controversiis in conventu suo præsentibus Theologis cognoverunt. Atque eò minus reprehendendi sunt, quod non inter verum & falsum, &c. At de necessitate dogmatum cum Theologi nostri iudicium privato cuique permittant, etc, Huc adde quod* τὰ ἀμφισβητούμενα *non esse per se aut salutifera &c. Sed* hæc de Controversijs, quæ cum Remonstrantibus Ecclesijs nostris intercedunt. Quod ad lites Vorstianas, quid de ijs sentiat & dixerit, apparet pag. 9 & 15. Nam innuere videtur sibi non displicere varias tergiversationes, exceptiones, æquivocationes inficiationes, & vafras variasque istas opinionum incurstationes. Hoc saltem certum est, ipsum D. Grotium succinere, aut laboranti Vorstio humeros suos supponere, quantum citra offensionem Regis M. Britanniæ liceat. Crimina quidem, aut hæreses, quæ Vorstio à toto mundo intentantur non audet elevare, sed an ista reliqua quæ ex sensu Vorstij cum Ecclesijs controvertuntur, tam exigui momenti censeat esse, ut rectè dici debeant, adiaphora, ipsus viderit.

Numerus quinquagesimus tertius expressus est ex pagina Centesima trigesimo octava.

Si hæc ita ut par est expendes, videbis ipse extra propositum adferri, quidquid abs te de rebus adiaphoris & indifferentibus hic dicitur. Anonymus tantum notavit & scripsit, Non agere de adiaphoris Grotium. Sed jam dictum est, D. Grotium aut agere de controversijs Remonstrantium, aut Vorstianis, aut de utrisque. Si de Remonstrantium controversijs, jam probatum est, illas judicio ipsius esse indifferentes & parvi momenti. Si de Vorstianis, jam dixi hæreses & quidem ipsi impactas detestari Grotium, sed quæ ab ipso in confesso ponuntur extenuare. Sed jam supra sæpius inculcatum fuit, D. Sibrando nihil hactenus negotii fuisse cum Remonstrantibus, sed tantum cum Vorstio: Neque sanè ille ita Vorstij scripta intelligit, atque Grotius. Nam cum alibi, tum in hac sua Respon. ad Pietat. ex Vorstii scriptis solidè demonstravit doctrinam de Trinitate, de Deo, Persona & officio Christi, de ejusdem Satisfactione, de Iustificatione nostri, de Fide justificante à Vorstio convelli. Iudicet jam ipse, an controversiæ istæ leves, & minus necessariæ ad salutem sint? Sed jam ipsus judicavit ad harum etiam hæresium mentionem pios omnes exhorrescere, & nullum esse in toto Hollandiæ conventu, qui non istis omnibus hæresibus dicturus sit Anathema, vide pag. 9. & 3, Sed lege quæ ibid p. 138, 139. de doctrina τῶν ἀδιαφόρων scripserit D. Sibrandus.

Numerus quinquagesimus quartus ex pagina Centesima Quadragesima Prima ita habet

Imperatores Ecclesiis reliquerunt illud jus, ut eligerent et mitterent ad Synodos, quos vel omnium vel plurium consensu in suis Ecclesijs maxime Idoneos judicabunt. Sed Anonymus dicit hoc falsum esse, ita ut ponitur absque ulla exceptione. Non quidem audet hanc sententiam

tentiam in universum falsitatis arguere. Sed tamen, quia istud sine ulla exceptione sic generatim poni dicit, eatenus falsitatem notat. Velim hic distinctius ab ipso expositum fuisse, quam exceptionem ibi adhibendam putaverit, Sed ex exemplis contrariis, quæ à nobis considerari vult, forsan clarius liquebit ipsius sensus.

Exempla autem ista contraria dicit extare in Pietate pag. 70. 71. 72. Primum est, quo narrat Theodosium & Valentinianum, quum Ephesinam Synodum convocarent, scripsisse Cyrillo Alexandriæ Episcopo, ut Ephesum veniret ad Concilium.

Deinde ut sibi comites adsciscerent paucos alios Episcopos suæ præfecturæ, quos ipse eligeret. Et in eundem modum ipsos Imperatores scripsisse aliis omnibus Metrapolitanis Episcopis. Addit D. Grotius: *vides disertè electionem committi Cyrillo*, Hinc paret illud de exceptione aut limitatione, quam adhibendam Anonymus voluit. Iam paulò antè dixerat Grotius *principes Christianos hoc jure usos, ut ad Synodum venturos aut per se aut per alios eligerent: Per alios nimirum, per Metrapolitas à se constitutos, quia vix poterant ipsi Principes nosse, quis in quaque regione tam latè patentis Imperij esset maximè ad eam rem idoneus.* Multa hic simul dicuntur, quæ explicatione & probatione egent. I. Metrapolitas ab Imperatoribus constitutos. II, Imperatores ad Synodum venturos per se elegisse. III. Aut etiam subinde per Metrapolitas elegisse; Summa est solius Imperatoris ius ordinarium esse, & non Ecclesiæ, ut ab ipso eligantur & mittantur, qui ad Synodum venturi essent.

Quod igitur D. Sibrandus scripsit Imperatores reliquisse Ecclesiis illud jus, ut elegent & mitterent ad *Synodos*, hactenus falsum esse pronuntiat, quod dicat ab Imperatoribus cõcessum aut potius relictum Ecclesiis istud ius eligendi & mittendi ad *Synodos*, hoc est, Quod dicat Ecclesias debere iure suo eligere & mittere ad *Synodos* *quos idoneos* indicaverint? Nam alioqui in cæteris convenit inter nos. I. Solius Imperatoris esse convocare *Synodos*. II. Eiusdem esse præfigere locum, & tempus conveniendi. III, *Episcopos* Apostolicarum sedium, aut Archiepiscopos ita dictos, prout tum res *Ecclesiæ* ferebant, evocatos fuisse ab Imperatoribus. 4° Ecclesias etiam *posse* eligere,

qui

qui erant mittendi. Sed in hoc dissentimus, quod isti dicant Ecclesias hoc ultimum nullo suo jure, sed tantum ex peculiari mandato, privilegio & auctoritate Principum facere posse: Sed nos proprio & ordinario suo jure facere id posse contendimus. Non negamus tamen Imperatores subinde, prout res & necessitas postulabant, nominatim quosdam evocasse; atque hoc etiam juris Imperatoris esse libenter concedimus.

Deinde & hoc usu aliquando venit, ut Imperatores evocarint istos Episcopos, quos alii Episcopi ipsis præscripserat προσκαλοῦ aut nominaverant. Sic enim apud Theodoretum lib. 1. cap. 28. Constantinum ad Synodum tertiam scribit vocasse quos illi voluerint. Expendamus igitur istud modo contra nos allegatum exemplum Theodosii & Valentiniani. Non sanè inde quod intendit D. Grotius solidè probatur, sed si accuratè res tota consideretur, contraria sententia confirmabitur. Nam quod Metropolitanis isti Imperatores scribant, & non suis Præfectis, Procōsulibus, aut iis qui Magistratu loco suo in istis Provintiis fungebantur, docere & testari voluerunt, ius electionis & missionis pertinere ad Ecclesias istarum ἐπαρχιῶν, quas ipsi Metrapolitani cum suis Episcopis representabant.

Quod si n. illud jus esset mere civile, cur non isti præfecti hoc administrabant & agebant? Erant enim & inter ipsos tunc sine dubio Christiani, ideoque etiam ijs erat cognitum, qui ad Synodum cum laude mitti possent. Tam commodè igitur & ritè ipsi Imperatores per suos Præfectos aut Procuratores eligere Episcopos & ad Synodum mittere poterant, quam per Metropolitanos Episcopos. Sequitur ergo vel ex hoc exemplo, ab Imperatoribus, si non scivissent istud esse juris Ecclesiastici, non admonitos fuisse Ecclesiarum antistites, ut eligerent & mitterent, quos judicarent idoneos esse, & quot etiam Synodo sufficere putarent, manentibus reliquis domi, qui docendis & pascendis Ecclesijs singulorum τεταγμένων ἐπαρχιῶν incumberent.

Quod ad secundum exemplum Nicænæ Synodi, dicit D. Grotius, se non dubitare, quin eadem ratione eligentibus Metropolitis ad eam venerint Episcopi. Sed ex veteri historia nihil firmandæ suæ sententiæ attulit. Tantum suam opinionem aut persuasionem in testem vocavit. Nam scribit se non dubitare,

tare, quin hoc ita sit gestum; Neque omnino refragari volo. Attamen Dominus Sibrandus in Præfatione Declarationis & alibi docet ab Ecclesijs fuisse electos, qui ad Nicænam Synodum missi sunt. Nam Eusebius libro tertio de Vita Constantini, capite septimo narrat Pontum, Galatiam, Pamphyliam, Cappadociam, Asiam & Phrygiam viros apud se lectissimos suppeditasse.

Grotius regerit hoc testimoniũ esse invalidum. Cur ita? Quia Provintiæ dicũtur eos præbere, qui quoquo modo ex Provintijs veniunt. Putat igitur eos omnes, qui ex istis supradictis provinciis venerunt, per Metropolitanos ab Imperatore Constantino fuisse lectos & excitos. Non ego quidem negaverim fuisse à Metropolitanis, quorum tunc in Ecclesijs authoritas & potestas magna erat electos, sed non sine consensu aliorum Episcoporum, qui eam in rem convocari debuerunt, ut mox audiemus. Dominus Bilsonus ipse pagina 470. ita hac de re scripsit. *Unaquaque natio non omnes Episcopos suos (ita enim multo plures quam 318. ibi tunc fuissent.) sed τὰς παρ' αὐτοῖς ἐκκρίτους mittebat.* Omnem scrupulum nobis eximit idem Eusebius qui libro 4. de vita Constantini pag. 210. narrat ad Synodum Hierosolymitanam, quæ decem post Nicænam annos fuit sub Constantini habita, Macedones suæ Metropolis Episcopum, Pannonesque & Mysos qui apud ipsos florebant veluti flores ad conveneum Dei devocandum *misisse*. Quod autem ipse Metropolitanus cum suis Episcopis facit, quis negat Ecclesias ipsas facere? Et cur non potius Ecclesias ipsas, quam Imperatorem hoc fecisse per Metropolitanos & alios suos Episcopos censebimus? Synodi enim Oecumenicæ, in quibus Episcopi isti erant, repræsentant utique Ecclesiam totam: Iudicium etiam eorum omnium in eiusmodi Synodis pro iudicio totius Ecclesiæ latum & ratum habetur.

Quum Constantinus Imperator de iis, quæ in concilio Nicæno erant definita, ad Episcopos scriberet, dicit, se *Ecclesijs* scribere. Sic enim habet inscriptio: Constantinus Augustus Ecclesiis salutem. Theodoretus inseruit Epistolam hanc ἐγκύκλιον suæ historiæ libro 1. cap. 10. p. 211. Episcopi etiam Concilii

Constantinopolitani scribunt Theodosio Imperatori, eique agunt gratias, *quod Ecclesiam* literis, quibus convocarat Episcopos honoraverit. Atqui non ad Ecclesias dixerit suas literas Imperator, sed ad Episcopos Ecclesiarum. Verum igitur est, Episcopos hoc modo repræsentasse Ecclesias suas.

Nimis igitur dilutum est, quod dicit ex Zozomeno libro 1. cap. 17. pag. 556. Constantinum *non Ecclesiis* scripsisse, sed τοῖς προεστῶσιν εἰς τὴν ῥηθὴν ἡμέραν παρεῖναι. Nam fieri non potest, ut Ecclesiæ omnes adsint, sed sufficit ut nomine Ecclesiarum οἱ προεστῶτες adsint, aut illorum legati qui ἀποκρισιάριοι etiam vocabãtur. Euseb. dicto loco refert ex Hispaniis solum Hosium Episcopũ fuisse *missum*, reliquis considentibus, aut domi manentibus: Et Romanum Episcopum misisse suos presbyteros. Rectè igitur Euseb. pag. 189. *Omnium Ecclesiarum, inquit, per cunctam Europã, Asiam & Lybiam, ministrorumque Dei capita in unum Nicæa cogebantur, ac proinde omnes Ecclesias universi orbis ibi convenisse rectè dicimus.*

Quod ad Constantinopolitanam primam, nihil aliud D. Grotius dicit, quam *verisimile* esse eundem ordinem à Theodosio Seniori fuisse observatum, quem in Ephesina Theodosius junior observaverat. At quod veri simile est, illud non est omninò verum aut solidum. Demus tamen ipsi hoc, sed ita ut dixi, intelligi debet, & sic non lædit causam nostram.

Perinde enim est ac si Illustres Ordines Hollandiæ mandarẽt singulis classibus, aut earum deputatis, ut eligerent aut mitterẽt viros probatæ doctrinæ & vitæ ad Synodum. Quis enim inde colliget Ordines per classes & non potius Ecclesias per suos ministros eligere idoneos? Clarè enim distingui debet mandatũ eligendi ab ipso actu electionis.

Nam quod ipsis ministris mandatur, hoc est iuris Principum, sed quod ipsi eligunt, est juris Ecclesiastici, Quod autem addat Theodosium Imperatorem ad eandem Synodum etiam vocasse τοὺς προεστῶτας sectæ Macedonianorum, nullius est pretij. Nam & Constantinus (teste Sozomeno cap. 2. lib. 1. vocavit quoque ac Nicænum Concilium Acesium Novatianorum Episcopum, ut ita cunctorum Christianorum concordiæ prospiceret, eique jussit fidei Nicææ subscribere. Erat enim tunc Constantinopoli unus istius

unus istius sectæ Episcopus; Hoc sanè modo debuerunt talium sectarum Episcopi ad conventus Catholicorum vocari ab Imperatore, sed hoc non præiudicat iuri, & libertati Ecclesiarum Catholicarum. D. Sibrandus contrarium probavit inde, quod quum Episcopi Orientales, qui Constantinopoli congregati erant, vocarentur Romam literis Theodosii à Damaso, & Synodo Romana, responderint se ab Episcopis, qui in suis Provintiis residerant, tantum petiisse *consensum*, ut Constantinopolin proficiscerentur. Et addũt se præ temporis angustia non posse cæteros Episcopos, qui in Provintiis agunt, certiores facere, & eorum *assensionem* obtinere. Extat Epistola hæc apud Theodoretum lib. 5. cap. 9.

Sed D. Grotius respondet hoc Sibrandi sententiam non probare, ideò quod de electione ibi ne verbum quidem extat. Verũ nobis sufficit ibi de consensu, aut assensione reliquorum Episcoporum mentionem fieri. Quomodo autem ii consentire, aut assentiri dici possunt, si nihil juris in hac missione ipsis esset? Nisi forsan dicant ad speciale mandatum Imperatoris accedere debuisse consensum Episcoporum reliquorum qui in Provintijs residerant, adeo ut qui ab Imperatore literis singularibus nominatim exciti erant, non nisi à suis Coëpiscopis impetrata facultate proficisci potuerint? Sed ita videretur auctoritas Imperatoris vilescere, & collateralitas ista quam tantopere detestantur constitui. Notandum autem imprimis hic est, quod dicant ibi Episcopi, se consensum Episcoporum qui in Provintiis manserant, secum *attulisse*. Quomodo autẽ secum adferre cõsensum potuerunt, nisi is scripto aliquo comprehensus fuerit? *Ita consensus civium pro Episcopo* olim vocabatur libellus, in quo consensus Civium de Episcopo novo electo Regibus offerebatur. Gregorius Turonensis libro quarto capite vigesimo sexto, de Santonensi conventu, consensu inquit, Regi Hannibalo subscriptum propriis manibus per nuncupatum Presbyterum transmiserunt. Et postea: Consensum ad te direxerunt, ut alius in loco eius substituatur. libro octavo Capite vigesimo secundo. Cum consensu civium & muneribus ad Regem propetat. Hinc apud Marculfum Monachum libro primo Formularum titulus septimus legitur, *consensio civium pro Episcopatu*:

Et in fine istius formulæ ita legitur: Manu nostra consensum hunc decrevimus roborare. Sed vide ad eundem Marculfum doctissimas notas Bignonij.

Non igitur simplex consensus requirebatur, sed libellus etiam de tali cõsensu communicabatur Episcopis ad Synodum ituris, quas nos *literas Credentiæ* vocamus. Et in Capite 91. Concilij Carthaginensis sexti pag. 93. dicuntur γράμματα τοποτηρησίας, quæ subinde Actis concilii inseri solebant, sunt literæ legationis, quibus fidem faciunt se ab Ecclesiis ad Synodum legitimè missos fuisse.

In quibus literis se etiam approbaturos, quæ pro veritate fidei Orthodoxæ in Concilio legitimè statuerentur à suis Coëpiscopis profitebantur & promittebant. Iunius decus illud eximium Batavicæ Academiæ, cum viveret de conciliis contra Bellarminum pag. 141, 142. & passim dicit *ad Concilia Episcopos ablegatos paucos eosque in singulis Presbyterijs cujusque Provintiæ communibus suffragijs, recensitos fuisse ex literis authoritatis publicæ, quas solebant tunc exhibere.*

Idem pag. 154. Conditiones has requirit in Episcopis, qui ad Synodos mittentur. *Primum ut publica authoritate delegati veniant sive Ecclesiæ suæ nomine, sive ut vocant comprovintialium, sive nationalium ex ordine: secundò ut literis synodalibus, aut ἐγκυκλίοις & justo comitatu instructi ad res Ecclesiæ, Provintiæ, &c. à quibus delegati sunt testandas, communicandas inter se & probandam fidem eperamq; suam tum Synodo, ad quam veniunt, tum ijs, quorum delegatione comparent, tum Domino nostro Iesu Christo.* Apparet idipsum quod hic Iunius ex prisca Historia tradidit, etiam ex actis collationis Carthaginensis habitæ cum Donatistis sub Marcellino, de qua supra. Nam pag. 16. legimus hoc postulatum fuisse ab utriusque partis Episcopis absentibus *uti ratum se habituros, quidquid à septenis suis Coëpiscopis ibi fuisset actitatum, Epistolis designarent, quibus Epistolis testimonium etiam propriæ* subscriptionis adjungerent. Si enim hoc in ista collatione fieri necessum fuit, cur non etiam in Synodis aliis fieri debuit? Observandum quoque ibi venit, quod huc spectat: *septenos, nimirum, Episcopos istos fuisse à reliquis lectos et missos ad Collationem.* Sic enim ibidem pag. 16. *Æquissimum est, ut eorum universa collatio rata futura promittatur ab omnibus, qui eli-*

qui eliguntur ab omnibus. Athanasius quoque Epist. ad Episcopos Africæ de omnibus Synodis generatim pag. 134. ita scribit: *Omnium Episcoporum est iste sensus.* Nam pro *alterutris semper* subscribimus, si aliquos interesse (concilijs) non contigerit.

Quod D. Grotius quoque excipit Epistolam istam non esse concilij universalis ideò quod iam anno antè discesserat Constantinopoli, frivolum est. Nam etsi eo tempore, quo Concilium istud universale habebatur, non fuerit scripta Epistola hæc, scripta tamen fuit ab ijs Episcopis, qui anno sequente Constantinopolin ad conficienda aut perficienda Ecclesiæ negotia reversi erant, eaque ipsa epistola pro Synodica ab ipso Theodoreto habetur. Inscriptio etiam istius epistolæ hoc arguit, quæ ita habet p. 278. B. *Dominis honoratissimis & cumprimis reverendis fratribus ac Collegis Damaso, Ambrosio, sanctum concilium Orthodoxorum Episcoporum in ampla urbe Constantinopoli coactorum in Domino salutem.* Et in ipsis literis vocant hunc suum conventum etiam ipsi Episcopi disertè *concilium*. Quod autem ibi tunc factum, quis negare ausit in alijs Synodis factum fuisse? Ipse Grotius fateri cogitur æquum esse eos Episcopos qui in Provintijs residerant, aliorum onere non gravari invitos.

Quæ porrò attexuit de Dioscoro, Alexandrino Episcopo, ea partim contra historiam sunt, partim ἀπροσδιόνυσα. Contra fidem historiæ est, quod ad Chalcedonensem Synodum tunc excitum dicit Dioscorum cum decem suis Episcopis à Theodosio & Valentiniano. Nam Zonoras tom. 3. Annal. pag. 36. narrat Ephesum fuisse vocatũ Dioscorum & non Chalcedonẽ. Atq; ipsum quoq; alijs Episcopis ὁμογνώμοσιν addictis εἰς Ἔφεσον παραγενέσθαι καὶ κεκυρωκέναι τὰ παρὰ Εὐτυχῆ εἰσαγόμενα, adeòque coëgisse reliquos Episcopos ut sententiæ suæ subscriberent postquam Flavianum Episcopum Constantinopolitanum pugnis & colaphis contusum ex conventu isto eiecisset. Decretum aut rescriptum hoc Theodosii & Valentiniani extat etiam apud Marsilium Patavinum p. 241. Vbi etiam Ephesus nominatur. Ex quo apparet, fuisse ab Imperatoribus relictum hoc ius ipsis patriarchis, ut ipsi eligant, quos secum ad Synodos adducere velint.

Ἀπροσδιόνυσον est istud ideo quod Conventus iste non fuerit

justum Concilium generale. Constabat enim ex viginti tantum Episcopis, quorum decem Orthodoxi, reliqui Eutycheti favebant. Et quod notandum, Zonoras dicto loco retulit Eutycheten adiisse Chrysaphium Eunuchum ὁμοδοξοῦντα αὐλῷ, qui plurimum in aula apud Imperatorem poterat, & per ipsum ab ipso Imperatore impetrasse, ut iste conventus Ephesi tali modo instituteretur. Alioqui quod ad Chalcedonense hoc Oecumenicum quartum Concilium attinet, habitum fuit istud postea sub Martiano Imperatore ex petitione Leonis Papæ Romani & Anatolii novæ Romæ Patriarchæ: postulatum autem & impetratum fuit ab Imperatore duas ob causas I. ne Dioscori Alexandrini Episcopi & Eutychis dogmata ἄζητα (inexcussa) manerent, II. ne commissum in Sanctum Flavianum facinus dissimularetur. In eo Concilio (teste eodem Zonora pag. 38) non adfuerunt tantum viginti, ex utraque parte decem, ut in supra dicta Ephesina Synodo, sed sexcenti & triginta θεοφόροι Episcopi.

Atque ita responsum est ad ea, quæ D. Grotius exemplis Sibrandi opposuerat, & silentio dissimulata quiritabatur Anonymus. Miramur autem cur hac de re controversiam jam incipiat Ecclesiis movere, quum Hagæ Comitis in Conventu præparatorio hoc jus & morem istum receptum electionis Ecclesiis relinquendum esse concesserint: Quod etiam à D. Sibrando pag. 144, annotatum est. Provocat denique Anonymus ad Marsilium Patavinum, cujus locum Pietat. dicit allegatum pag. 89. & diligenter considerari monet, Sed dicta pagina, nihil quod huc pertineat, reperitur. Puto errorem Typographi esse, & designatam pag 69. in qua hæc verba Marsilii citantur: *Interesse possunt et debent Concilio, qui ad hoc statuti fuerint per legislatorem fidelem, legislatores verò ad hæc etiam obligantur eligendo personas idoneas ad concilium integrandum.* Et mox: *Ad solius humani legislatoris fidelis superiorem tantis auctoritatem pertinet, aut ejus vel eorum, cui vel quibus per iam dictum legislatorem potestas hæc commissa fuerit, Generale Concilium convocare, personas ad hoc idoneas determinare.*

Primus locus extat cap. 20 pag. 231, b. Alter locus reperitur cap. 21. pag. 237. a. At hic dolus, & notabilis perversio latet. Nam quod ad primum locum, omisit hic quæ ibi præcedunt, & mentem auctoris planè explicant. Sic enim scribit: *Pro reliquis etiam*

etiam definiendis extra legem divinam, quæ sunt ad fidelium communẽ utilitatem & pacem, interesse possunt & debent concilio, etc. Vt hæc melius intelligantur, author duorum generum facit omnia ista, quæ in conciliis generalibus disputantur & deciduntur. Aut n. ibi dubii sensus Scripturæ præsertim de quæstionibus fidei examinantur & terminantur ad conservandam fidei unitatem. Aut extra legem divinam de iis agitur, quæ ad commnnem fidelium utilitatem spectant.

Ad causas primi generis discutiendas opus esse scribit Sacerdotibus & aliis qui legis divinæ periti sunt, præsertim si sufficienter ad hoc requisiti vel mandati fuerint. Ad secundi generis causas decidendas interesse posse & debere alios laïcos, quos vocant, rerum divinarum minus peritos, & quod hic notãdum, tales, qui ad hoc per Regem constituti fuerint. Nam & cum his connectenda sunt, quæ proximè sequuntur, quum dicit, Legislatorum vel Regum fidelium esse munus, personas idoneas eligere ad Concilium *integrandum*, &c. Quid autem sit, quod concilium per tales integrandum dicit, hoc exponit mox pag. 235. eod. cap. in hunc modum.

Quod autem prædiximus generale Concilium per non Sacerdotes integrari posse, deliberandis quoque per Concilium convenienter una cum sacerdotibus suum apposituri & interposituri decretum, suadebimus primum ex Isidori prædicto codice, &c. Integrari igitur hæc concilia dicit, quæ non solum ex sacerdotibus sed etiam laicis constant, atq; hac ratione quasi plenè & integre ex omnis generis hominibus absolvuntur, conficiuntur, aut perficiuntur. Tales autem vult à Legislatore requiri & constitui, quemadmodum cap. 22. pag. 255. A. docet id genus laicos, ad concilium requirẽdos & solicitandos, si legislator fuerit infidelis.

De iisdẽ examinandis, aut determinãdis capiendus erit locus alter hic à D. Grotio citatus, ubi scribit ad solius humani legislatoris fidelis auctoritatem pertinere concilium convocare, personas ad hoc idoneas *determinare*; Aut determinationem personarum intelligit etiam approbationem istarum personarum, quæ ad Synodum veniunt. Sic enim mox dicit iurisdictiones coactivas super omnes indifferenter sacerdotes, & non sacerdotes, personarum determinationes & approbationes ad Reges

fideles

fideles, minimè verò ad sacerdotale collegium *SOLVM*, in quantum hujusmodi pertinere. Nam quid sentiat Patavinus ille Defensor pacis de tota hac causa nobis suffragantibus audiat D. Grotius, ejusque ὑπεραπιστίας. Sic enim cap. 20. pag. 231. *Huic consequenter ostendo, quod hujus determinationis (loquitur de fidei causis & controversiis) auctoritas principalis mediata vel immediata solius sit generalis concilij Christianorum, aut valentioris partis ipsorum, vel eorum quibus ab universitate fidelium Christianorum authoritas hæc concessa fuerit, sic videlicet ut omnes mundi Provintiæ seu communitates notabiles secundum sui legislatoris humani determinationem sive unici sive plures, & secundum ipsarum proportionem in quantitate ac qualitate personarum viros eligant fideles, presbyteros primum, & non presbyteros consequenter idoneos, tamen, ut vita probatiores, & in lege divina peritiores, qui tanquam judices secundum judicis significationem primam VICEM UNIVERSITATIS fidelium repræsentantes jam dicta sibi per universitates authoritate concessa, conveniant ad certũ orbis locum convenientiorem, tamen secundum plurima partis ipsorum determinationem vel suorum legislatorum, in quo simul ea quæ circa legem divinam apparuerint dubia, utilia, expedientia & necessaria terminari, definient, & reliqua circa ritum Ecclesiasticum, seu cultum divinum, quæ futura sunt etiam ad quietem & tranquillitatem fidelium habeant ordinare.*

Hunc igitur locum vicissim commendo Anonymo, & velim ab ipso diligenter considerari, ut ita demum cognoscat Marsiliũ istum paucis ea omnia quæ jam à nobis disputata sunt, complecti. Primum est, Concilii generalis esse definire & determinare causas fidei dubias II. Non totam fidelium multitudinem posse convenire in concilio. 3. Ideoque necessum est ut ex omnibus mundi Provintiis nonnulli conveniant. 4. Esse hoc Imperatorum munus ut publica authoritate tale Oecumenicum concilium indicetur, & convocetur. 5. Omnes istas mundi Provintias aut communitates oportere eligere viros idoneos presbyteros & nõ presbyteros. 6. Hoc ipsis etiam incumbere ut eligant pro proportione Provintiæ tales, & tot qui sufficerint. 7. Eos qui ita electi & missi sunt representare fidelium universitatis vicem. 8. Posse & debere ipsis authoritatem concedi ab istis à quibus mittuntur, judicandi & statuendi ipsorum nomine.

Quinqua-

Quinquagesimus quintus numerus ita habet ex pagina Centesima Quadragesima Secunda.

QUI *in catologum relati, hoc est, ab Ecclesia electi.* Anonymus dicit expositionem istam D. Sibrandi esse falsam. Cur ita? Nam catalogus iste (inquit) fiebat, cum iam convenissent Episcopi. Non ego quidem hoc, quod Anonymus hic de catalogo scribit, negare ausim. Nam hoc in more videtur positum fuisse, ut quamvis multi ex Presbyteris, Diaconis, & Acolythis undiquaque ad Synodos generales cum suis Episcopis, aut etiam sine ipsis confluerent, nullum tamen alium ad suffragia & subscriptionem fuisse admissum, quam qui in isto catalogo recensitus erat. Sic enim in vita Constantini libro tertio, pagina Centesima Octogesima Nona de Synodo Nicæna. *Interim in palatio* scil. *regali comparebant VOCATI Episcopi, ac cuncti quisq; sibi competentem sedem accipiebant.* In Synodo Ephesina rescribunt Theodosius & Valentinianus, quod à D. Sibrando ibi citatum est, fas non esse, ut qui extra catalogum Episcoporum est, se Ecclesiasticis negotiis immisceat. Canone IX. Apost. mentio fit ἱερατικοῦ καταλόγου; eorum scilicet qui in sacerdotum censum cooptati erant. Dicebantur illi τοῦ κανόνος de canone esse, hoc est, ex Clero, aut ut nunc, canonici regulares. Epiphan. pag. 346. Vnde apud Epiphan. eundem ἐκπεσεῖν dicũtur τοῦ κοινοῦ τῶν Επισκόπων, συλλόγου καὶ τοῦ κανόνος, qui statu & gradu dejiciebantur, ac proinde cum aliis Episcopis non habebant in Synodis canonum condendorum jus. pag. 35. Qui ex canone expuncti sunt & irregulares facti. Sed ad rem.

Marcellinus etiam cognitor vetuit ne ad locum collationis universi confluant Episcopi, aut tota plebs. Nam in Actis Collat. pag. 16. ita expressè: Nullus ergo vel laicus vel Episcopus ultra numerum præstitutum in illum trãquillissimum Concilii locum contra prohibitum moliatur accedere.

Atque hinc est, quod in singulis conciliis tales Episcopi qui ut judices accesserant, debuerint & potuerint facilius numerari,

eorumque catologus sit factus, Concilii enim Nicæni catologus fuit Episcoporum ccc.xviii. aut ut Eusebius, ccv. Epiphanius pag. 314, dicit nomina istorum Episcoporum 318. qui etiã concilio subscripserant, ad illam suam ætatem reservari.

In catalogo Chalcedonẽsis cõcilii erant adscripti DCXXX. Episcopi. Et sic deinceps in aliis Synodis census Episcoporum aliorumque fuit factus, inque catologum istum eorum numerus relatus, qui judicabant, statuebant & subscribebant.

Hinc dicunt Σύνοδον ἀναπληρῶσαι, qui justam Synodum constituerent, atque in ea jus suffragii haberent. Constantin Imperat. scribit Episcopis, qui Tyri convenerant ita: πάντες ὅσοι Σύνοδον ἦλθον ἐν Τύρῳ γενομένην ἀναπληρώσατε. Imò & hoc solet subinde in Topicis Synodis, & Africanis præsertim observari, ut ne alii diutius in Synodis detinerentur, terni judices ex singulis Provintijs eligerentur, qui causas tractabant, ut patet Can. 27. Milevitani Concilij. Sed quod tam protervè hic falsitatis D. Sibrãdum insimulet Anonymus, non decet Christianum, & æquum hominem. Etsi enim Catalogus iste tunc fiebat, cum Episcopi convenerant, hoc tamen certum est ex iis, quæ num. præcedẽte disputata sunt, nullum Episcopum debuisse ad Synodos proficiscí, quam qui à Metrapolitanis & reliquis coëpiscopis electus & missus esset. Vnde sequitur præter istum generalem catalogũ, qui in loco Synodi fiebat, videri etiam singulas Provintias suum particularem catalogum habuisse constantem ex numero istorum Episcoporum, qui ex singulis Provintijs ad Synodum mittebãtur & ibi manebãt. Commodè igitur & benignè hoc quod D. Sibrandus scripserat de catalago Episcoporum, qui ab Ecclesia electi & cum judicandi potestate ad cõcilia generalia mittebantur, potuisset interpretari, nisi livor & odium instar torrẽtis ipsum ita transversum rapuisset.

Ex hisce etiam hoc patet, illud quod de generali Catalogo isto posuit, non officere nostræ sententiæ. Nam si talis catalogus tunc fiebat omnium istorum Episcoporum, qui jam convenerant, sequitur neminem Episcoporum ex Provintiis varijs ausum fuisse ad Synodos sine consensu superiorum ire. Atque ita tot ac tales accedebant, quos Ecclesiæ singularum Provintiarum mittebant, uti jam supra probatum est. Rectè igitur D. Iunius cõtra

Bellarminum

Bellarminum cap. 16. de concilijs ad ista verba rescripti Theodosii & Valentiniani de Synodo Ephesina supra allegata sic inquit. pag. 141.

Quum Theodosius & Valentinianus ita rescripserunt, non fuit mens eorum ut dicerent Episcopos solum & non ullos alios in Concilium recipi oportere. Sed eos solum audire, cognoscere, & sententiam ferre in concilio oportere, qui in Catalogo rescripti erant eorum, qui ab Ecclesijs ad concilium fuerant ablegati, & ab Episcopis recensiti ex literis authoritatis publicæ, quas solebant exhibere utrumque hic Iunius jungit, & catalogum facit talium Episcoporum qui ablegati ad Synodum venerant, & postea recensiti judicare in Synodo debeant nomine suarum Ecclesiarum.

Ex pagina Centesima Quinquagesima Secunda descriptus est hic Numerus Quinquagesimus Sextus.

ET iam quæris, cujus nomine Synodica decreta debeant promulgari? Hic iterum more suo repetit falsum esse hoc quæri, de Synodicis decretis. Quid igitur? Pietate Pag. 73. dicit quæri à Grotio, cujus nomine leges ferri aut publicari debeant. Verum ipse impingit in hoc crimen falsi. Nihil enim verius, quam ibi D. Grotium de Synodi decretis agere. sic enim disertim scribit: *Mihi constat esse qui præfractè negent nomine summi Magistratus ferri eas aut publicari debere. sed Ecclesiæ nomen præscribendum. Magistratus sufficere debere, si decreta approbet.*

Et ipse Anonymus seq. articulo ultrò fatetur de Synodi decretis agi. Dixerat modo D. Grotius disputari etiam de ferendis legibus, sed quæ sunt quæso istæ leges? Non utique quæ civilis sunt fori. Nam de ijs nulla quæstio. Recte igitur ipse exponit de Ecclesiasticis legibus, quæ ad constituēdam Ecclesiæ πολιτείαν & conservandam fidei unitatem pertinent Tales autem leges ex Synodi decretis solent ab Imperatoribus publicari. Vt distinctius loquar, quæ in Synodis definiuntur in causis fidei, disciplinæ & politiæ, ea solent dogmata aut Canones vocari,

Græcè θεσμοὶ, διαγράφαι; quæ verò ab Magistratu sanciuntur, & promulgantur, ea propriè edicta & leges Græcè διαλάγματα, διατάγματα, aut etiam χρυσόβουλλα χρυσᾶ τὰς Συνοδικὰς ἀποφάσεις. I, edicta vel bullæ aureæ ad Synodales sententias regia authoritate muniendas, dicuntur.

Si igitur quæratur, An Ecclesiæ sit leges ferre, & publicare? nos hoc negabimus. Sed si quæratur, an Ecclesiæ sit decreta condere, nos hoc affirmabimus ex Actor. 15. 22, 25. 28. ἔδοξε τοῖς Ἀποστόλοις καὶ τοῖς Πρεσβυτέροις σὺν ὅλῃ τῇ Ἐκκλησίᾳ. Ludit igitur ambiguitate, imò captiosè & invidiosè dictum cum dicit quæri, cuius nomine debeāt leges ferri & publicari? Nam si cādidè agere voluisset, nihil erat quod hic in D. Sibrando desideraret. Nemo enim nostrum est, quod sciam, qui Ecclesiam eius authoritatis esse dicat, ut ab ea leges eo modo, quem illi taxant, ferri & publicari debere doceat.

Quando hoc in Ecclesia nostra tentatum est? Quando etiam in antiqua Ecclesia, quæ necdum imperio pontificis obnoxia, factum fuit? Si enim Ecclesia istud jus & potestatem sibi deberi agnovisset, cur toties Imperatoribus statuta sua proponeret Episcopi approbationem, διαγραφισμόν, χύρωσιν & promulgationem postularent? cur etiam Imperatoribus de decretis Synodorum leges constitutiones, capitula condere, sancire & promulgare necessum fuit? Quæ omnia ex historia veteri, Codice Theodosiano, & Iustinianeo & Novellis constitutionibus Imperatorum abundè comprobantur.

Fatemur igitur nomine Magistratus leges Ecclesiasticas esse sanciendas, & publicandas, sed interea Ecclesiæ ipsius esse dicimus κανονίζειν, uti loquuntur Patres Concilii Nicæni, & quoq; διαλυπάσεις, & ὁρισμοὺς ad communem ædificationem, quæ est secundum veritatem & justitiam, condere. Rectè igitur Episcopus Elienſis ad Tortum pag. 169.

Quæris Athanasius gravis author inprimis, Quando à condito ævo auditum, quod judicium Ecclesiæ authoritatem suam ab Imperatore accepit? Quando? nunquam certè, Iudicium Ecclesiæ à verbo Dei, à veritate ipsa authoritatem suam semper accepit, non ab Imperatore, non à Pontifice, non à mortali quoquam. Nec secus Rex quisquam pius vel Imperator dixeris. Sed hoc tum demum locum habet, si de intrinseca

authoritate

authoritate dicas. De externa enim si sensus sit, ut nempe Canon Ecclesiæ vim legis habeat, haud quisquam sanæ mentis negabit ab Imperatore authoritatem accepisse Ecclesiæ judicium.

Sed nemo apertius & fusius de hac re disseruit, quam ille sæpe memoratus Gallus in tractatu de libertate Ecclesiastica pro Venetis. Notabilis eius locus adud Goldastum extat pag. 688. ideoque hic dignus transcribi. *Hic verò dignitas, authoritas, & potestas Ecclesiæ eminebat, cum Princeps εὐταξίας & modestiæ vindicem agere contentus de cætero privatum se gerebat. Patres contra pro auctoritate sibi à Deo tradita cuncta gerere concilio præesse, controversias Ecclesiasticas dirimere, de fide orthodoxa pronuntiare, hæreticos ex doctrina Christi refellere, contumaces exitio devovere, leges Ecclesiasticas Ecclesiis præscribere, postremo ipsa Imperatorum placita, super rebus dũtaxat Ecclesiasticis quæ sacris canonibus repugnarent, emendare & antiquare: hæc Patrum legitima potestas, hæc una Ecclesiæ libertas. quam si quis faciendam putet parvi, hic quid magnum in rebus humanis ducat, velim scire.*

Sed quia ut antè ostensum est, Episcopi nullam à Deo coactivam potestatem acceperunt, per quam populum Christianum vi possunt adigere ut sua decreta suscipiat, etsi canonibus Synodalibus apud pios sua constabat authoritas sine imperiali ulla sanctione, &c. Ergo Imperatores pij, quæ patres decreverãt in Ecclesia, ea ut reciperẽtur à populo universo, pro imperiali sua potestate, sive ut loquuntur Iureconsulti, pro plenitudine suæ potestatis stabuebant, & sub adiectione pœnæ sanciebant: Ita canones illi, quos prius sola Episcopali authoritate fultos boni duntaxat pijque susciebant, ubi accesserat pondus potestatis civilis etiam malos & divini numinis contemtores constringebat: hoc nimirum est, quod supra dicebamus, gladium materialem supplere quod deest spirituali.

Nervosè & distinctè de hac re disseruit etiam D. Iunius de concilijs contra Bellarm. p. 112. 113. quæ velim accuratè καὶ ἄνευ προκρίματος expendant & judicent D. Grotius & alij. Brevitatis ergo locum hic tantum indico. legant, si lubet totum istum tractatum. Invenient, spero, in quo acquiescere possint.

Numerus Quinquagesimus Septimus ex pagina Centesima Quinquagesima quinta excerptus ita legitur.

Quid igitur sentias aut in animo habeas, dum me jus Ecclesiæ defendentem Regis Philippi authoritate urges, non tantum Ecclesiasticis, sed etiam prudentioribus politicis judicandum relinquo. Anonymus scribit falsum esse allegari exemplum *à D. Grotio, ut tanquam ab authoritate ducatur argumentum. Quid igitur? Sed hoc ait, scribi parum esse, quod approbatio Synodicorum decretorum Principi permittatur, cum hæc permissa fuerit Principi etiam in Papatu.*

Sed & hoc falsum est D. Sibrandum hoc scripsisse, allegatum nimirum exemplum istud, ut tanquam ab authoritate argumẽtum ducatur. sed tantum ait se urgeri Regis Philippi authoritate à D. Grotio. Quod verum est. Nam quod ad approbationẽ decretorum Synodicorum attinet, scribit eam sub dominatu Pontificum sibi retinuisse Principes. Nimis igitur hoc exiguum esse, si jam extra Papatum Magistratui summo nihil aliud tribueretur. Sed neque solum in ista verba conjecit oculos suos D. Sibrandus, cum hæc scriberet, sed præcipuè in ista, quæ mox sequuntur pag. 74. *Imò ipsa acta concilij Tridentini Rex Philippus publicari sua, non Pontificis authoritate voluit.*

Clarè autem hic allegavit exemplum Regis Philippi, unde etiam confirmare conatur, etiam in medio Papatu publicata esse acta concilii Pontificii authoritate Regis Philippi. Multò magis igitur hoc jam fieri debere innuit, cum jugum utrumque Pontificium scilicet & Hispanicum excussum sit. Necdum igitur omninò à vero aberrasset, si dixisset D. Sibrandus ab authoritate Regis Philippi argumentum ductum fuisse. Sed in hoc Sophistã se præbuit Anonymus, quod de approbatione Synodi decretorum loquatur, cum de publicatione istorum decretorum allegare debuisset.

Aliud enim est approbare solummodò acta Conciliorum, aliud approbare simul & publicare. Cum igitur D. Sibrandus se urgeri auctoritate Regis Philippi dicat, non hoc inde tantum ostendit,

ostendit, quod de approbatione, sed de publicatione meminerit Grotius. Nimis odiosè & calumniosè hoc Ecclesiis isti homines impingunt, quod nihil aliud Magistratui Christiano competere dicant, *quam approbationem nudam, vagam, sine ulla cognitione aut judicio, Esse tantum Principes, nostro judicio statuas, & stipites mutos, pendere omnia ex nutu Pastorum, esse Principes tantum lictores, & executores*, & nescio quæ non convitia, & dicteria ex nostra sententia auribus & animis Magistratuum ingerunt & insinuant. Testor & protestor coram Domino falli & fallere alios qui hoc de nobis dicant. Dicimus & docemus cum Cicestrienſi, qui Regi M. Brit. à sacris & Eleemosynis est, & nunc teste Grotio factus Episcopus Elienſis: *Deum mandasse Regibus gubernacula externæ disciplinæ, sed ea ad causas fidei torquere nimis violētum esse, quod & Ambrosius olim Valentiniano Iuniori, qui omnia ex matris suæ Arrianæ arbitrio per fas atque nefas gerebat, responderit.*

Nihilò tamen minus cum eodem oppidò libenter fatemur ipsorum juris esse Concilia convocare, moderari, & confirmare, sed quomodo ea moderari & confirmare Principes possent, si ipsis omne judicium & examen adimatur? Neque sanè in hoc à D. Grotio dissentimus, qui hanc in rem p. 51. 52. 53. ex prædicta responsione Episcopi Elienſis ad verbum plurima sublegit, & sic inter cætera. *Quid enim aliud inquit Constantinus, quam Synodi Nicænæ decreta κυρῶν ἐπεσφραγίζετο* apud Euseb. lib. 3. de vita Constantini? *Ipsi Patres Concilij Constantinopolitani scribunt Theodosio:* Δεόμεθα ὅν τῆς σῆς ἡμερότητος γράμμαλι τῆς σῆς εὐσεβείας ἐπικυρωθῆναι τῆς Σωσόδε τὴν ψῆφον, ἵνα ὥσπερ τοῖς τῆς κλήσεως γράμμασι τὴν ἐκκλησίαν ἐτείμηκας οὕτω καὶ τῶν δοξάντων ἐπισφραγίσης τὸ τέλος. Episcopi etiam Ephesinæ Synodi rogant literis suis Theodosiū & Valentinianum, ut *quæ in isto concilio contra Nestorium, eosque qui cum ipso sentiunt, acta sunt, habeant* τὴν ἰδίαν ἰσχὺν ἃ περὶ τῶν ἐκδικηθέντων μένειν ἄπρακτα καὶ ἀργὰ *Quod ad Chalcedonense, Imperator Martianus rescribit sacro suæ serenitatis edicto verecundam istam Synodum confirmasse.*

Et hoc rogant Patres Synodi Cavilionensis secundæ, Moguntinæ primæ, Turonensis, Aurelianensis & aliarum, *ut Imperatores sua decreta confirment & approbent*, vide Pietat. Grot. pag. 53. Rectè notavit Gallus ille in tractatu de libertate Ecclesiastica

pro Ven-

pro Venetis pag. 689. *observandas esse in hac materia vocum quibus tunc utebantur Græci, proprietates, Sic legas (inquit) in jure canonico administrari res Ecclesiasticas Synodali κρίσει, judicio, & easdem confirmari Regia ἐπικρίσει judicio quasi secundo. In Epistola Synodali de non avellendis Episcopis à sua metropoli.* εὑρέθη τὶ τοιοῦτο γενόμενον ΚΡΙΣΕΙ Συνοδικῇ, καὶ ΕΠΙΚΡΙΣΕΙ βασιλικῇ κυρώθη. *In eandem sententiam dicuntur Imperatores* Ἐπισφραγίζειν τὰ κεκριμένα, ἐπικυροῦν συνοδικὰς ἀποφάσεις, ἐπικυροῦν τὰς ψήφους Συνόδου. In his enim vocibus τὸ (ἐπὶ) hanc vim & emphasin habet, quam in hisce vocabulis ἐπιλέγειν, ἐπίλογος, ἐπὶ τούτοις, post hæc &c. Heb. 8. 1. Κεφάλαιον δὲ ἐπὶ τοῖς λεγομένοις. Hinc ἐπισυναγωγὴν, quam Apostolus Heb. 10, 25. vetat deserere. Christianorum ibi qui ex Judæis erant, conventum vocat ἐπισυναγωγὴν Apostolus quasi diceret Synagogen, quæ in locum prioris Judæorum Synagogæ successerat. Apud Luc. 12. 1. dicuntur μυριάδες hominum ἐπισυναχθεῖσαι. Dicūtur hinc etiā sectariorū cōventus ἐπισυνάξεις, ἐπιδιδόναι dicitur aliquid amplius supra ordinaria munia largiri, &c. Idem igitur quū nos Magistratui nostro tribui mus, quis inde colliget nos in Synodis κατὰ πρόσωπα, sine judicio, arbitrio, moderatione, & examine eos magis producere, quam Patres quatuor conciliorum generalium suos Imperatores?

Sed quid si Constantius aliquis Imperator Arrianus Concilio mandares, Quod ego volo pro canone sit, & si quem Episcopum esse vellet, hos illi jubeatur, sentias contra Christum, nec de moribus tuis sis anxius. Hoc enim sufficit tibi ad commendationem & Principis amicitiam, quemadmodum hæc dixisse ipsum testatur Athanasius ad solit. vit. agentes, quid tum pij isti Pastores & Episcopi? Respondebunt cum sanctissimo isto Osio. Ne præcipe nobis Seremissime Rex in hoc genere, sed ea potius à nobis discе.

Ita etiam sentit doctus ille Cicestriensis in Resp. ad Tortum, aut potius Bellarmin. pag. 169. An verò Episcopi, qui ita respōderint Regibus, aut summis Potestatibus, rei erunt læsæ Majestatis, morte aut infamia digni? Sed non caret aculeo, quod Anonymus subjicit, *Notum enim est Principum culpam hanc fuisse maximam, non quod parum Ecclesiasticis, sed quod nimium tribuerint, & dicit hanc veram esse persecutionum originem.*

Quorsum enim hoc, nisi ut odia nostrorum Magistratuum in nos con-

nos concitaret, quasi per nos jam redintegretur nova erga fratres dissidentes persecutio? Atque illa inde nasceretur, quod Magistratus nobis aut Ecclesiasticis constitutionibus nimium tribuant? Concedo inde persecutionem in Galliis, Germania & Belgio antè quinquaginta annos ortã, quod Principes qui cum meretrice ista Romana scortabantur, nimium Ecclesiasticis eorumque decretis in Concilio Tridentino factis tribuerint, sed cur, obsecro, nostri Christiani Magistratus & Principes nostræ Ecclesiæ, nostræque Synodi, cum Pontificiis istis Regibus, Antichristiana tota Synagoga & conciliabulo tam iniquè & nefariè comparari merentur? Non sanè levem injuriam, & maculam aspergit nostris Principibus & Ecclesiis hic homo. Deinde si hinc orta sint persecutionum mala, quod Ecclesiasticis nimium tribuerint Principes, unde quæso orta persecutio sub paganis, & apostatis Imperatoribus? Anne tũc etiam nimium tribuebatur Ecclesiasticis personis, & Synodis? Minimè verò, imò potius inde, quod parum aut nihil ipsis tribuebant.

Quid enim Iulianus aliud, cum omnes cœtus & Synodos Christianis interdicebat, quam interitum totius religionis moliebatur? Nihil igitur est quod de persecutione nova ibi metuãr, si Pastorum & Synodorum jura à pio Magistratu conserventur? Nisi forsan & hoc persecutionem vocent, si quando ἑτεροδοξα, & alia scandala secundum verbum Dei, & priscos canones pœnis dignis coërceantur. Sed quæ tunc concilia, Episcopi, ipsique adeò Imperatores pii extra culpam erunt? Ergone Arrius, Nestorius, Eutyches, Photinus, Paulus Samosatenus, Pelagius, Macedonius & alii indigna persecutione ab Ecclesiasticis flagellati sunt? Quo tandem væsana hæc calumniandi rabies istos homines abriperet, si hoc dicerent? Sed desino, ne videar iguem gladio fodicare.

Numerum 58. Confecit ex istis verbis quæ extant pag. 155.

POst hæc rides illos, qui dicunt Ordines relinquere Anabaptistis libertatem vocandi tales Ministros, quales ipsi desiderant, et cæteris

sectarijs, qui separatos catus sequuntur eandem libertatem permittere, neque laborare ut ipsis præficiant doctores pastoresve, qui ipsis aliam doctrinam, quam ipsi desiderant proponant, atque inde inferunt Reformatis eandem libertatem concedendam esse, aut horum conditionem esse deteriorem conditione illorum, et dicis illos de suo alere pastores suos, Pastores verò Ecclesiæ Reformatæ ex publico ærario stipendia sua percipere: atque inde videris inferre velle, pastores Reformatæ Ecclesiæ non habere jus judicandi de rebus fidei, neque ab Ecclesiis electi debere. Multa inconsideratè scripsisti in tua Pietate, sed in hoc quidquam inconsideratius scribi potuerit? penes Christianos Magistratus judicium esto.

Quid ad hæc Anonymus? Concedit illa quæ de libertate sectariis permissa à nobis opponuntur, sed negat à D. Grotio hinc inferri ista duo, quæ D. Sibrandus ibi posuit. Vnum est, Pastores Ecclesiæ Reformatæ non habere jus judicandi. Alterum est, non debere eos eligi ab *Ecclesiis*. Quid igitur? Argumentum dicit solvi à Grotio, quo quidam utuntur, hoc modo: Magistratus non curat, quid Mennonitæ doceant. Ne curet igitur quid doceatur à Ministris publicis in Ecclesia publica. Claudit solito hoc epiphonemate, Insignis perversio.

Atqui ego regero committi ab ipso Anonymo manifestam falsitatem & perversionem. Quis enim nostrum unquam ita argumentatus est? (ut ab hoc incipiam) Magistratus non curat, quid Mennonitæ doceant. Ne curet igitur quid ministri publici in Ecclesia doceant? Pervertit insigniter sententiam nostram. Hoc enim docent & publicè scriptis confitentur Ecclesiæ nostræ, ad curâ Magistratus pertinere, quid publicè in *Ecclesia* doceatur. Infiniti imò supervacui laboris esset, si hoc velim probare. Sed hoc ideò clamant & urgent ut ne recepta hactenus illa doctrina publica vitietur, aut tollatur. Nam sicuti curabit Magistratus, ut vera & orthodoxa doctrina publicè doceatur: ita solicitè providebit, ut ne alia præter ipsam publicè cum offendiculo audiatur, atque ita *Ecclesiæ* in schisma insanabile abeant.

Quod ad Menuonitas, Lutheranos alioque sectarios attinet, hoc queruntur nostri istis maiorem libertatem concedi quam nobis, si nimirum nostris Ecclesiis ius eligendi & conveniendi præripiatur. Et quis hoc inficias ibit? Sed quid D. Grotius ad hanc obiectionem? Pag. 50. ita scribit: *Itaqui loqui volunt, templa*

deserere

deserere debent: sunt enim publica: stipendia ex erario petere non debent, erarium enim est publicum: aut si ista frui volunt, ferant & sibi publicitus legem dici.

Sed quam inconsideratè hoc dictum sit à tali viro, multis ostendit D Sibrandus pag. 155. 156. 157. quæ hic repetere non est opus. Sed mirari convenit, quod tam protervè & insolenter dicit Pastores ferre oportere sibi publicitus legem dici. Nam de qua lege fidei & disciplinæ hic loquatur, non additum fuit? Aut enim veterem, quæ ultra 40. annos hactenus in Ecclesiis viguit, aut novam intelligit. Si veterem, non opus est ipsis jam hāc dici publicitus, ideò quod illa diu auctoritate Magistratus defensa, recepta fuit, pro qua etiam teste D. Grotio hæc diutina belli mala hactenus sunt exantlata. Si novam, manifestum schisma inde surget, & hostibus religionis ludibrium debemus.

Quid si post. 10. 20. annos illa iterum mutetur? Miseros igitur Pastores, qui ad pruritum aurium se fingere & refingere debēt, si ex ærario vivere, neque templis ejici volunt? Miseram Ecclesiam, quæ tot ac tantis publicis mutationū æstibus obnoxia est? Sed ad Anonymum redeamus, dixit ille falsum esse, quod D. Grotius hinc deducere voluerit Pastores Ecclesiæ non habere jus judicandi, neque Ecclesias jus eligendi Pastores. De electione quidem in isto contextu nulla mentio, sed quin hoc ipsum etiam inde concludatur nullum est dubium. Crebrò hoc alias inculcari memini, nempe electiones Ministrorum esse penes eos, qui stipendia conferunt. Neque etiam D. Sibrandus simpliciter dicit, D. Grotium hoc intulisse, sed *VIDERI* velle inferre,

Quod etiam verissimum judico. Nam postea cum de electionibus Episcoporum agit Grotius, apertis verbis pag. 57. contēdit, quod munera publica cuiuscunque generis cōferre sit Principis: Ideo ubicunque Ecclesia est *publica*, ejusdem Principis esse eligere Episcopos, Ex quibus apparet, hoc opinari D Grotium ad summum Magistratū pertinere jus electionis, vel hāc etiam ob causam quod ex ærario publico eos, qui publica munera gerunt, alant. Sed de potestate judicandi ibi disertè loquitur D. Grotius, quam ideo in Magistratum resignat & Ecclesiis adimit, quod Magistratus ex ærario publico stipendia assignent Pastoribus. Nam cum dixisset judicium de publica Ecclesiæ fide esse pe-

nes Magistratum, mox istam obiectionem movet? Et cum isto modo quem diximus, ad eam respondisset, hæc subiecit: *Post rationes ponemus exempla, quibus apertum fiat & pios Reges sibi vindicasse publicum hoc cum jubendi cogendique auctoritate judicium, & Synodos ultrò detuliſſe.*

Et mox recenset multa exempla, quorum aliqua supra sunt allegata earum Synodorum, quæ acta sua Imperatoribus examinanda, judicanda, & confirmanda præsentarunt. Nihil igitur verius est, quam D. Grotium hoc velle inde etiam colligere, judicandi scilicet potestatem de fidei rebus relinquendam esse summo Magistratui.

Numerus Quinquagesimus Nonus ita conceptus est ex pagina Centesima Quinquagesima Septima.

S*Anctissimi & pientissimi Imperatores reliquerunt Ecclesiis jus & potestatem eligendi Pastores.* Anonymus notavit hoc universaliter sumptum falsum esse, & ad exempla Pierat. Grotii pag. 58, 59. 60. 61, 62. 63. allegata nos remittit, quæ omnia surda aure prætervehi dicit D. Sibrandum. Hic igitur nobis de Electionibus Pastorum lis intenditur,

Priusquam ad exempla respondeatur, quæstio prius formanda erit. In hisce convenit inter nos, 1° vocationes Pastorum non sine Magistratu instituendas aut faciendas, 2° Ius ipsum aut verbum divinum prædicandi, aut sacramenta exhibendi & si quæ sunt similia, à Deo, non ab hominibus conferri. 3° Ius etiam examinandi, & per impositionem manuum ordinandi & confirmandi Pastores residere penes Ecclesiam, 4°. Confirmationes electionum esse Principum.

Sed de sequentibus Capitibus quæritur. I°. An electiones ipsæ Pastorum sint juris Principum? hoc est. An eius qui supremam habet potestatem sit iure suo proprio eligere tales, quibus velit mandare curam & functionem Ecclesiarum in oppidis aut aliis locis? loquimur de potestate tali, quæ planè libera, nulliſq; suffragiis

suffragiis astricta sit, ut Grotius pag. 63. interpretatur. 2. An hoc ipsis ex præscripto verbi divini, & ex priscæ Ecclesiæ Canonibus & praxi competat? D. Grotius affirmat utrumque, pag. 57, 58. Anonymus hic hæsitat.

Nam quod D. Sibrandus scripserat, pios Imperatores reliquisse jus electionis Ecclesiis, hoc ille non dicit simpliciter falsum, sed tantum cum hac limitatione, si nimirum hoc ius universaliter sumatur. Vult igitur interdum hoc ius Ecclesiis fuisse ab Imperatoribus relictum, sed non semper. Sed quid de hoc sentiendum sit, videbimus postea.

Sed iam quæritur, An istud ius electionum tunc ab Imperatoribus Ecclesiis delegatum aut mandatum fuerit? aut an ordinariè hoc à Christo eiusque Apostolis acceperint & obtinuetint Ecclesiæ? Grotius affirmat istud primum. Nam sic pag. 59 *Sæpè quidem Reges jus eligendi Episcopi aliis concesserunt aut lege, aut privilegio, aut delegatione, sed manebat res ipsorum beneficij, & poterant* ipsi electiones *rescindere.*

Nostræ autem omnes Ecclesiæ earumque Doctores hactenus docuerunt Electiones Pastorum esse juris divini, & ordinariè ad Ecclesias ipsas pertinere. Quo ordine autem hæ debeant πρεπόντως, εὐτάκτως καὶ πρὸς οἰκοδομὴν in Ecclesiis ipsis fieri, & utiliter hactenus factæ sint, non hic jam disputo. Neque etiam argumenta, & testimonia, quæ isti sententiæ roborandæ ex sacris literis, Canonibus & Historia vetere à nostris adducuntur, hic transcribere opus est. Qui ista cognoscere amat, adeat scripta nostrorum Doctorum. Hoc tantum nobis hic agendum videtur, ut solum ad contraria exempla respondeatur, quibus D. Grotius suam opinionem stabilire conatur. Nam quia hic cum Anonymo præcipuè mihi est res, ipsius ductum & vestigia sequar.

Ex dictis igitur paginis Pietatis D. Grotij, ad quas nos ablegat Anonymus, primum occurrunt exempla Veteris Test. de electionibus Pontificum & sacerdotum. Sed illa huc non faciunt, aut contra ipsum militant. Nam electiones istæ erant merè divinæ. Sacerdotium enim totum erat à Deo uni tribui, certisque familiis in ista astrictum, neque extra istas familias, aut tribum in alios conferre ulli Regum aut Iudæorum unquam licuit. Quod autem Moyses, & alii summos sacerdotes toti populo stiterunt,

aut obtulerunt, nihil ad electionem, de qua hic agitur. Quod etiam aliqui pōtifices tuo loco & statu ab Regibus sunt dimoti, ideò factum, quod peccarant in commune bonum Reipub,

Hoc etiam ipsi fateri coguntur, Ecclesiam Christi & Apostolorum ad formam Ecclesiæ Israeliticæ gubernandam non esse. Rectè ergo Ambrosius ad Eph, cap. 4. In lege *nascebantur sacerdotes ex genere Aaron Levitæ. Nunc enim omnes ex genere sacerdotali sunt, dicente Petro Apostolo. Quia estis genus regale & sacerdotale. Ideòque ex populo fieri potest sacerdos: (si nimirum dignus est & legitimè creatur:)*

Accedit deinde ad exempla Christianorum Imperatorum, & præterito Constantino ad Theodosium Iuniorem saltum facit, quem dicit, cum Episcopatus Constantinopolitanus vacaret, ex multis sibi in Synodo Constantinolitana oblatis, & chartæ inscriptis non sine admiratione & fremitu Episcoporum elegisse Nectarium. Historia est memorabilis & extat apud Sozom. lib, 7. cap. 8. Sed primum respondeo fuisse illud singulare, extraordinarium, miraculosum, adeoque haud canonicum factum. Sic n. Sozomen. ipse dicto loco pag, 675. ait: *Ista autem haud sine divina dispensatione acciderant. Et* mox: *Multis autem persuasum est esse ista ad hunc modum ex Oraculo Dei ad Imperatorem factum gesta.* Contra canones erat, quod Nectarium tunc necdum baptizatū ad Episcopatum istum promotum vellet.

Narrat ibid, etiam Sozomenus errore quodam fuisse Imperatori istum oblatum inter cæteros ab Episcopis. Nam si cognovissent Episcopi ipsum necdum initiatum fuisse, non ausi fuissent tali viro sacerdotii dare suffragium. Sed dicent considerandam esse electionem, & non quæ electioni acciderunt. Electionem fuisse penes solum Imperatorem sine plebe. Sed hoc nego. Nominatio enim & prima προβολὴ istius electionis fuit penes Episcopos. Nam inter causas convocatæ istius Synodi una fuit, ut sedi vacanti Episcopus præficeretur. Et hoc notandum est, Imperatorem non sine Episcopis, neque plebe elegisse Nectarium. Nam Zozom. testis est lib. 7. cap. 7. *Imperatorem præcepisse Synodo, ut diligenti inquisitione quam maximè fieri posset, vir quidam honestus & bonus quæreretur.*

Hæc omnia etiā non sine voluntate & consensu ipsius plebis, sunt gesta.

sunt gesta. Nam apud Theodoret. lib. 5. cap. 10. pag. 280. Synodus Constantinopolitana ipsa in suis literis expressè memorat, Nectarium tunc communi omnium consensu *præsente Theodosio Imperatore, totius denique cleri, totiusque civitatis suffragijs Episcopum fuisse constitutum.*

Vnde apparet reliquisse Imperatorem hoc jus constituendi, nominandi & præsentandi Episcopos Ecclesiis ipsis. quæ constabant ex clero & plebe. Neque hoc tunc in solo Nectario factum, sed etiam in Flaviani Antiocheni Episcopi, & Cyrilli Ierosolymitani electione idem observatum fuit.

In ijsdem enim Synodicis literis hoc restantur Episcopi Synodi Constantinopalitanæ, & addunt tales electiones esse *secundum Canonem Ecclesiæ*, quem ab Occidentalibus Ecclesiis observari etiam volunt. Atque hic ritus jam inde à Concilio Nicæno in eligendis Episcopis fuerat observatus. Hæc enim verba in Epistola ejusdem Nicæni concilii ad Alexandrinos apud Socratē, lib. 1. cap. 9. habentur: *Dignum est ab Episcopis provehi in Episcopatum eos,* εἰ ἄξιοι φαίνοιντο, καὶ ὁ λαὸς αἱροῖτο.

Quod autem tunc Imperator Theodosius ex omnibus istis præsentatis unum elegerit, hoc ideo factum, quod Episcopi inter se diversis sententiis dissidebant. Nam sic Sozom. dicto loco. Cum autem Imperator & sacerdotes soliciti essent, cui maximæ & regiæ urbis summum committeretur sacerdotium, non fuit eadem sententia Synodi. Nam quisque ex illis aliquem, quos amicos habebat, ordinari cupiebat. Hinc factum quod Imperator isto quem diximus modo pro ratione ejus temporis in partes abeuntes Episcopos dirimere debuit, ita tamen ut neque Ecclesiæ & Episcoporum ordinem & jura imminuerit. Sequitur exēplum de electione Ambrosii,

Sed neque istud juvat ipsum. Nam apud eundem Theodoret. lib. 4. cap. 5. Imperator Valentinianus accersitis ad se Episcopis jubebat, ut in locum demortui Auxentii Arriani, virum sapientē & pietate ornatum eligerent & in pontificali solio collocarent. Qui cum primum in Imperatorem hoc rejicerent, ut ita scilicet gravissimam istam & periculosam dissensionem & seditionem plebis, quæ inter Arrianos & Orthodoxos causâ istius electionis esset orta, authoritate Imperatoris melius compescerent, tādem

tamen

tamen ab ipso Imperatore victi in eam curam incubuerunt. Sed hic iterum notandum est, quod istud factum planè extraordinarium & divinum fuit.

Nam cum Ambrosius, qui tunc ibi Prætorem agebat, ad gliscentem istam supradictam sedititionem sedandam accurreret, omnes isti contentione & ira posita, communi voce sibi dari ipsum Episcopum postulabant. Erat enim ipse tunc inter Catechumenos, & necdum baptizatus. Quod cum primum ad primores palatii, teste Zozomeno cap. 24, lib. 6. & deinde ad Imperatorem esset relatum, ipse consentientibus reliquis Episcopis, & *postulante plebe*, suffragatus est. vide Rufinum lib. 2. cap. 11. p. 255. Ex hisce etiam & hoc ostenditur, electionem fuisse plebis & Episcoporũ, sed non sine concilio & approbatione Imperatoris. Theodoret. lib. 4. cap. 7. Ipsum Imperatorem de electione Ambrosii sic dixisse: καὶ σύμψηφος τῆς χειροτονίας γεγένημαι, hoc est, Calculum meum *adjeci*. Et Socrat. lib. 4. cap. 30. pag. 36. paulò clarius.

Quoniam igitur præsentibus tunc Episcopis Consensus iste populi divinitus videbatur esse datus, mox ad Episcopatus sacerdotium Ambrosium provehunt licet detrectantem, & Valentiniano Imperatori, quæ gesta erant, significant, qui populi consensionem, & opus Dei admiratus significat Episcopis, ut Deo serviant, qui hunc ordinari jubeat. Esse enim electionem illius, Dei magis, quam hominum. Tantum igitur ab est ut Imperator hoc ius eligendi Ecclesiæ & Episcopis præripere voluerit, ut potius ipsis integrum & illibatum reservarit, & defenderit.

Tertium exemplum est ex Socrate sumptum, qui lib. 7. cap. 29. pag. 407. narrat post mortem Sisimii Episcopi Constantinopolitani, quum Ecclesia in diversa studia esset scissa, Imperatores Valẽtinianum ex Theodosium juniorem iussisse ut, διὰ τοὺς καινοσπουδαστὰς id est, propter eos, qui rebus novis studebãt; nemo ex ista Eẽclesia Constantinopolitanâ eligeretur, sed ut peregrinus aut extraneus aliquis Antiochiâ vocaretur: Et tandem Nestoriũ inde accersiverunt, cui Episcopatum demandarunt.

Sed & hoc extraordinarium fuit, & ex causa singulari natum, causa erat dissensio & divisio Ecclesiæ istius, in qua multi erant, qui res novas moliebantur, Interposita igitur sua auctoritate

hoc modo

hoc modo præsenti malo occurrere voluerunt. Nam si historiam superiorum temporum consideramus, apparebit electionē ipsius Sisinij, cui hic Nestorius successerat, ab Ecclesia esse factam, & post depositum Nestorium in Synodo Ephesina Ecclesiam totam electioni novæ incubuisse. Vide Socratem libro 7. cap. 35. & cap. 26. Atque hic mos electionum ordinariè in Ecclesijs per ea tempora invalescebat. Nam Sozom. libro 8. cap. 1. de Iohanne Chrysostomo qui in locum Nestorij Episcopi Constantinopolitani sufficiebatur, ita disertè scribit. Græca ita habent: ψηφισαμένων δὲ τοῦτο τοῦ λαοῦ, καὶ τοῦ κλήρου, καὶ ὁ βασιλεὺς συνήνει. Decernebant hoc & plebs & clerus, & Imperator Arcadius consentiebat, Socrat. libro 6. cap. 2. p. 692. dicit hunc Chrysostomum electum ψηφίσματι κοινῷ κλήρου τε καὶ λαοῦ.

Quartum & ultimum ex historia Socratis est, qui libro 7. cap. 40. p. 412. retulit Theodosium Imperatorem priusquam Maximianus Episcopus Cōstantinopolitanus esset humatus, incunctanter præcepisse Episcopis, ut statim Proclum ordinarēt. Sed præterijt D Grotius quæ ibi adduntur. *Imperatorem nimirum ista hoc providè curasse, ut ne denuò in electione Episcopi disceptatio oriretur, ex Ecclesia perturbaretur.* Et quod ad Proclū attinet, sine dubiò absque Ecclesiæ electione & suffragijs non fuit ab Imperatore iussus ordinari, utpote qui antea bis à populo electus & postulatus fuerat, sed tamen reiectus, ideo quod obtendebant quidem Canone Ecclesiastico prohibitum esse, ne quisquam Episcopus uni addictus Ecclesiæ ad aliam civitatem transferatur. Erat autem Proclus iste tunc Cyzicenus Episcopus.

Sequuntur exempla ex Gregorio Turonense de Francis Regibus ante Carolum Magnum, quos dicit contulisse dignissimis Episcopatus. Hæc etiam maximam partem ex Bilsono sunt sublecta, quem vide p. 426. 427. Sed per ista tempora religio, & totum Ecclesiæ regimen cœptum vitiari. Deinde Ecclesiastica ista munera penè in politicas dignitates degenerraverant, ideoque mirum non est, ex Principum nutu ea ut plurimum pependisse. Notavit Bignonius ad Marculfum ex Sidonio, Greg. Turonense, & alijs, Episcopos tunc non alios, quam nobiles factos fuisse, eosque Regibus in iudicijs assedisse.

Neque tamen verum est, populum & clerum omnino & sem-

per præteritum fuisse in electionibus. Nam & hoc docet exemplum Catonis istius ab ipso Grotio allegatum, quem (teste eodem Turonense, libro quarto, capite sexto,) clerus & populi pars maior Arvernorum *Episcopum* elegerant. *Sidonius Apollinaris Episcopus* Arvernorum. lib. 7. epist. 5. p. 149. scribit Agræcio Senonensi Episcopo non conveniisse tunc populo Bituricensi cum reliquis in electione novi Episcopi, ideoque se petitum à civibus ad contentionem sedandam. Apparet hoc etiam manifeste ex varijs Synodis, quæ tunc in Francia sub Gildeberto Rege sunt habitæ. Notetur inter omnia Canon Sextus Parisiensis Concilij habiti Anno Christi 552. *Sic* enim ille legitur in *Summa* Conciliorum Caranzæ.

Et quia in aliquibus rebus consuetudo prisca negligitur, ac decreta Canonum violantur, placuit ut juxta antiquam consuetudinem Canonum decreta serventur. Nullus civibus invitis ordinetur Episcopus, nisi quem populi & clericorum electio plenissima quæsierit voluntate, non Principis Imperio, &c. Quod si per ordinationem regiam honoris sui culmen pervadere aliquis nimia temeritate præsumpserit, à comprovincialibus loci ipsius Episcopus recipi nullatenus mereatur, quem indebitè assumptum agnoscunt. Neque aliter in Aurelianensi Concilio definitum est. *Sic* enim Canone tertio. *Ut nullum Episcopatum per præmia, aut comparatione liceat adspisci, sed voluntate Regis iuxta electionem cleri ac plebis, sicut in antiquis Canonibus cõtinetur scriptum, consensu cleri ac plebis à metrapolitano, &c.* Pontifex consecretur. Apud Marculfum libro primo formularum, pagina vigesima octava, extat libelli formula de consensu civium in *Electione* Episcopi, quem autem ad Regem dirigere solebant ad obtinendam approbationem, lege si libet, quæ ibi notavit Bignonius: Supra etiam Num. 54. p. 174. quædam hanc in rem citavi.

Et quomodo ante Carolum Magnum alio jure & ordine hæc negotia in *Ecclesijs* transigi potuerunt, quam sub imperio ipsius Caroli & post? Hoc enim notum est, Carolum Magnum statuisse, ut *Episcopi* per suffragia cleri & populi eligantur.

Si dicant cessisse ipsum suo iure & resignasse omne illud in Clerum & populum, ipse Imperator confutabit ipsos. Nam in eodem isto Capitulo apertè profitetur ritum istum eligendi esse secundum *Statuta sacrorum veterum canonum*. Vide lib. 1. legum Fran-

gum Francicarum per Carolum M. editarum, & ab Ansigiso Atilico collectarum, Capitulum totum 78. pag. 274. Et quomodo aliquid novi hîc statuere ex se dicendus erit, quũ omnia, ferè ista Capitula, quæ ad rem Ecclesiæ spectabant, ex Canonicis institutionibus se subiunxisse fateatur ipse Imperator in sua præfatione ad istas leges? Si quid igitur hac in re fortè ante ipsũ fuerat peccatũ, illud iam corrigere, restituere & ad priscos Ecclesiæ canones revocare studuit. Quod de Zenone Imperatore quoque legitur, qui cum antea ad se electiones rapuerat, postea pœnitentia ductus restituit Ecclesijs, & legem sancit, illum futurum Episcopum, quem *clerus & plebs elegissent*. Vide Euagrium libro tertio, Capite undecimo, duodecimo, p. 759. Nicephor, libro decimo sexto, capite decimo octavo. *Hincmarus Archiepiscopus Rhemensis in tractatu de potestate Regia & pontificia*, Capite 5. sic scribit: *Qualiter autem consensu principis terræ, quæres Ecclesiasticas divino judicio tuendas & defendendas* susceperit *electione Cleri & plebis*, quisque *ad Ecclesiasticum regimen provehi debeat*, & *Dominus in Euangelio. & sacri Canones apertè demonstrant*, vide apud Goldastum p. 4. floruit autem hic Hincmarus Anno Christi 880. Post hæc telam suam pertexuit Grotius, & ad Pontifices Romanos accessit, in quibus eligendis *præcipuam* fuisse Imperatorum ac Regum auctoritatem ait.

Notetur quod hic *præcipuam* dicat. Nam ex subiectis exemplis patet confirmationem & approbationem penes ipsos fuisse. Ideoque pagina sexagesima prima ita sibi cavit, quum dicit Imperatores, hoc jus eligendi pontifices, aut *approbandi* electos postea amisisse. Sed quod Antistites isti Romanæ sedis à clero & populo antiquitus electi fuerint, non negat ipse Bellarm. lib. 1. de clericis cap. 9. pag: 425. *Sic enim tertius modus fuit, ut eligeret clerus & populus civitatis. Hic modus fuit in usu tempore Chrysostomi, Ambrosii, Augustini, Leonis, & Gregorij.* Narrat ipse Grotius Basilium Patricium lege vetuisse, ne Papa eligeretur, nisi monito & *consentiente Principe*, Gregorium missum ad Imperatorem, ut Pelagii electionem sine approbatione Imperatoris factam excusaret. Quò pertinet quod Platina in Pelagio 2. Nil enim (inquit) tum à Clero in eligẽdo Romano Pontifice actum erat, nisi ejus electionem Imperator approbasset. Memorat etiam Se-

verini & Theodori electiones Exarchos *confirmasse* secundum *antiquam consuetudinem*.

Agathonem agnovisse, non debere Pontificem ordinari, nisi Principis jussio præcessisset. Gregorium IV. Episcopatum accipere noluisse, nisi prius à Ludovico Pio *confirmata* esset electio. Hericum III. Sacramento populum Romanum adegisse, ne injussu suo ad electionem Pontificis accederet. Ex hoc ultimo exemplo apparet etiam tempore Henrici III. populum Romanum necdum ab electione fuisse exclusum. Sic igitur Melanchthon aut Principes & Ecclesiæ omnes Germaniæ per Melanchthonem in Apol. Confess. de potest. papæ. pag. 204. scribunt: Postremo quomodo potest Papa jure *divino esse supra totam Ecclesiam*, *cum Ecclesia habeat electionem & paulatim mos invaluerit, ut Romani Episcopi ab Imperatoribus confirmarentur?* Quod autem subinde res aliter acciderit, non præjudicat recepto ordini. Hoc enim quæritur, an juris ordinarii sit electio Ecclesiæ? Atque istud jam evicerunt exempla omnia jam inde à Constantino primo Christiano Imperatore usque ad tempora Henricorum in imperio Orientis & occidentis.

Neque tempore Leonis & Gregorii PP. electiones valebant, nisi quæ à Clero & plebe ad normam Canonum veterum erant factæ. Disertè enim Leo Epist. 92. cap. 1. statuit, quod etiam Distinct. 23. Can. *In nomine Domini*, citatur; *Non habendos esse Episcopos, quos nec Clerus elegerit, nec populus exquisierit, &c.* Id. Epist. 89. *Iubet expectari vota civium, testimonia populorum, & quæri honoratorum arbitrium, electionem Clericorum, quæ omnia in Sacerdotum solent ordinationibus, ab iis qui norunt Patrum regulas, custodiri.* Et rursus: *Teneatur* (inquit) *subscriptio Clericorum, honoratorum testimonium, Ordinis consensus & plebis. Qui præfuturus est omnibus, ab omnibus eligatur.*

Vide apud D. Bilsonum ipsum ex Gregorio insignia loca p. 421. ubi etiam plura ex Leonis Epistolis citata reperies, quæ brevitatis ergo hic omitto. Ex his omnibus sequitur exempla D. Grotii non hoc probasse, quod intenderat, nimirum, Magistratum solum non expectatis populi & cleri suffragiis, sua auctoritate & jure proprio creare Episcopos & Pastores, atq; istud us esse liberrimæ electionis, neque alienis suffragiis astrictum.

Hoc dicimus,

Hoc dicimus, hoc urgemus, quod & hic repetendum est, inter omnes curas hanc Principibus præcipuam esse oportere, ut Ecclesiis pii & eruditi Pastores præficiantur; Imò quod Aquisgranense Concilium ad Regem Ludovicum, hoc nos ad nostrũ Magistratum: *Monendo magnitudini vestræ supplicitèr suggerimus, ut deinceps in bonis pastoribus Rectoribusque in Ecclesiis Dei constituẽdis magnum studium atque solertissimam curam adhibeatis.*

Deinde & hoc repetimus sine ipsorum auctoritate, voluntate, consensu, & approbatione neminem in publica Ecclesia munus illud gerere debere, aut posse: Quò omnia ferè ista exempla à Grotio allegata spectant, exceptis nonnullis, in quibus per periculosissimas seditiones & dissensiones, aut alias causas variatum fuit. Quàpropter miror D. Grotium pag. 61, talem confirmationem *umbram electionis* vocasse. Quomodo autem ista confirmatio jam in Papatu accipiatur? nostra nihil refert.

Loquor hic de tali confirmatione, quæ cognitionem & auctoritatem conjunctam habet, qualem & Beza habere dicit suũ Genevensem Magistratum in approbandis electionibus ministrorum. Magis miror ipsum ausum fuisse ead. pag. scribere posteriores quosdam Reges simplicitate quadam inductos Clero permisisse Episcoporum electiones: Quasi antea Clerus hic nihil juris habuisset, sed tantum ex indulto & privilegio tunc usurpare inciperent. Hoc enim pono extra controversiam, id juris Ecclesiastici, ordinarii & perpetui esse, quod ab Apostolicis temporibus inchoatum, per tot secula in Ecclesiis hactenus obtinuit, quod à tot Imperatoribus & Principibus, exemplo, authoritate & legibus est sancitum & confirmatum.

Nota enim est hæc constitutio Iustiniani; Θεσπίζομεν ὁσάκις χρεία γένηται ἐπίσκοπον χειροτονῆναι σωτέναγε τοὺς κληρικοὺς, καὶ τοὺς πρώτους τῆς πόλεως, ἧς μέλλει ὁ ἐπίσκοπος χειροτονῆναι, &c.

Sed quorsum hæc tam multis exemplis & testimoniis fulcire necesse habeo? Ipse D. Grotius pag. 71, coactus fuit tandem fateri electiones antiquitus Cleri fuisse, adhibitis etiam laicis, aut honoratoribus & dignioribus. Cyprianus (inquit) à plebe Pastorem ait eligi: quod tamen Bilsonus pag. 406. 407. aliter pervertit & torquet. Pergit Grotius & recenset, quæ supra sunt memorata. Electus est Chrysostomus ψηφίσματι κοινῷ ὁμοῦ πάντων

κλήρου καὶ λαοῦ. *Iustinianus iubet ad Episcoporum electionem convenire clericos καὶ τοὺς πρώτους τῆς πόλεως. In ipsis Canonibus Romanis, qui circa tempora Leonis primi Pontificis sunt editi, requiritur juxta Clericorum electionem honoratorum quoque arbitrium, aut, ut alibi dicit Leo, Consensus ordinis, hoc est, Decurionum. Et passim in designãdis Episcopis fit Cleri & populi mentio, &c. Ex quibus locis (ita enim concludit Grotius pag. 72) aliisque permultis apparet, præter id jus, quod summæ potestati competebat, etiam urbis cujusque Magistratus juxta Clerum solitos electionibus adhiberi.*

Quomodo autem hæc cum præcedentibus, ubi Clerum & populum aut honoratiores de plebe arcendos ex praxi Ecclesiæ Veteris contendebat, conveniant, non video. Duo adfert, ut cõcilientur. Vnum est, hoc primis temporibus, quamdiu Pagani fuere Imperatores, factitatum. Sed hoc falsum esse res ipsa clamat. An quæso Theodosius, Valentinianus, Arcadius, Carolus Magnus Pagani fuerunt Imperatores?

Alterum est, in iis Ecclesijs quas infra suam curam Principes ponebant, ita actum fuisse. Sed & hoc falsum esse exempla singula & leges Principum testantur. Anne obsecro Ecclesia Constantinopolitana, ad quam Nectarius & Chrysostomus vocati, Romana, ad quam Pelagius secundus, Leo, Gregorius, electi erant suffragijs Cleri & populi, & reliquæ erant infra curam Imperatorum. Aliter sane judicavit de Constantinopolitana Ecclesia Theodosius apud Sozomenum libro octavo, capite septimo, & Socrat. libro septimo capite quadragesimo, qui sedulò & anxiè curabat, ut eidem Ecclesiæ de orthodoxo Episcopo prospiceretur. Et Iustinianus edixit, ut hoc *in omnibus Ecclesijs ubique* observaretur.

Tandem igitur in angustias redactus & omnibus effugijs intercluſis, huc erumpit D. Grotius, ut rideat ritum nostrarum Ecclesiarum, quod electiones ad presbyteria revocentur. Sic enim pagina septuagesima prima. *Interim non immeritò & hoc miretur aliquis à Sibrando electiones, quas populi jus vult esse, ubi tamẽ ad rem ventum est, soli presbyterio adscribi, quæ perquam exigua populi est portio. Notarunt viri prudentes inter plurimas artes Pontificum Romanorum, hanc fuisse non minimam, quod electiones solius Cleri esse voluerunt.*

Sed longè

Sed longè fallitur, quod artibus & dolis Romanorum Pontificum hoc deputet. Nam & diu antè hæc tempora hoc voluisse visus est Nazianzenus in *Epitaph Patris*, qui propter contentionem in Basilii electione excitatã populares electiones his verbis perstrinxit. *Non erat obscurum quis excelleret, sed valdè perspicuum erat cum aliis omnibus, tum selecta & purissimæ plebis parti, hoc est, Clericis et Nazaræis nostris, quibus solis electiones istiusmodi committi oportet, vel potissimum illis.* pag. 139. Ald. Edit. Græcæ, in 8: ἐφ' οἷς ἔδει λαὸς τοιαύτας προβολὰς καθάπαξ μόνοις, ἥκιστα μάλιστα (sic n. nullum Ecclesiis malum accideret, *& non ditissimis aut potentissimis*, φορᾷ δήμου καὶ ἀλογίᾳ) *inter illos abjectissimis.* Notandum autem ipsum in totum nõ adimere populo electiones, sed potissimum, aut *maximè* Clericis committendas esse voluit. Neque aliter cõquestus est olim Chrysostomus de sacerdotio lib. 3. pag. 55. de inscitia & factionibus populi in eligendis Episcopis.

Opponit sibi D. Grotius pag. 72. in hunc modum. *Dicet fortè aliquis populi jus omne delatum presbyterio. Respondet. At ejus mihi rei ψήφισμα velim ostendi. Nam id nisi probetur, communis ratio potius docet populi jura in eum potius translata, qui populo imperat.* Verum nemo nostrum dixit, populi jus in presbyterium translatum, sed totum illud jus in presbyterio potius salvũ manere & residere. Rectè enim Beza in Resp. ad Tract. de Ministr. gradibus. Cap. 23. Fol. 154. 155. *Fuit essentialis Diaconatus tum primum constituẽdi modus nempe electio. Sed quod tota multitudo simul fuit convocata, & suffragium tulit, nec essentiale, nec perpetuum fuit. Postea vero docente experientia, confusione & ambitione crescente, multitudini hinc exortæ occurrendum esse prudenter in Synodo Laodicena cautum fuit, Canone, 13. Ne ad sacrum Ministerium deligendorum electio turbis, sive populis concedatur, minime id quidem quasi electionum sacrarum conscia & approbatricem esse non oporte at Ecclesiam totam: sed quod in ea re modus adhibendus, id est, ut quod prius simul fiebat, distinctè fiat, prærogativa quidem Pastorum consessui tributa, secundo vero loco priorum Magistratuum cognitione ex vero consensu aut dissensu præeunte, ac demum plebe de re tota certiorata, et si quam habet dissentiendi rationẽ, potestate causas illas legitimè explicandi facta, etc.*

Hactenus Beza. Neque verò mirum alicui esse debet, Pastorũ & presbyterorum cœtui istam curam demandatam, sunt n. illi, qui totam

qui totam Ecclesiam regunt. Act. 20, 28. Rom. 12, 8. 1. Thess. 5. 12. Deinde si quid ad Ecclesiam deferatur, primum ad eos solet deferri Act. 11. 30, Ideoque ipsi primum conveniunt, ut deliberent & despiciant, Actor. 21. 18. unde sequitur, ipsam Ecclesiã, quod per presbyterium consentiente tota multitudine geritur, facere, non aliter atque in politicis fieri consuevit. Notum est hoc axioma, Quod per alios quis facit, hoc ipse facere putãdus est. Atque hoc olim etiam ordinis & τάξεως causa factum esse testis est Gregorius, qui Epist, lib. 2, cap. 54, monet, *ut si in certam personam consentire non possint, eligant tres viros rectos ac sapientes, quos Romam generalitatis vice mittant, quorum et judicio plebs tota consentiat.* Ibid. Cap. 74. *Iubet clerum Ecclesia Neapolitana convenire, ut duos vel tres de suis eligant et Romam ad eligendum Episcopum transmittant, et sua relatione insinuent, quod hi, quos transmiserint, omnium in hac electione vice fungantur.*

Si igitur Ecclesia tota duobus aut tribus electionum curam committere potest, cur non & toti presbyterio, hoc, est, cõsessui Pastorum & presbyterorum, præsertim in casibus, & locis, de quibus supra ex Beza? Nam & hoc in exiguis Ecclesiis observatur apud nos, ut electio Pastorum suffragiis totius multitudinis fiat. Quod autem dicit populi jura in Principem suũ transferri, verum est, de iis rebus, quæ merè politicæ sunt. Sed electionis hoc ius non inter politica recensetur, & competit populo, non tanquam populo, sed tanquam Ecclesiæ Christi, aut qui Ecclesiam repræsentat, & ex præscripto Christi, ejusque Apostolorum pascitur & regitur.

Hinc est quod Beza, Homil. 13. in Resurrect. pag. 323, *Verissimum esse et fatentibus ipsis pontificijs, Electiones Pastorum esse Ecclesiæ totius legitimè ordinatæ, sicuti conspicuũ est ex Historia Apost, totaque veteri Ecclesia, quamdiu per multa secula suam puritatem retinuit, et ex omnibus veteribus Canonibus vel ad usque Concilium Basiliense per papam Leonem abrogatum, licet non omnis sublata sit ab illo, ut par erat, corruptio.*

Sed quia nimis fastuosè & fastidiosè rejicere solent Bezam, quem minus æquo concedere Magistratibus quiritatur D. Grotius pag. 53. audiant Musculum, quem ulcus aut morbum Ecclesiarum nostrarum hac in causa aperuisse & sanasse scribit

Grotius

Grotius pag. 56. In loco quidem de Magistratibus pag. 582. cõtra Pontificios contendit præter potestatem publicam *publica* neminem muneta in Ecclesia oportere obire. Sed in loco de Ministris verbi pag. 181. 162. disertè docet *Electiones Episcoporum fuisse penes Ecclesiam, sed Christianorum Principum et Magistratuum consensum meritò requiri.* Atque adeò Episcopi Romani citra Romani Imperatoris consensum nihil habuisse roboris.

Bucerus etiam in cap. 16. Mathæi. pag. 359. *Eligebantur Episcopi ex plebe et presbyteris, formam postea præscripserant pij Principes, ut legimus in Novellis constitutionibus* constit. 223. *Sunt etiam apud Augustinum et in decreto formæ quas vetus Ecclesia observavit. vicini Episcopi Episcopum consecrabant, &c.* D. Plessæus de Eucharist. pag. 609, *Quanquam vero populus eligit, & electum presbyterio confirmãdum proponit, interdum eligit presbyterium, à populo postea confirmãdum, constat tamen antequam munus istud obirent, perpetuo consensum et populi et cleri, id est, totius Ecclesiæ requisitum fuisse.*

Sexagesimus Numerus ita habet ex eadem pagina.

VT nihil inconsideratius dici possit, quam Ecclesiam propterea quod ipsius Ministri ex bonis Ecclesiasticis aluntur, non habere jus eligendi suos Pastores. aut Pastores propter eandem causam non habere jus & potestatem veniendi ad Synodum & judicandi de controversiis Ecclesiasticis, Anonymus dixit ista omnia ficticia esse *1°. Quod unusquam Grotius scripserit Ecclesias non habere jus veniendi ad Synodum & judicandi de controversiis. 2° ipsum multo minus dixisse Ecclesias istud jus non habere ideo, quod publica authoritate foveantur.*

De secundo hoc membro jam supra actum fuit articulo 58. ubi ostensum fuit, non esse hoc fictitium quod D. Sibrandus scripsit. Quod ad primum, nihil certius quam D. Grotium hoc urgere. Episcopos nimirum non habere jus de controversiis judicandi in Synodis, Quamvis non sigillatim hæc ita distinguat D. Sibrandus, uti Anonymus. Nam hoc unicum inculcat Sibrãdus electiones & iudicia de rebus fidei ideò non esse Pastorum, quod ex publico ærario alãtur. Sed si largiamur hoc Anonymo,

nihil salsi affinxit D. Grotio Sibrandus.

Passim enim istam judicandi de prophetiis potestatē exagitat & rejicit. vide pag. 35, 48. Nam cum sibi objicit Constantinum reliquisse Episcopis in Synodo Nicæna judicandi authoritatē de prophetiis, ita respondet, ut vel solus Imperator hoc jus sibi reservet, aut saltem in aliquem partem veniat. Sed si illud jus Imperatoris cum Episcopis ipsis partiatur, nullum habet adversarium. Nam & hoc nos servato suo ordine dicimus. Atque ita ponit & stabilit Collateralitatem, quam tantopere oppugnant, Hæret igitur hic ipsi aqua. Pag. enim 47. sic intulit.

Nullane hic erit Magistratus cognitio? nullæ partes? Si iudicium aliquod de rebus Ecclesiasticis, quæ in Synodo agitantur, Magistratui ἀνυπεύθυνῳ permittis Sibrande, cur non clarè id exponis? etc. Sin verò hoc ad eum non pertinere ex animo sentis, etc, Observa hic Grotii voces. Primū quærit, an nulla cognitio, nullæ partes Magistratus? non sanè id quæsitum oportuit, quum hoc à nemine negetur. Deinde quasi ex concesso concludit dilemmate, si aliquod iudicium ipsis permittitur, cur non exponatur? si verò nullum, totam antiquitatem refutare ipsum docet.

Sed bene habet, quod de aliquo iudicio hic loquatur. Nam contra conscientiam ipsum scripturum fuisse putarem, si de nullo dixisset. Sed cum subiungit, *sin verò hoc* ad eum non pertinere sentis, quærendus est, an intelligat *hoc omne judicium*, an verò *hoc aliquod* iudicium? Si illud, sibi contradicit. si hoc, cum umbra sua pungat. Neque etiam secundum ipsius sensum rectè conciliare possum hæc duo, quod Magistratum ἀνυπεύθυνον, hoc est, supremum, nec cuiusquam imperio obnoxium esse, & non omne, aut totum iudicium de rebus Ecclesiasticis in ipsum competere dicat. Quod igitur ille supra quæsivit de Magistratu, hoc ego de Ecclesia.

Nullane hic erit Ecclesiæ cognitio, nullæne partes? Si neget, antiquitas & se ipse confutabit. Nam quod Ecclesia in partem iudicandi admitti debeat, probant exempla pag. 48. 49. allegata. Theodosius dicitur ἐπιψηφίζεσθαι ea quæ in Constantinopolitana Synodo sunt acta, hoc est, placita Synodi sua subscriptione muniviſse. In Chalcedonensi ἐψηφίσαντο Episcopi non minus quam οἱ ἀπὸ τῆς συγκλήτου βουλῆς, hoc est, decreverunt & definierunt.

runt. Episcopi una cum glorioſiſſimis Iudicibus Dioſcorum damnarunt. In Concilio Conſtantinopolitano non ſolum Imperator, ſed & Synodus iubent. Pagina quinquageſima prima. In Epiſtola Concilij memoratur ψῆφος τῆς Συνόδου.

Ipſe Dominus Grotius pagina quadrageſima nona *ſublegerant* (inquit) *quidam nuper Bellarmino hanc reſponſionem, Conſentientes Imperatores, non definientes ſubſcripſiſſe. Sed iam dudum eam exploſit Whakerus, & oſtendit Epiſcopos interdum uſos conſentiendi, & Imperatores aut eorum legatos definiendi vocabulo, quanquam alioqui conſenſus quoque ſine iudicio eſſe non poſſit.* Sed promiſcuè iſta verba uſurpantur; Nam non minus Imperatoribus conſenſus tribuitur, quam Epiſcopis. Sic enim p. 48. Poſtea Imperator legiſſe ſe ait & conſenſiſſe. In verbis Aurelianenſis Synodi, quæ extant pag. quinquageſima ſecunda. Conſenſus Clodovæi Regis expetitur. Quò etiam ſpectant quæ ſupra ex p. 52. 53. de confirmatione, approbatione, munitione & ἐπισφραγισμῷ Synodicorum decretorum ab Imperatoribus & Regibus diximus.

Deinde & hoc Epiſcopis tribuitur, quod etiam *definiverint* & ſtatuerint. Sic enim Patres Synodi Aurelianenſis ad Clodovæum: ea quæ nobis viſa ſunt, *definitione* reſpondimus, ita ut ſi ea, quæ nos *ſtatuimus*, etiam veſtro recta eſſe iudicio comprobantur. Verum ſufficit nobis, quod de conſenſu dixit, eum non eſſe poſſe ſine iudicio. Sin enim Eccleſiæ tantum conſenſus tribuatur, ſequitur etiam iudicium ad ipſam pertinere.

Ne igitur κυβευτικοῖς λόγοις utamur, hoc diſertis verbis docemus in iudicijs Synodorum legitimè conſtitutarum ſuas eſſe Magiſtratui partes, ſuas Eccleſiæ: Quæ utinam ſemper coniunctis ψήφοις & ἐπιψηφισμοῖς, calculis & ſuffragationibus in unũ eundemque veritatis & juſtitiæ ſcopum collimarent?

Numerus Sexageſimus Primus ex pagina Centeſima Quinquageſima Octava deſumptus eſt.

VT ſatis mirari nequeam, quare tibi libuerit ſcribere electionis Miniſtrorum nullam eſſe certam regulam in ſcriptura traditam.

Quid enim? an exemplum Apostolicum non est nobis regula?

Duo hic dicit Anonymus. Vnum est, *quod Grotius non simpliciter scribat nullam esse legem, sed nullam; nisi ut servaretur* εὐλαξία *καὶ* οἰκοδομὴ. Alterum est, *exempla non facere regulam mutatis circumstantijs.* Et addit, Idem planè quod Grotius, *defendere firmissimis argumentis Reverendiss. Bilsonum. caput 15 de perpetua Christi Ecclesiæ gubernatione.* Quod ad primum fateor hæc verba in Pietat. legi pag. 64. *Nulla ergo certa lex electionis fuit in prima Ecclesia, nisi ut servaretur* aliqua εὐλαξία, *& fierent omnia* πρὸς οἰκοδομὴν. Sed tamen, cum pag. 63. sibi moviſset hanc obiectionem, *quod Apostolicis temporibus à summis potestatibus non sint electi Pastores,* inter cætera ita respondet: *Notandum tamen ne illis quidem temporibus unam* atque *perpetuam fuisse electionis rationem.*

Probat hoc inde, quod alij immediatè à Christo vocati, alij sorte electi, alij ab uno Apostolo, alij à pluribus in Ecclesiis creati, & constituti, alij denique à tota multitudine electi. Si etiam hoc non voluisset dicere, quo pacto infringere istam obiectionem tentasset? Nam hoc negare non potest istis Apostolicis temporibus penes Ecclesiam resedisse ius electionis. Quæritur ergò, an tunc ius istud fuit in perpetuum ab Apostolis constitutum, an verò ad tempus illud usurpatum? Hoc ultimum affirmat D. Grotius. Cur? quia variatum fuit in electione. Sed duo in electionibus observanda sunt. Vnum quod ad essentiam earum pertinet & perpetuum est, Alterum quod electionibus accidit, & mutatur.

Sed essentia tunc semper una, atque eadem mansit; Hoc autè est in vocationibus essentiale, quod Ecclesia ipsa eligat. Hic nihil unquam mutatum, quamvis ratio, & modus electionis subinde varius fuit. Dicit rationem εὐλαξίας καὶ οἰκοδομῆς tunc habitam fuisse. Sit hoc ita. Quomodo autem jam erit ἄταχτον καὶ οὐκέτις οἰκοδομὴν ἀλλὰ εἰς καθαίρεσιν Ecclesiæ, si Ecclesiæ benè constitutæ hoc ius eligendi suos Pastores relinquatur? Praxis denique & exempla veteris Ecclesiæ sub Imperatoribus Christianis abundè testantur esse tales electiones perpetui & ordinarii iuris in Ecclesiis. De modo nolumus litigare, modo sit ordinatus; de quo lege plura apud D. Sibrandum pag. 158. 159. Neque enim tam morosi, aut insciti sumus, ut omnium pedibus unum calceum

ceum induere velimus, quod in simili causa absurdum esse scribit Gualterus Tigurinus Danæo tunc Lugdunensis Academiæ Professori, hoc est, ut omnium Provintiarum & Regnorū Ecclesiis unum eundemque eligendi modum præscribamus.

Quod ad alterum membrum, verum est quidem exempla non facere regulam, sed in iis causis, quæ contrariam habent regulā, & ubi in contrarium alia exempla extant. Verum dari nobis velim hîc contrariam regulam, contraria exépla. Hactenus omnes veteres & novi Doctores & Interpretes ex istis exemplis nobis regulam & legem condiderunt. Absque hoc nulla certè regula Ecclesiæ hac de re fuisset præscripta, aut si aliam aliquam habeant, ostendant & exhibeant nobis.

Cur etiam D. Grotius in tuenda sua opinione ad antiquitatē, quæ in exemplis conspicitur, nos remittit pag: 472 & passim. Cur Anonymus ad ipsa exempla à Grotio allegata paginis dictis nos revocat? Si ipsis nihil aliud quam exempla suppetunt, atque ea extra scripturam, cur rejiciunt ea exépla, quæ ex sacra scriptura sumpta, & postea perpetuo Ecclesiæ usu fuerunt roborata?

Quod de mutatis circumstantiis adjicit, eæ sanè non tantum possunt, ut substantia ipsa mutetur, hoc est, ut electionis jure fraudari debeant Ecclesiæ, nisi probare possint Apostolicis & sequentibus temporibus Ecclesias hoc contra fas usurpasse, illudque hactenus possedisse iniusto titulo, quod suum non erat. Reverend. Episcopus Bilsonus p: 423. rectè quidem dicit, adversus caput ne caput sit, ac pedibus præsit. nullam temporis longinquitatem præscribere. Sed si Ecclesiis reserventur iura electionum & ordinationum, Principes non desinunt suo modo caput Ecclesiæ & Reipub. esse. Divina illa dispositio, qua caput in corpus habet imperium, est perpetua & æterna lex Dei. Sed divina illa dispositio habet suum ordinem & suas leges. Aliter enim Princeps est caput Ecclesiæ, aliter caput Reipub. Ecclesia etiam sub corpore toto comprehenditur, cui præest Rex solus. Sed interea habet etiam istud corpus suum caput Christum, habet quoque suas leges peculiares, quæ sunt immotæ, & quibus Principes ut Christiani subsunt.

Sed quæ sunt istæ circumstantiæ? Nullæ hic memorantur. Puto tamen præcipuam esse, quod Magistratus, qui antea Paga-

nus iam Christianus sit factus. Verum ideone everruntur & nō magis stabiliuntur electiones *Ecclesiæ*? Si cum fide Christi ad Principes devoluta sunt etiam iura Ecclesiæ, cur *Pastorum* examina, ordinationes, & si quæ similia non ipsorum iuris etiam facta esse dicent? Si nutrire ipsi & fovere Ecclesiam debent, quomodo subducent hoc *Ecclesiæ*, unde se *Ecclesiam* Christi gaudent esse? Vocatio iusta & legitima est unicum ostium, per quod in ovilis pasturam intrabunt pastores. Non igitur rectè audient & sequentur oves *Pastorem*, quem non suum agnoscent. Hunc enim suum libenter agnoscent, quem ipsæ expetiverunt, elegerunt, & cum publica authoritate sui Magistratus vocarunt. Quid enim & quatenus Magistratus Christianus pro *Ecclesia* hac in re præstabit, iam supra audivimus.

Quod ad D. Bilsonum, argumenta ipsius, sunt argumenta Grotii, quæ iam pro ratione nostri instituti satis sunt excussa, loquor de argumētis, quæ ex antiquitate & historia vetere sunt deprompta. Nam quæ ex ratione sunt hausta, illa magis loco & statui istius Regni conveniunt:

Nam ita Bilsonus p. 429. *Forsan vobis in quibusdam à more Genevensi recedere videmur. Nec immeritò id quidem. Ille n. in populari statu, nos sub Regali vivimus. Populi illic major potestas, hic Principis &c.* Quid autem ipse sentiat de electionibus *Ecclesiæ*, hoc pag. 413. aperuit. *Alioquin verò (tacente Spiritu Sancto) cuivis Ecclesiæ ac populo (quibus consensu, more, vel lege prohibitum non est) IVRE divino liberum esse fateor, ne quem admittant, aut suis sumptibus alant, nec omninò ei tanquam Pastori morem gerant, in quem ipsi prius non consenserint. Atque hac ratione popularis electio per se, vel rectores suos ab ipso humanæ societatis & communionis firmamento profluere videtur.*

Ex pagina Centesima Quinquagesima Nona Confecit hunc Numerum sexagesimum secundum.

CONfundit (inquit D. Sibrandus) χειροτονίαν καὶ ἐπίθεσιν τῶν χειρῶν. Anonymus scribit. *Malè dicuntur confundi quæ*

idem

idem sunt. Provocat iterum ad Bilsonum, qui capite sexto, folio centesimo decimo, ita: *Quo factum est (ait) ut apud Ecclesiasticos scriptores idem prorsus valeat* χειροτονεῖν, *quod* χειροθετεῖν: *Et plurimis testimonijs id confirmari ebidem dicit*. Respondeo rectè dici ista duo à Grotio confundi. Non enim unum & idem sunt. Docet enim hoc natura & ratio utriusque vocis. Nam χειροτονῶ est παρὰ τὸ χεῖρας ἀναλέινειν. Et χειροθετεῖν παρὰ τὸ χεῖρας ὑπιθεῖναι. Pueri enim iam nôrunt ὑπιθέιναι & ἀναλέινειν diversæ esse significationis, Imponere & protendere. Quod autem χειροτονία apud Græcos Veteres designet, quæ sublatis manibus fit in comitijs populi, electionem, non negat ipse Bilsonus pag. centesima nona, qui dicit hoc verbi esse etymon, quod diximus, & primò, aut propriè manuum elevationem notari.

Exempla nimis multa in Scriptis Veterum occurrunt. Cicero ipse pro Flacco, de populo dicit: Porrexerunt manus ψήφισμα natum est. *Signum* igitur suffragij erat apud Græcos manus attollere. Et sine dubio inde ad *Ecclesias* istas, quæ in Græciæ civitatibus tunc erant collectæ, iste mos dimanavit. Sed hoc concedo postea istam vocem usurpatam pro omni electione & decreto, quocunque id fiat modo, sive per elationem manuum, sive aliter. Non aliter quam ψηφίζεσθαι, ὑπιψηφίζεσθαι, συμψηφίζεσθαι. significant quovis modo decernere vel solum vel cum alijs, etiamsi propriè nullæ ψῆφοι vel calculi usurparentur. Talia enim verba multa reperiuntur, quæ, veteri ritu obsoleto, retinent tamen communem quandam significationem.

Hoc Bellarminus de Clericis libro primo capite septimo, p. 418. & ipse Bilsonus fatetur; *Nam etiamsi hoc verum* (inquit) *propriè & primò manuum elationem significet, electionem tamen quovis modo factam secundaria quadam notione declarat*. Atque hoc modo passim apud Ecclesiasticos scriptores usurpatum invenies: Imò non aliter sumitur Actor. 10. 41. Vbi Apostolos vocat Spiritus sanctus μάρτυρας τοὺς προκεχειροτονημένους, non qui extensione manuum à Christo electi, sed qui solum ab ipso prædesignati, creati, & constituti essent. *Et* 2. Cor. 8. 19. dicit, Lucam χροτονηθέντα ὑπὸ τῶν ἐκκλησιῶν, Ecclesiarum plurium suffragijs delectum, ut Paulo in itineris & operis societatem adiungeretur,

iungeretur. Quamvis hoc loco etiam in prima significatione commodè accipi posset. Ipse Bilsonus pagina centesima decima sexta agnoscit in epistolis, quæ Ignatij feruntur, aliquoties pro qualicunque electione sumi. Epistola sexta ad Philadelph., & Epistola octava ad Polycarpum.

Quod autem porrò Bilsonus dicat apud Ecclesiasticos scriptores χφροτονεῖν idem prorsus valere, quod χφροθετεῖν, manus imponere. *Extendi enim manus oportet, quod est χφροτονεῖν, priusquã alterius capiti possint imponi, quod est χφροθετεῖν.* Partim verũ, partim coactum est. Verum est, quod Synecdochicè vox ista χφροτονίας pro actu ordinationis sacræ plærumque capitur, quò etiam referenda sunt plurima testimonia illa, quæ ex Concilijs, & Græcis Patribus, præsertim Chrysostomo adduxit.

Sed hoc perquam coactum est, quod notio ista Etymologiæ inde surgeret, quod manu prius extentâ & elatâ χειροθεσία capitis fieret concurrentibus duobus istis ritibus, in unico isto opere. Nihil quidem est notius, quam manus alicuius capiti non posse imponi, nisi subleventur, & protendantur: sed hæc mysteria non delitescere in etymo vocis istius χφροτονίας quis non videt? Nemo autem doctius, distinctius, & certius de hac voce disseruit, quam Iunius olim ornamentum & unicum decus Academiæ, imò Ecclesiarum totius Hollandiæ. Sic enim ille contra Bellarminum, qui eodem effugio, quo Bilsonus & Grotius, usus est ad eludenda aut elidenda populi suffragia, & electiones, pag. 50. ad controversiam quintam, quæ est secunda primi tomi, declericis, ad ista verba Bellarmini, significat χφροτονεῖν *apud Ecclesiasticos, ordinare per manuum impositionem*, sic annotavit: *Nempe σωνεκδοχικῶς pro eo, quod est, electioni communiter ab Ecclesia factæ adiungere sese, & electos ritu singulari ac proprio obsignare impositione manuum.* Aliud χειροτονία, *aliud* χειροθεσία, ἡ χειρῶν ἐπίθεσις *ut vocatur à Paulo.* 1. Tim. 4, & Heb. 6. & alibi. *Est propriè* χφροτονία *suffragij per manum significatio rogante in foro præcone Athenienses, in Ecclesia Episcopo. Ut enim præco dicebat solenni formula,* ὅτῳ μὴ δοκεῖ ὅδε, ἧ ὅδε, ἀράτω τὴν χεῖρα, aut ex contrario, ὅτῳ δοκεῖ, &c. *Ita faciebat olim Episcopus, & post rogationem quæ facta erat, suffragium annuens ait Photius in lexico* χφροτονία *dicebatur, renuens verò* ἀποχφροτονία. *Postquam vero ex complurium suffragiorum comporta-*

tione

tionè decretum factum erat, fiebat in eum hominem, qui electus erat suffragijs, χϕροθεσία vel impositio manuum, quasi solennis missio in possessionem honoris illius ex decreto: quemadmodum legitur Actor. 6. & 14. Et 1. Tim. 4. & 5. Et 2. Tim. 1. *Quum autem hæc duo semper conjuncta fuerint, ut antecedens & consequẽs, obtinuit usus ut per σωεκδοχὴν sive μεϑάληψιν unâ eademque voce actio ista tota significaretur per modum intellectus (ut loquuntur) antecedens ex consequente, et consequens ex antecedente colligendo. Non ergò χϕροτονεῖν per se ordinare est, sed figuratò loquendi modo. Quod jam ad istum locum controversum* Actor. 14. *nolunt hic illud* χϕροτονεῖν pro electione per suffragia populi accipere, sed pro ordinatione solenni, quæ sit per impositionem manuum. Vide Grotium p. 63, & Bilsonum pag. 117. Bellarminum, qui pag. 419. dicit Paulum & Barnabam non ad suffragia populi creasse presbyteros, sed ad propria sua suffragia tantum. Non enim τὸ χϕροτονήσαντες ad populum, sed ad prædictos Apostolos esse referendum.

Sed rectò Iunius. τὸ χειροτονῶν *est actus communis & particularis simul, quo unusquisque pro se eligit suffragio suo particulariter & cum alijs communiter, ac proinde* χειροτονεῖν *est eligere suffragio, & alieno & suo: quæ duo cum in actione ista conjuncta sunt, imperitè opponuntur & dividuntur. Nam exempli causâ si quis in Ecclesia Paulus rogationem fecit, certè post rogationem & Ecclesiam eligentem vidit significatione manus, & ipse significatione sua astipulatus est, proinde & rogatione & sig io* ἐχειροτόνησε. *De Barnaba judicium idem & de Presbyterio. Quapropter singularem actum, quod isti astruunt, negemus propriè extitisse, quia communis omnium.*

Hucusque Iunius. Neque aliter reliqui interpretes ad istum locum commentati sunt. Ipse adeò Musculus diu antè Bezam ita scribit in locis pag. 181. *Exemplo itaque & dispositione Apostolica in prima Ecclesia Presbyteri, Pastores, et Episcopi, Diaconi quoque ab ipsa plebe in conventu Ecclesiastico per* χειροτονίαν, *elevationem manuum eligebatur, quam vocem Lucas Actor. 14. et Paulus 2. Cor. 8. usurparunt: atque ita legitimè electi ab Episcopis et senioribus, qui electioni aderant, oratione et impositione manuum confirmabantur et ordinabantur.*

Et D. Plessæus de Eucharistia pag. 609. ex Eusebio lib. 6. histor. Eccles. cap. 22. probat omnem populum Constantinopo-

litanum convenisse in Ecclesia χειροτονίας ἕνεκεν. *Et dicit χειροτονίαν hic non significare ordinationem, sed electionem, qua manu à singulis exporrecta fiebat.* Imò ipse Grotius pag. 71. quod in Novella sua Iustinianus dixerat χειροτονίαν Episcopi, hoc ille vertit Electionem Episcopi

Numerus Sexagesimus Tertius ita legitur ex pagina Centesima Sexagesima Sexta.

Vrges me edicto Caroli V. &c. Sed quid hoc ad me, qui præcipuè Frisiam, in qua vivo, respexi? Anonymus hic iterum falsi insimulat D. Sibrandum, & citat ex Præfat. pag. 31. hæc verba,

Populus autem ut à majoribus acceperat, vocandi Pastores suos & sacrorum Ministros jus habebat &c. Atque ita in usu & possessione juris sui tum populus tum Magistratus permanebat. Nec hoc jus Hispaniarum Rex ad ultima usque pacis tempora sustulerat. Hoc igitur jure suo utens Ecclesia qualibet apud nos in his Belgicæ societatis Provintijs idem populus Pastores suos & verbi Ministros vocat. Claudit hoc epiphonemate suo cum stomacho. *hæcne tam apertè falsa defendi?* Verum mi homo, non hic falsa, multò minus tam apertè falsa defenduntur. Collige te & expende diligenter quid hic D. Sibrandus dicat. Non negat absolutè edictum Caroli ad Hollandiam pertinens ad se spectare, sed se cum hac de re ageret, *præcipuè* Frisiam respexisse ait. Qui ad Frisiam isto modo restringit hæc, non excludit reliquas Belgicæ societatis Provintias. Non diffiteor verba ista in communi totũ fœderatum Belgium complecti, sed interim non dubito, quin mentem suam in Frisiam conjecerit, de cuius statu sibi certiora erant comperta, quam de alijs Provintijs, utpote in qua diu vixerat. Tu ex adverso videris, quomodo D. Grotium excusabis, qui tam confidenter p 85. dicit, istud *OMNE*, quod de hoc jure Ecclsiarum Belgicarum Sibrandus scripserat, commentitium esse. Nam neque de omnibus fœderati Belgij Provintijs verum est, quod ibidem dicit, morem scil. hunc à Maioribus traditũ fuisse, ut omnibus paroeciis non populus sed princeps Pastores daret. Sed quid fiet istis Provintijs quæ non habuerunt Principem? In Frisia sanè iste-

mos non

mos non fuit antiquitus observatus, quod præter edictum Caroli V. Imperatoris à Sibrando allegatum, consuetudo & usus istius Provintiæ hodieque testatur.

De reliquis Provintiis apud Grotium etiam altum silentium, excepta Hollandia. Quomodo igitur iam ad solam Hollandiam istud restringit, quod modò de omnibus Provintiis etiam affirmasse videtur. Et ipse Anonymus numero septuagesimo quinto, scribit Grotium pro sua Hollandia solum loqui. Sed quæ de Hollandia recitantur exempla, illa magis privilegia particularia sunt, & talia quæ solummodo ad Cameram Principum pertinebant; qualia & illa erant, quæ in edicto Caroli à D. Grotio allegato extant. Hoc enim certum est eiusmodi iura collationum *quarundam* Ecclesiarum, Præbendarum, & custodiarum in multos Principes competere. Apparet hoc saltem ex verbis, huius edicti; Nam ibi Imperator expressè non de omnibus, sed de *MULTIS* beneficiis, ut Ecclesiis, Præbendis, &c. loquitur, quorum *alia* ad suam collationem, *alia* ad collationem præfecti sui spectabant.

Quiritatur etiã ea ab aliis possideri, adeoque in quosdam collata esse, & quotidiè conferri. Præcipit igitur, ut *Quicunque* beneficia *aliqua* possidet, iisque fungitur, aut suo, aut alieno nomine, titulos suos ferat & mittat. Hinc sequitur Imperatorem non dicere se ius ordinarium & absolutum in omnes Ecclesias aut electiones omnium Pastorũ in tota Hollandia & Frisia habere, sed de privilegiis suis loquitur in conferendis *quibusdam* beneficiis sibi *subreptis*.

Et huc spectat quod de Frisia ibi etiam addit. Nam iam ex altero isto præfato edicto compertum est, Frisiis ius istud eligendi suos Pastores reliquisse. Neque dubito quin idem aliis omnibus Provintiis fecerit, nisi quatenus Pastoratus quidam imò Episcopatus & Abbatiæ inter politicas dignitates, & potestates seculares numerentur. Nam mos ille electionum per clerum & populum jam inde ab Apostolicis temporibus cum ipsis Ecclesijs ubique locorum cæpit, & passim inolevit, etiam sub Papatu.

Quod porrò de Dioecesibus subjunxit p. 68, quas à Principibus mandatas dicit, non sibi constat, aut potius fluctuat. Nam exempla nonnulla recenset Regum, qui *Episcopatum* Traiecti-

num sua auctoritate conferebant, quibus volebant, Interea fateri cogitur non semper hoc factum fuisse, imo ex diplomate Conradi Svevi Imperatoris, anno millesimo centesimo quadragesimo quinto, tradit ius eligendi Episcopum concessum fuisse præposito, Decano, & capitulo duarum Ecclesiarum. Ex Chronico autem Iohannis de Beka, quem hic aliquoties laudavit, apparet in manibus Cleri & populi fuisse electiones istorum Episcoporum iamsinde ab ipsis primordijs. Narrat enim pagina decima septima, post mortem Frederici Episcopi qui anno Christi 838. à satellitibus Imperatricis cæsus fuit, altercationē ortam inter Clerum & populum super electione. Et pagina vigesima quinta. Aufridum Episcopum decimum octovum ab Ecclesia traiectensi electum anno circiter Dccccxciiii. Quapropter miror D. Grotium ex eodem Beka & hoc inter sua exempla recensere ausum fuisse, quod Rex Conradus Salicus Bernulfo tradiderit Episcopatū, quum ab ipso de uxoris puerperio felicem nuntium accepisset. Nam quum historia ista, prout ab ipso Beka est in Chronicon suum relata, rectè expenditur, planè ipsius sententiam evertit. Dolus hic igitur detegendus erit. Sic enim res habet, verbis istius Becæ p. 27. *Post obitum Adelboldi Episcopi quotidianus tumultus in electione novi Pastoris contentiosi fuit. Hanc ob causam Conradus Rex Trajectum descendit ad supprimendam discordiam adducens secum* Giselam *uxorem suam decentissimam. Sed quoniam eadem Regina erat gravida, imò puerperio proxima, reliquit eam in pago Oesterbeke apud quendam Presbyterū, cui Bernulphus erat nomen. Rex autem perrexit Trajectum & Capitulum ad unionem pacis informare studuit. Tandem invalescente discordia graviori, totum Capitulum compromisit in arbitrio Regis præsentare virum discretum ac idoneum, qui dignus esset gubernare tantum Episcopium. Interea Regina peperit ibi infantem, & transmisit Regi nova gaudia per istum Bernulphum sacerdotem, Rex gaudio exsultans pro ista desiderata legatione tradidit eidem Presbytero Trajectense Pontificium.*: Notabile exemplum ex quo liquet penes Ecclesiam ipsam tunc fuisse Episcopi electionem; Et quod Rex in Bernulfum contulerit Episcopatum, hoc non suo iure & ex ordine fecisse, sed speciali compromisso & consensu Capituli pro tempore, idque ad dissensiones, & contentiones, quæ tunc aliter

tolli

colli nequibant, comprimendas, Et cur Ecclesia ista hoc antiquo suo jure fraudari debeat, non video, quum in aliis Episcopatibus conferendis Clerus & populus semper primas tenuerunt. Beka narrat de Episcopatu Moguntino pag. 8 post mortẽ Antistitis, anº circiter D. CC L. disceptarum fuisse inter primates & prælatos de successore, ideoque Carolum Ducem *postulasse*, ut Vinfridus Anglus qui Bonifacius deinde fuit nominatus, Moguntinæ sedi præficeretur, Quod etiam obtinuit. Electus enim tunc ille fuit Moguntinæ urbis pastor. Non mirum autem est, Reges Francorum & Comites Hollandiæ eo tempore in mandandis istis Ecclesiæ functionibus plurimum valuisse.

Multum enim ipsorum intererat quis istis summis thronis præsideret. Erant enim tunc, ut dictum est, magis Principatus seculi, quam Episcopatus Ecclesiæ, & multum in Imperio & Comitatu poterant: vide etiam D. Sibrand. pag. 165. Fatetur ipse Grotius p. 70. urbem ipsam Trajectum cum vicino agro atque oppidis *Principem* habuisse ipsum Episcopum. Et apud Bekam legimus pag. 26. Adelboldum Episcopum Trajectensem decimum nonum gravissima bella cum Theodorico Comite Hollandiæ anº 1018. gessisse.

Sed ne longius evager, ex hisce supradictis cuivis manifestum erit, nihil falsi scripsisse D. Sibrandum, quod dixerit se præcipuè Frisiam respexisse. Sed ego addo, neque falsum omnino hoc fuisse, si etiam dixisset, in Hollandia, ditione ultrajectina, & alijs Provintijs istum morem & ordinem Pastores & Episcopos eligendi per Clerum & populum juxta veteres Canonas usitatum fuisse. Extraordinaria exempla non infringunt regulam.

Confirmationes autem & investijuræ per annulum & baculum, quæ erant Prncipum, non derogant electionibus Ecclesiæ ordinarijs, neque eas tollunt. Sunt enim ista ὑπάλληλα & subordinata. Verè D. Plessæus de Eucharist. lib. 2. cap. 8. pag. 613. *Addiderunt posteriora secula annulum et baculum sub Carolo Magno ejusque filijs. Baculum, ut ejus judicio subditam plebem regerent, corrigerent et sustinerent. Annulum, propter signum Pontificalis honoris, vel signaculum secretorum. Verius ille mos receptus fuit ex quo Episcopi magnorum feudorum Domini, quorum nomine Pontifices, Imperatores Reges fidem et hominium sibi præstare voluerunt, quos per scipionem*

& annulum investiebant, non secus ac Equites, et scutarios per lanceam, ensem, scutum.

Sequitur Numerus Sexagesimus quartus, qui cum superiore cohæret, & est ex eadem pagina Centesima sexagesima sexta desumptus.

VErba D. Sibrandi ita habent. Imò quid hoc omninò ad rẽ presentem? Non enim de Collatione, neque de præsentatione, neque de dispositione beneficiorum Ecclesiasticorum; neque de jure Patronatus; sed de Electione Pastorum ad Ministerium Ecclesiæ disputo. Anonymus respondet; Nihil magis ad rem præsentem facere. Cur ita? Nam Princeps Carolus ibi dicit Ecclesias ad suam dispositionem spectare, hoc autem nihil aliud esse, quam Pastorum electionem. Verum jam supra ostendi Carolum Imperatorem non agere in isto suo rescripto de ordinariis electionibus, sed de singularibus collationũ privilegiis, quæ ad ipsius Cameram pertinebant. Neque de omnibus Ecclesiis, sed *quibusdam* tantum loqui.

Sed si urgeatur responsum D. Sibrandi, qui negat ibi de Electionibus Pastorum agi; & hoc quoque defendi poterit. Nam meminit ibi tantum Carolus *collationis, præsentationis, & dispositionis beneficiorum*. Si verò ista diligenter considerantur, videntur illa aliud quidpiam significare, quam electionem. Electio enim est Ecclesiasticum quid in hac causa. Collatio autem est seculare negotium, loquor iam ex more & usu istorum temporum, Nisi electionẽ impropriè & largo modo accipere velis. *Atque ita distinguit Panormitanus apud D. Sibrandum in responsione Pietat. Grotij. Sic enim Cap. Quæcunque. Proprie præsentatio, non electio pertinet ad Patronum: Et alibi dicit, Repræsentatio proprè non est electio; quia per electionem acquiritur jus electo; per repræsentationem non acquiritur jus repræsentato. Vbi æquus lector notet eligendi verbum, cum patrono tribuitur, non proprie, sed largo modo accipi, ut idem Panormitanus*

normitanus scribit in Cap. Nobis enim. 4. & in cap. Quoniam enim 6. Quod denique sub dispositione Ecclesiarum dicat cõprehendi etiam Pastorum electionem, non sen per verum est. Nam ex praxi, & historia priscæ Ecclesiæ luculenter probatum fuit Christianos Imperatores & Principes sic de Ecclesijs multa disposuisse, ut tamen ijsdem jus electionum reliquerint.

Accuratè disseruit nuper hac de re D. Henningus in tractatu de Exemtione Clericorum, pagina trigesima quinta. *Proinde* inquit *distinguendum est ministerium à beneficio, Spirituale à Carnali, Ecclesiasticum à seculari. Et ad ministerium quidem eligi Clericos à Doctoribus & tota Ecclesia sacris literis & consuetudini antiquæ consentaneum est: sed beneficia conferre ad jura maiestatis pertinet, iamq; olim eorum distributionem ad temporalem iurisdictionẽ pertinere Marsilius Patavinus ad Ludovicum IV.* Imp. *scribit lib de transl. & mutat. Imp. Unde & Practici in Gallijs hoc ius Regalibus asscribunt, & Imperatores quam diu eo usi sunt, se eo uti tanquam iure Regio protestati sunt, ut notat Æmilius* libro quinto. *Nec non Philippus Rex in Epistola ad Bonifacium* VIII. ait: *ALIQVARVM ECCLESIARVM & Præbendarum vacantium collationem ad nos iure Regio pertinere, &c. tuemur.* Idem in Anglia, Hispania & alijs Regnis receptum fuisse ibid. probat. Et mox illustrandæ toti huic causæ sic scribit: *Sed quia ministerium feudo adhærebat, & hoc potius spectari solebat, quam illud, hinc factum est, ut cui feudum dederãt Principes, eidem & Ministerium una dedisse viderentur, & sic nominatio Ministri cum collatione feudi confundi cæpit.* Idem pag. 31. *Quod olim,* inquit, *in Concilijs & antiquis Canonibus MINISTERIVM vocabatur, postquam possessiones accesserunt, ad imitationem phrasium in feudis usitatarum vocari cæpit BENEFICIVM,* Duar lib. 2. de Minist. & Benef Eccl cap. 3. Atque ita disertè notat & distinguit Salcolbrigiensis in Becanobacnlo pag. 167. *Collatio, ait, beneficiorum est mundanum quid, et res multò TERRESTRIOR, et prout iam in usu est VILIOR multo, quam quæ in Spiritualis Primatus minutis particulis numerari debeat.*

Numerus

Numerus Sexagesimus quintus ex superioribus pendet. verba hæc ex pagina eadem citavit.

Dico illud (jus Patronatus) ad stabiliendum Papatum Romanum introductum. Dicit hoc falsum esse Anonymus, & remittit nos ad ea, quæ sup. num. 13. notata erant. Sed idem & ego facio, & velim expendi responsum meum ad istum numerū. Sed quia ista sufficere non videt, hæc jam subiunxit Anonymus. *Papa (inquit) & Doctores Papales inimici sunt iuris Patronatus Laicalis, & inter eos Panormitanus, quia volunt ipsi omnia ad Clerum trahi. Sed Principes et ab ipsis ius habentes contra semper obstiterunt, unde non dissidia tantum, sed et bella.*

Ad extremum jubet adire Piet. Grotii pag. 62. Vt res planior fiat, Quæritur. An jus Patronatus sit introductum ad stabiliendum Papatum Romanum? Negat Anonymus: Ait D. Sibrādus. Quia autem duplicem Patronatum constituunt, Laicalem nimirum & Clericalem, Anonymus de Laicali se loqui affirmat, eiq; semper Papam ipsiusque Doctores adversatos fuisse, utpote qui omnia ad clerum trahere, & sua jura Principibus aliisque ditioribus, qui laici patroni apud ipsos audiebant, præripere conabantur. Primum respondeo multa in citandis istis verbis D. Sibrandi, quæ causam totam illustrant & explicant vafrè fuisse omissa.

Totus locus ita habet: *Sed quia hoc ius Patronatus admodum urget, paulò plenius de illo disseram. Ac primum dico illud in Dei verbo fundamentum non habere, sed esse posterioribus temporibus ad stabiliendum Papatum Romanum introductum. Tu cum sis Doctor iuris et Historiæ præsertim tam recentis non imperitus, fateberis libenter illud esse novum, et niti iure papali, atque ob eam causam Dei verbo præiudicare non posse.*

Tria hic dicit D. Sibran. 1. Ius Patronatus non habere in Dei verbo fundamentum. 2. Esse novum ius & posteriorum temporum. 3. Niti illud iure Papali. Duo illa priora non attingit Anonymus: hoc ultimum tantum excerpsit, introductum scilicet esse ad

essead stabiliendum Papatum. Deinde dico ista verba D. Sibrandi perperam ab ipso accipi, Nam videtur ita intelligere, ut per illud Primatum Papæ & dominationem in Principes stabiliri putet, ideòque ab ipso Papa introductum. Fallitur si ista κυριολεκτως sumantur. Aliud enim est Papatus Romanus, aliud primatus Papæ Romani. Per Papatum designat Sibrandus doctrinã & ius Papæ in condendis ac figendis legibus de Patronatu & aliis.

Hoc inde patet quod statim se explicat, quum dicit niti illud *iure Papali:* Et tamen non diffiteor primatum Papæ eatenus quoque stabiliri. Docent enim hoc omnes isti canones, adeòque totus ille titulus de Patronatu in Decretalibus. Qui enim leges ea de re condit, & omnibus Regibus totique adeò mundo præscribit, ille sibi summum ius in omnes arrogare videtur. Huc accedit quod omnes istos qui Ecclesias fundabãt & dotabant, talibus Collationum, præsentationum privilegiis ornavit & auxit Papa, ut ita ditiores ad maiorem beneficentiam erga se & suos pellicerentur.

Denique non parum hoc fecit Papatui stabiliendo, quod ipse Papa de toto hoc Patronatus iure ita disposuit, ut sibi & suis commodum & utile fuerit visum. *Ex* quo manarunt hæc decreta. Quod *Patronis* concessa tantum ex sententia sua & suorum Doctorum, præsentatio, & non electio, Quod nihil iuris ipsis Patronis Laicis in conventualem *Ecclesiam*, sed in Capellum tantum, aut Præbendam, Quod nec instituere Sacerdotem, neque destituere possint, Quod ius institutionis penes Episcopos sit; Quod administrandi bona *Ecclesiastica* potestatem non acquirant, & id genus alia, quibus iura hæc Patronatus *Clericalis* & Laicalis ita restrixit & coërcuit, ut ne quid detrimenti regnum ipsius acciperet.

Aliud etiam est loqui de iure Patronatus, quatenus illud iam apud nos obtinet in assignandis minoribus beneficiis & pensionibus ratione sanguinis ad promovenda studia iuvenum; aliud de Collationibus *Episcopatuum*, Archiepiscopatuum, Abbatuũ & id genus maximorum beneficiorum, quæ suam iurisdictionẽ secularem habent: Sed utrumque iam magis politicum, quam Ecclesiasticum est, atque ita utrumque pertinet ad cũram *Principum*

cipium propriè, & non Papæ, quatenus ille *Episcopus*, & non Tyrannus, aut *Princeps* secularis. Dudum enim explosum est illud τῶν κολάκων aut potius κοράκων Papæ dictum, Omnia scilicet beneficii totius mundi esse Papæ manualia.

Quod autem dicit Anonymus, Principes semper obstitisse Papis, verũ non est in hac causa. Neque enim uspiam legitur per *Principes* fuisse istas leges Papæ de iure hoc *Patronatus* abrogatas: Sicuti contra nusquam apparet Papas voluisse Laicis adimere ista iura Collationum & præsentationum, modo ipsis reservetur ius institutionis, aut investituræ. Sed hinc inter ipsos lites & bella sunt orta, quod ferebatur terminos in sacris literis & Conciliis priscis positos transiluisse utrumque. In qua culpa semper *Papæ* Romani maximè sunt deprehensi, qui Imperatorum iura omnibus modis imminuere & deterere studebant. Iactitabat enim se Oecumenicum caput, & *Pastorem* totius mundi non solum in spiritualibus, sed secularibus.

Illud non potuerunt pati cordati Imperatores & Reges, ideòque cruentis bellis sua iura tutati sunt. *Et* meritò quidẽ. Non tamen promovere tantum potuerũt, quin multa, quæ iuris sunt Imperatorii, contra fas & ius omne sibi *Papæ* arrogaverint, atq; etiam nunc usurpent. Breviter & verè exequitur hæc omnia Melanchthon in Orat. pro Luthero pag. 378. tom. prim oper. *Pontifices Romani adhuc modestè gerebant imperium à Carolo Magno usque ad Othonum tempora. Hic sacra profanis miscuerunt illi. Onerabantur tunc Germania, Gallia, & Hispania Pontificum legibus, Ne quis Episcopus citra Pontificis authoritatem habeatur. Ea res primum agrè doluit Imperatoribus Germanicis nihil non conantibus, ne serviremus, sed spiritu maiore, quam successu. Nam post Henricum primum regnavit in Germania Conradus, cui Salicam legem ascribunt. Is adegit Pontificem, vt Imperatoribus permitteret jus dicendi Episcopos Germaniæ. Sed statim vt domum rediit Conradus, quæ Pontifex donarat, revocat, & in Imperatorem formidabile illis temporibus fulmen torquet. Et postea tempore Henricorum armavit filium fortissimum adversus fortissimum Patrem, execrationibus & diris abalienavit ab eo studia Gallicæ & Germanicæ nationis. Et cur? Quod nollet Imperator Germaniam captivam fieri ac servam pessimorum hominum. Quod nollet Episcopatus Romanæ avaritiæ præda esse. Et hanc fuisse causam vel ipsum*

Gregorij

Gregorij VII. decretum tes atur, in quo hæc leguntur verba: Autoritate omnipotentis Dei, decer imus ac confirmamus, ut qui deinceps Episcopatum, vel cœnobium, vel aliquod aliud Ecclesiasticum beneficium à laico acceperit, nullo modo in numero Episcoporum, Abbatum, Clericorum censeatur. Sed sciendum non ademptum fuisse Laicis Principibus hoc jus præsentationis, sed investituræ Episcoporum & Abbatum, quæ ipsis jure proprio, & antiquo competebant, quam Henricus I. Angliæ Rex dicebat nolle se pro Regni amissione amittere. Sic n. inter Henricum IV. Imp. & Pascalem Pontificem (teste Sigonio lib. 10.) transactum erat, ut Imperator Episcopos & Abbates liberis suffragijs lectos sine simonia, annulo & virga investiret, Episcopique sic investiti liberè consecrationem ab Archiepiscopo, ad quem pertinuerint, sumerent: Qui verò à Clero & populo electus fuerit, verum ab Imperatore non investitus, à nemine consecraretur, Vnde & hoc apparet bella ista sacerrima non fuisse inter ipsos gesta ob Collationes beneficiorũ, aut Electiones quas Imperatores Ecclesiis relinquebant, sed electorum investituras, quæ grandi pecuniæ summa vendi solebant.

Sed quod ad nominationes, præsentationes, Collationes & Patronatus attinet, non displicet mihi moderatum judicium D. Sibrandi qui pag. 166, ita D. Grotium alloquitur: *Relinque Ecclesiæ libertatem eligendi Ministros, & non movebit illa tibi litem de collatione, Præsentatione et dispositione beneficiorum Ecclesiasticorũ, & iure Patronatus. Neque enim hæc inter se pugnant. Commode enim fieri potest, ut Ecclesia eligat ministros, & patronus vel alius quispiam, ad quem hoc ius pertinet, ad electionem ab Ecclesia factam consensum adiungat.*

Docet quoque pag. 170. ex sententia Ordinum Hollandiæ limitanda esse hæc iura Patronatus, aut revocanda ad tolerabilẽ quandam mediocritatem, ut ne Ecclesiarum libertati & Religionis reformationi obsint, quemadmodum etiam hac de re in Novis constitutionibus Frisiæ aliquid sancitum est. Ipse Saravia contra Bezam pag. 171. ita hac de re censet: *Ius Patronatus notum est: quod ubi authoritate publica receptum est, etsi reformatum nonnihil cuperem, tollendum authoritate privata non censeo,*

Nam hoc libenter profitemur sine ulla limitatione & reformatione

formatione istud ius Patronatus Apostolicis & Ecclesiasticis Canonibus adversari; Quod Panormitanus innuit, cum dicit servitium esse Ecclesiæ: Et ipse Beza in histor. Resurr. homil. 13. pag. 324. ita quiritatur. *Annon etiam cuilibet notum est pro Electionibus Christianis fuisse in Ecclesiam intrusos Patronatus, Indultus, collationes, resignationes, permutationes devoluta tam apertè tam directè, & ex diametro repugnantia omnia Ecclesiæ veteri, antiquis puris Canonibus, quam tenebræ luci sunt contrariæ.*

Numerus Sexagesimus sextus ex paginæ Centesima Septuagesima ita legitur.

Ademerunt Ordines Hollandiæ Patronoius præsentandi Pastorem Ecclesiæ. Anonymus hic iterum actionem falsi intētat. *Nam nihil tale in decreto isto extare scribit, Reditus totos addici usui Pastorum, sed à quibus hi eligendi sint, nihil istic dici.*

Respondeo de electionibus Pastorum in isto decreto nullam quidem expressionem mentionem fieri. Neque etiam hoc affirmat D. Sibrandus; sed inde colligit electiones Ecclesiæ usitatas ab ipsis Ordinibus approbari, quod beneficiorum reditus quibus annexa est cura animārum, integros converterunt in sustētationum pastorum Ecclesiæ, qui eo tempore erant. Reditus verò aliorum beneficiorum voluerunt converti in usum scholasticorum. Deinde quod confirmationem horum beneficiorum sibi reservarint, sed non itidem confirmationem illorum, quibus cura animarum est alligata. Hæc sunt eius verba pag. 171. *Nemo negaverit illos hoc decreto, quo decreverūt ut ministri qui eo tēpore Ecclesiam pascebant, à publico quæstore ordinaria stipendia quotānis acciperent, istos ministros, eorumque munus & electionem eo tempore receptam ipso facto confirmasse et approbasse, ut hoc rectè accipiatur, distinguunt Illustr. Ordines beneficia quæ non habent curam animarūm ab alijs, quæ habent curam. Illa relinquunt Patronis Laicis, sed non diutius, quam ad eorum vitam, ita tamen ut bessis redituum in scholasticos, alioſve usus pios conferatur & triens impendatur alendis Ecclesiarum*

rum Ministris, impetrata prius tamen ab Ordinibus confirmatione Collationis, quam (Placet) *vocitant.*

Hæc vero dicunt se excipere, utpote quorum reditus integros manere volunt in subsidium vitæ Pastorum. Quis igitur hinc non videt collationes Pastoratuũ Ecclesiis concedi sine ulla diminutione redituum, & publicæ authoritatis diplomate? Quod denique in fine addit, *plurima decreta pro iure patronatus extare etiam in Ecclesijs* verum est, si intelligantur ista verba (*in Ecclesijs*) pro (*in Reformatis his Provintijs*) Sed si putet decretis Ordinum, aut Ecclesiarum permissa esse jura Electionum Ministrorum, Patronis Laicis, verum non est: Nisi si in Hollandia, Ditione Groningana, & Vltrajectina tale quid hodiè fiat.

Ex pagina Centesima Septuagesima Prima decerpsit Numerum Sexagesimum Septimum.

Quod ad titulos attinet (*inquit* Sibrandus) *explicandum prius est, quid per eos intelligas, priusquam respondere possim. Video enim hanc vocem aliter à scriptoribus Ecclesiasticis, aliter abs te usurpari.* Anonymus primò negat D. Grotium eam vocem usurpasse, sed extare ait in edicto Caroli Imperatoris, in quo repertam vocem hanc Grotius nec mutare nec omittere potuit. Deinde exponit hanc vocem. Quis autem nescit (inquit) titulos esse documenta iuris Patronatus à Principibus accepti aut dotatione quæsiti? Sed respondeo nimis frivolum esse, quod hic carpit Anonymus. Quum enim Dominus Sibrandus dicit illam vocem à D. Grotio usurpari, designat etiam istum locum, qui in edicto Imperatoris est. Sed quia forsan Belgico sermone istud edictum conscriptum & missum fuit, reperit ibi vocem istam latinam, quam in versione retinuit Grotius. Quod igitur tituli in isto edicto illud significent, quod hic Anonymus annotavit, verũ est, etsi sciam Dominum Sibrandum putare de formulis commissionis intelligendos esse, quod tamen cum sensu & seriè verborum non congruit. Interim quod ex scriptis veterum Ecclesiastico-

rum de titulis Presbyterorum Romæ nos docuit D. Sibrandus, libenter amplectimur. Vnde manavit hodieque mos iste Papis observatus, qui suos Cardinales talibus Presbyterorum titulis insignire consuevit. Bellarminus ipse S. R. E. Presbyter Cardinalis decoratus est titulo S. Mariæ in via: quod omnibus ipsius libris præscriptum est. Sed de Cardinalium titulis peculiarem tractatum scripsit Onuphrius; videat etiam, cui hæc volupe est cognoscere, Bellarm ipsum de clericis, libro primo, capite decimo sexto, pag. 457. 458. Observo quoque olim titulos dictos causas vel capita, quæ in Synodis tractarentur, & apud nos iam (gravamina) vocantur. Patres aurelianensis Concilij in suis ad Imperatorem Clodovæum literis sic scribunt: *secundum vestræ voluntatis consultationem & titulos, quos dedistis, ea quæ nobis visa sunt, definitione respondimus.* Extant hæc verba in Piet. Grotij pag. 52. Et in præfat. concilij Aurelianensis V. *Quod conveniens est à præsente tempore in posterum custodiri (præstante Deo) signanter est titulis prænotatum.* Caranza in summa concil. pagina ducentesima quadragesima quinta.

Sequitur Numerus sexagesimus octavus, qui ex verbis paginæ Centesimæ septuagesimæ septimæ ita collectus est.

Hollandiam ipso facto hunc eundem ordinem approbasse, docet Synodus prima nationalis Anno Millesimo quingintesimo septuagesimo octavo Dordraci habita. Anonymus nimis petulanter sic respondet: *Hollandia hoc non probavit, quia ab Ordinibus non est confirmata Synodus; Synodus autem Hollandiam non repræsentat.* Si loquitur de solenni & expressa authorisatione & promulgatione, concedimus. Sed si de tacito & implicito consensu & promissione, negamus. Sed neque primum illud simpliciter dicit Dominus Sibrandus. Tantum ait *ipso facto* hoc approbasse, ideò scilicet quod passa sit Synodum Nationalem Dordraci haberi. Neque hoc solum isti rei probandæ sufficit. Nam & hoc accedit, quod Princeps Auraicus & Ordines speciali decreto

suo

suo consenserint in istam Synodū, adeòque tēpus & locum Synodi designarint. Deinde quū ipsis capitula & articuli fuissent oblati, non fuerunt palam reiecti, sed silentio & usu posteriorū temporum approbati. Sed sunt & alia argumenta taciti Ordinum consensus & approbationis. Sibrandus ibi attigit & hoc. Semper enim dicit observatum fuisse in Hollandicis oppidis, ut ex iis qui ibi magistratumq; gerebāt, in presbyteros & Diaconos nonnulli eligerentur. Quid igitur illi aliud, quam ordinem præsentem approbarunt? Deinde post habitam Synodum Hagiensem, Anno Millesimo quingentesimo nonagesimo primo, cum Ordines Hollandiæ, qui tamen Ministros ad istam Synodum publicis suis literis evocarant, statutis omnibus istius Synodi astipulari detrectarent, hæc tamen decreverunt.

I. Neminem ad functionem Ministerii vocandum, nisi qui legitinè examinatus & admissus fuerit. II. Omnes Ministros, qui in doctrina & vita exorbitarent, Ecclesiasticæ disciplinæ obnoxios esse: cuilibet tamen, qui censuræ iniquitate se opprimi putet, ad Synodum particularem provocare permissum esse. III. Synodum singulis annis convocandam, ad quam nomine Ordinum Provintiæ mittendi essent, qui præsiderent. Vide Acta Synodorum Nationalium nuper Delfis impressa. In istis insertū est decretum illud p. 83. Hæc fuit hactenus forma, & exemplar omnibus Ecclesijs Hollandicis propositum, ad quod istæ publica authoritate administrari debuerunt. Ex quo sanè conspicitur Ecclesijs jus eligendi & dimovendi Ministros, covneniendi in Synodis, Statuendi, & definiendi de rebus Ecclesiasticis relictū fuisse ab Illust. Ordinibus Hollandiæ. Hisce denique addi debet, quod post id temporis in singulis particularibus Synodis Delegati Ordinum præfederint, atque ita totum Ordinem & regimen Ecclesiarum præsentia, consilio, & authoritate sua muniverint & confirmarint. Atque hinc apparet Anonymum non tam ferociter debuisse inclamare, Hollandiam scilicet non probasse ordinem præsentem Ecclesiæ. Synodum Nationalem Dordracenam non repræsentare Hollandiam.

Numerus

Numerus Sexageſimus nonus ita habet.

QVI poteris illos ab iniuſtitia excuſare, quod illud quod Magiſtratus erat, ipſorum interceſſione à Magiſtratu auferretur? pag. 178. Anonymus inſtar Prothei in omnes formas ſe mutat, ut elabatur, multa enim hic in unum congerit, quæ tamen non infringunt cauſam Sibrandi. Sed ut res tota dilucidior fiat, proponam hic totam περικοπὴν. Sic n. ibi D. Sibrandus: *Cum annis ſuperioribus (de vocatione Miniſtrorum) lis eſſet inter Ennonem Comitem Ooſtfriſiæ & ſubditos ipſius. Comes contendebat electionem Miniſtrorum Eccleſiæ ad ſe pertinere iure Patronatus, & de eo ultra ſexaginta annos præſcriptionem prætendebat. Subditi contra nitebantur, & docebant electionem paſtorum pertinere ad Eccleſiam.*

Hæc controverſia intercedentibus Ordinum Generalium legatis ita compoſita eſt, ut Comes liberam electionem Paſtorum reſtituerit ſubditis, & ſibi confirmationem ſolummodo reſervaverit, atque ita hac lis vel ſublata, vel ſopita eſt. Sed viſne mihi perſuadere Ordines Generales, qui ſua interceſſione effecerunt, ut ſubditis aliorum Principũ hoc ius longo tempore intermiſſum reſtitueretur, velle hoc ipſum à ſubditis ſuis, qui eo hactenus uſi ſunt & adhuc utuntur auferre? Aut viſne hac tua rhetoricatione efficere, ut Ordines Generales, qui ab humanitate & benevolẽtiã erga ſubditos ſuos tantopere cõmendantur, ſint iniquiores erga ſubditos ſuos, quam erga alienos, & ad ſe nihil omnino pertinentes? Hoc ius pertinet ad Eccleſiam, aut ad Magiſtratum. Si pertinet ad Eccleſiam, Ordines rectè fecerunt, quod ſua interceſſione effecerunt, ut illud Eccleſiæ reſtitueretur. Si ad Magiſtratum, qui poteris illos ab iniuſtitia excuſare, quod illud, quod Magiſtratus erat, ipſorum interceſſione à Magiſtratu auferretur, & transferretur ad illos, ad quos nullo iure pertinebat.

Hactenus verba D. Sibrandi. Ex quibus ſenſum & vim argumenti clarè videre eſt. Anonymus primum reſpondet. Comiti Ennoni non fuiſſe ſuum ablatum. Cur? 1° Quia ceſſit de iure controverſo pacis cauſa. 2°. Quod ipſe aliud ſibi non debitum acceperit. Sed ſi ſuum hoc modo non eſt ablatum, ſequitur ius electionis controverſum non fuiſſe ipſius. Atque ita ſecum pugnat, qui contrarium hactenus defendit. *Et quomodo quæſo*

non fuit

non fuit ipsi ablatum, quod tot annos possederat? ideoque tot annorum præscriptione iam sui iuris factum esse putabat. Sed Ordines docuerunt ipso facto non fuisse ipsius, sed subditorum iuris: Atque ideò *restituerunt* subditis, quod ipsis ereptum fuerat, Quod autem de iure suo pacis causa cesserit, & aliud sibi nõ debitũ acceperit, nihil huc facit. Nam hic non tam quid Comes fecerit aut facere debuerit expenditur, quam quid Præpot. Ord. fecerint & iustum esse arbitrati fuerint. *Nisi* enim hoc æquum & iustum existimassent illi, aliter & secundum Comitem iudicassent; Cessit quidem Comes, sed non sponte. Debuit enim cedere non quidem iure suo, sed iure *Ecclesiæ*, non pacis solum, sed justitiæ causa, atque hæc omnia ex arbitrio & iudicio Ordinum. Nihil hic invidiosè à D. Sibrando dictum, sed verè & appositè.

Tandem vult notari in hoc negotio Comitem fuisse alterius professionis, quam *Ecclesiam Embdanam*. Sed hoc nihil officit causæ. Professio enim alterius religionis neminem fraudare debuit iure suo; *Expositæ* quidem fuissent *Ecclesiæ* Orthodoxæ summo periculo, si ad electiones Pastorum admissus fuisset Comes: Verum illa causa apud Ordines non tanti fuit, ut ideò ipsius ius in alium transferre debuerint: Aut si hoc ita pro tempore utile Ecclesijs iudicassent, verbulo iudicatum oportuit. Sed quæsitum, & iudicatum fuit de iure ipso, de Possessione 60. annorum, de restitutiane iuris, & non de ijs, quæ κατὰ περίστασιν, καὶ ἐπιείκειαν transigi debuerant.

Sequitur ergo & ex sententia Præpotentissimorum Ordinum, ad ius *Ecclesiæ* pertinere electiones Ministrorum. Quibus Coronidis vicem subiungam maioris roboris & lucis causa, quæ Philippus Melanchthon, ad cuius tribunal sæpiculè provocant adversarij, aut potius omnes *Ecclesiæ*, & Principes *Germaniæ* per Melanchthonem in Apolog. Confessionis Agustanæ docuerunt: Sic n. de Potestate & jurisdictione *Episcoporum* p. 208. 209. *Nam ubicunque est Ecclesia, ibi est jus administrandi Euangelij: Quare necesse est Ecclesiam retinere jus vocandi, eligendi & ordinandi Ministros. Et hoc jus est donum propriè datum Ecclesiæ, quod nulla humana authoritas Ecclesiæ eripere potest, sicut & Paulus testatur ad Ephesios, cum ait, Ascendit, dedit dona hominibus. & numerat inter dona*

propria Ecclesiæ Pastores & Doctores, & addit dari tales ad Ministerium & ædificationem Corporis Christi. Ubi igitur est vera Ecclesia, ibi necesse est esse jus eligendi et ordinandi Ministros. Et mox: Idq; etiam communissima Ecclesiæ consuetudo testatur. Nam olim Populus eligebat Pastores & Episcopos. Deinde accedebat Episcopus seu ejus Ecclesiæ, seu vicinus qui confirmabat electum impositione manuum, nec aliud fuit ordinatio, nisi talis comprobatio, &c. Ex his omnibus liquet Ecclesiam retinere jus eligendi & ordinandi Ministros. Hactenus Melanchthon, in quo acquiesco & desino: Pergo igitur ad ultimam controversiam, quæ est de Dignitatum Ecclesiasticarum gradibus.

Ex pagina eadem Centesima septuagesima Octava confecit Numerum Septuagesimum, verba D. Sibrandi hæc sunt.

DE GRADIBVS MINISTRORUM

Iuvenili petulantia Ministros Ecclesiarum rides, eosque Diaconos indigitas. Negat Anonymus ideò rideri Ministros, & profert verba hæc ex Piet. pag. 76. Presbyteri qui olim dicebantur, hi vocantur Ministri, quod Græcè esset Diaconi Deinde ait ipsum Sibrandũ Pastores generali nomine Diaconos vocare pag. 174. verum denique esse ait quod potuerit sine gravi culpa, nomen vetus & peculiare retineri.

Respondeo non sufficere ista verba Grotii hic citata, sed adjicienda esse reliqua quæ hic callidè prætereuntur. Totus autem locus sic habet: Quæritur, Sibrandus cum sua cohorte, utris accedat (Puritanisne in Anglia, an Episcopis?) Multis verbis describit & commendat nostrarum Ecclesiarum constitutionem. In ea Episcopi nusquam. Presbyteri, qui olim dicebantur, hi vocantur Ministri, quod græcè esset Diaceni. Synedri autem annales Presbyterorum nomen accipiunt.

Quis hic non videt rideri totum ordinem Ministerii? Ac imprimis ipsos Pastores & Presbyteros Ecclesiarum nostrarum? Pastores quod non vocentur more veterum Presbyteri: Presbyteros,

ceros quod sint Synedri *Pastorum annales*. Et sanè si ista etiam sola verba de Ministris inspiciantur, non carent etiam dente aut aculeo.

Nam non sine fastidio, neque contemtu dicit Pastores nostros indigitari Ministros: Ministros autem nihil aliud sonare, quam Græcè Diacónos. Perinde igitur esse, si Diaconos aut Ministros eos vocites. Annon igitur hic risus? ipsi viderint: Opinatur *Pastores* non esse vocandos Ministros, quod hodiè apud nostras & Gallicas *Ecclesias* fit. Cur? Quia tunc essent Diaconi. Nam διακονεῖν *Grecè* nihil aliud est, quam Ministrare, Sed neque pudet nos nominis istius. Dominus enim noster Iesus Christus dicitur Διάκονος. Rom. 15. 8. διάκονος τῆς περιτομῆς, Imo Matth. 18. 28. dicitur venisse in mundum οὐ διακονηθῆναι, ἀλλὰ διακονῆσαι. Et passim Apostoli etiam ita vocantur Ephes. 3. 7. Coll. 1. 23. unde διακονία τοῦ λόγου, Rom. 11. 13. Non diffitetur igitur D. Sibrandus p. 179. Pastores generali hoc vocabulo posse appellari Diaconos, sed non eo fine, quem hic intendit D. Grotius. Nam quod Sibrandus syncerè & verè hic scribit de Ministris, hoc ille sarcasticè & fucatè, ita ut nollet hoc fieri, quod in nostris & Gallicanis Ecclesijs passim fieri novit. Deinde non satis est, quod Ministros *Græcè* sonare *Diaconos* dicit.

Nam etiam λειτουργοὶ vocantur, ὑπηρέται, atque δοῦλοι, servi, Ministrare enim Græcè quoque sonat λειτουργεῖν, quæ vox de Christo Hebr. 8. 2. 6. & de Apostolis, aliisque passim usurpatur. Vnde est, quod Episcopi veteris Ecclesiæ se mutuò in suis literis συλλειτουργοὺς appellant. Quod denique addit Anonymus non sine gravi culpa potuisse nomen vetus & peculiare retineri, puto designari nomen & titulum Episcopi: Sed de eo postea Num. 73. Interim hoc notandum, quod dicit *non sine gravi culpa*. Nam ita gravissimè culpatum fuisse à nobis hoc vetus nomen innuit: Deinde & hoc notandum; quod vocat istud *vetus* & *peculiare* nomen, Quasi nos negaremus nomen *Episcopi* esse vetus, Vtrumque igitur verum non est. Non enim nos istud nomen reijcimus, neque dicimus esse novum. Sed hoc addimus, non in nomine ipso, sed in abusu nominis esse culpā. Cur enim de vocabulis litigamus? Nam hodiè nomen istud *Episcopi* inter titulos & nomina dignitatum cum jurisdictione & imperio est,

quod maximè & de typho huius seculi participat, aut κοσμικῆς ἡγεσίας τύφου resipit, quod Patres Ephesini Concilii Can. 8. de Antiocheno Patriarcha dicebant, qui causas Ecclesiasticas Cypri Insulæ ad suum forum contra Canones pertrahere conabatur.

An forsan ipsis placet præ aliis hoc nomen, ut cum imperio regant, non ut Christi, sed Regum & Principum vasalli? An forsan ideo displicuit hoc nomen Ministrorum, Diaconorum, servorum, ut ne ipsi aliis, sed alii ipsis serviant? Deinde neque hoc verum est, nomen Episcopi esse Ministrorum *peculiare* nomen. Nam in catalogo donorum Christi, aut functionum Ecclesiæ non recensentur Episcopi, sed Pastores & doctores Eph. 4. 11. Pastoribus igitur hoc onus accidit ut Episcopos agãt. Sic enim 1. Petr. 5. 2. affatur Presbyteros Apostolus ποιμάνατε τὸ ἐν ὑμῖν ποίμνιον τοῦ θεοῦ ἐπισκοποῦντες, μὴ ἀναγκαστῶς ἀλλὰ ἑκουσίως κατὰ θεόν, μηδὲ αἰσχροκερδῶς ἀλλὰ προθύμως, μηδ' ὡς κατακυριεύοντες τῶν κλήρων, ἀλλὰ τύποι γινόμενοι τοῦ ποιμνίου. Rectè igitur Plessæus lib. 2. de Eucharistia cap. 8. pag. 615. in hunc modum scribit: Chrysostom. ad Epistol. ad Philipp. cap. 1. ait. *Quemadmodum igitur dixi, Episcopi olim vocabantur & Presbyteri & Diaconi. Unde & nunc plerique Episcopi scribunt*, συμπρεσβυτέρῳ καὶ συνδιακόνῳ *Conseniori & comministro. Postea vero sensim datum est cuique nomen vel Episcopo vel Presbytero. Quod obiter notetur in eos, qui Ministri appellationem novitatis accusant, id est*, διακόνου *quem hic Apostolus, si Chrysostomum sequimur, Presbytero & Episcopo æquat.* Atque hæc rectè scribit incertum doctrina, an pietate nobilior D. Plessæus, quæ velim expendi à D. Grotio.

AD Numerum septuagesimum Primum hæc verba Domini Sibrandi ex pagina Centesima septuagesima nona pertinent:

PRæsens Ecclesiæ regimen subsannat. Ad quæ ita Anonymus: *Falsum hoc. Imò juvat potius, qui regimen cupit auctoritate publica stabiliri, & quantum temporum ratio patitur, ad veteris Ecclesiæ formã accedi.*

accedi. Miror, cur hoc, quod Sibrandus ipsi intentat, negare ausit Anonymus, quod iam lippis & tonsoribus notum est. Miror cur & hoc falsum esse dicere ausit, quod verba ista supra citata, imò tota ista declamatio Grotii verissimum esse arguunt? Qui enim de Ecclesiis nostris ita scribit, ut dicat in iis Episcopos esse nusquam, Presbyteros, qui olim dicebantur (distincti scilicet ab Episcopis) vocari iam Ministros, & nostros annales Synedros iam Presbyteros esse, annon ille ordinem & regimen Ecclesiarũ nostrarum subsannat: Sed de hoc fusius supr. Num. 1. Nos autem multò potiore iure hoc falsum pronuntiamus, quod scribit D. Grotium huc conniti, ut regimen auctoritate publica stabiliatur.

Non enim sanè hoc contendit D. Grotius, ut *præsens* Ecclesiæ regimen stabiliatur, sed potius, si verum fateamur, subvertatur. Nam præter ea, quæ iam sæpiculè repetivimus, hoc manifestum evadit, ex pagina septuagesima sexta Pietaris. Nam ibi *præsens* Ecclesiarum nostrarum regimen multis vitijs & πλημμελείαις scatere & ad ἀναρχίαν, hoc est, confusionem ordinis atq; imperij accedere disertè quiritatur. Docent hoc etiam sequentia verba Anonymi. Nam ibi dicit D. Grotium hoc cupere, ut in regenda Ecclesia quantum temporum ratio patitur, ad veteris *Ecclesiæ* formam accedatur.

Obscurum aut ambiguum videtur, quod hic dicit. *Sed* Grotius ipse dicta pagina, & alibi clarè loquitur. Hoc nempè volunt isti, Episcopos propriè, ut vocant, dictos instituendos esse in Belgio, & Ecclesias nostras regendas esse per eosdem. *Sed* si hoc fiat, annon *præsens* Ecclesiæ regimen everti necessum erit? Dubiè igitur hoc positum, quod de regimine Ecclesiæ ἁπλῶς loquatur Anonymus. *Si* enim de tali Episcopali regimine accipiat, verum est D. Grotium cupere, ut istud publica authoritate non solum stabiliatur, sed invehatur. *Si* de præsente nostræ Ecclesiæ regimine intelligat, nam probatum est, non hoc velle ipsum stabiliri, sed publica authoritate tolli. *Et* tunc mirari convenit, cur hoc nostrum regimen publica authoritate ipsum velle confirmari scribat. Quis enim dubitat istud iam annis hisce 40. elapsis, ab Ordinibus Generalibus cum ipsa doctrina stabilitum, & confirmatum esse? Proferant nobis Decreta Ordi-

num contra istud regimen, quod tot Synodis Generalibus etiam sub cruce Wesaliæ, Embdæ, Dordraci, Middelburgi, & Hagæ Comitis, tot Synodis particularium Provintiarum, quibus hactenus præsederunt aliqui ex Delegatis Ordinum munitum, approbatum & stabilitum fuit? Sed prout hæc tempora sunt, dolemus Ecclesias earumq; regimen hoc nostrum sic magis quassari, & ludibrio mundi prostitui. Non igitur nobis authoritate publica opus erit, ut nova quædam administrandæ Ecclesiæ ratio, aut forma præscribatur, sed ut vetus illud regimen, quod Apostolicis institutis quam proximè & optimè convenit, contra καινοφωνίας edictis novis & legibus sanciatur, aut confirmetur.

Quod autem hic Anonymus de forma veteris Ecclesiæ revocanda subiecit, etiam ambiguè dictum est. Nam si istam formam intelligat, quæ iam multos annos obtinuit in Ecclesijs, etiam in Papatu medio, non benè paci Ecclesiarum nostrarum consulet. Hoc ipse Anonymus sequutus suum Magistrum Grotium vidit, ideoque rectè additum fuit ab ipso, Quantum temporum ratio patitur. Grotius etiam p. 76. Sibrando suffragatur non omnibus locis ac temporibus *omnia* convenire. Et Bilsonus p. 429. aliam rationem habendam esse Ecclesiarum, quæ sub Democratia, aut aristocratia, quam quæ sub Monarchia sunt ultrò fatetur. Concedimus igitur & nos per totum ferè mundum multos annos percrebuisse dominatum Episcoporum, sed rectè cum nostris Doctoribus affirmamus, Ab initio non fuisse sic. Eò autem purior aqua fluit, quo scaturigini fontis proprior. Rectè enim Cyprianus, *Cum canalis aqua deficit, nonne ad fontem pergitur? ut illic defectionis ratio cognoscatur, ac tandem refecto canali, aqua iterum ad usum & potum civitatis eadem ubertate & integritate repræsentetur, qua de fonte proficiscitur. Quod & nunc facere oportet Dei sacerdotes, ut si in aliquo mutaverit aut vacillaverit veritas, ad originem Dominicam & Evangelicam & Apostolicam traditionem revertamur, & inde surgat actus nostri ratio, unde & ordo surrexit.* Neque etiam Ecclesia ita diu post Apostolos virgo mansit, tum in doctrina, tum in regimine. Imò & sub Apostolis mysterium illud iniquitatis cœptum concipi ab Antichristo, teste Apostolo 2. Thess. 2. 7. Et quod miremur, cœptum sub Christo inter

Apostolos

Apostolos ipsos sese exerere. Marc. 9. 36. Rectè igitur Domin. Sibrandus docet Patres, qui initiò Reformationi operam dederunt etiam sub Cruce, in hoc Belgio secutos exemplum Gallicarum Ecclesiarum, iudicasse hanc formam regiminis nostri, quam proximè accedere ad veterem Apostolicam Ecclesiam, & hisce locis conveniente ssimam. Neque etiam ipsi adversarii inficiari audent eam hactenus in toto Belgio laudabiliter & summo cum fructu, & ædificatione fuisse usurpatam, Sic etiam iudicarunt Theologi Germani. Vide Melanchthonem dicto loco in Apolog. Confess. Augustanæ, Sibrandus narrat, pag. 175. Pezelium, & Casparum Crucigerum, cum Embdam venirent, & ἰσότυπον istius Ecclesiæ coram intuerentur, dixisse, se tum *primum* vidisse vivam Ecclesiæ imaginem. Quam multi Theologi Angli, hoc publicis scriptis palam testati & professi sunt? Sed quia facile est Anonymo istos omnes rejicere, uti Num. 73. audiemus, nulla hic eorum testimonia transcribam,

In Numerum Septuagesimum secundum conjecit hæc verba Sibrandi, pagina Centesima septuagesima nona.

SCire debes Ministros sive Pastores, qui Ecclesiam pabulo verbi Dei pascunt, esse Episcopos. Anonymus sup. Num. 70. dixerat potuisse nomen istud Episcopi retineri in Ecclesijs. Hic iam videt nō tolli hoc, neque negari à Domino Sibrando. Imò pagina eadem sic dicit: *Quidni igitur omnes Pastores, qui Amstelrodami & Leowardiæ Ecclesiam Dei iam Apostolico exemplo pascunt, Episcopi Amstelrodamenses & Leowardienses dici possunt?* Et pagina centesima octogesima prima. *Omnes igitur illos, qui in fœderatis Provintijs Ecclesiam verbo Dei pascunt, Episcopos Ecclesiarum Belgicarum esse noveris.* Quid igitur ad ista verba? Tantum ait D. Grotio hoc quidem notum & compertum esse. Sed hoc noluit D. Sibrandus. Norat enim ipse D. Grotium non esse tam imperitum rerum, ut ignoraret Ministros communiter esse Episcopos. Sed de hoc controvertitur, An quidam Pastorum tantum sint Episcopi,

scopi, qui nimirum cæteris essent præpositi, & non potius omnes Pastores? Et an ijdem propriè dicantur Episcopi? Nam quin communiter alij Episcopi vocari possint, non negant omnes ipsi, quum & Apostoli vocentur Διάκονοι: Sed hoc negant omnes Pastores ex æquo propriè Episcopos esse & dici. Huc igitur spectat D. Sibrandus, cum dicit, Grotium scire debere hoc verũ esse. Nam didicerat ex ipsius Pietate ipsum aliter sentire. Verba Sibrandi, quæ ibi sequuntur, hoc evincunt: *Omnes enim qui tempore Apostolorum Ecclesiam pascebant, communiter presbyteri, pastores, Episcopi, Diaconi vocabantur.* Et pag. 181. Apertè dicit de modernis Episcopis ista se non intelligere. Sed de hac quæstione, sequenti numero plura.

Numerus septuagesimus tertius ex pagina Centesima octogesima secunda ita habet:

HAnc tuam peritiam multò magis patefacis, cum dicis ex Apostolico instituto aliquem alijs præpositum fuisse, & hunc appellatum esse Episcopum. Ubi enim quæso Apostolicum hoc institutum extat? Quis Apostolorum illud in suis scriptis promulgavit? Prome tabulas, cedo librum, nomina caput, ede versiculum, ut hanc novam Hugonicam Theologiã plenius cognoscamus. Et interiectis nõnullis: *Et non pudet te scribere ex Apostolico instituto esse, ut unus alijs præponatur, & Episcopus dicatur? Hoc unum arguis, quam sis peritus Orthodoxæ antiquitatis.*

Anonymus ad ista omnia annotavit, *calumniam esse ex multis falsò dictis consutam.* Sed recidit in suum caput, quod in Sibrandum conjecit, Quomodo enim probas (mi homo) esse calumniam? Et hîc tam multa falsò à Sibr. dici? Sed priusquam ad probationes ipsius accedam, hoc præfandum duxi: Nihil in hoc Anonymi libello invidiosius scriptum esse. Conquerebatur supra Anonymus num. 69. invidiosè fuisse dictum de arbitrio aut iudicio General. Ordinum in causa Ennonis Comitis, sed præstitisset ipsum hac de re tacere.

Anonj

An non tota ista D. Grotii Pietas ad invidiam apud Sereniss. M. Brit. Regem & Episcopos Anglicanos nobis conflandam scripta & edita est? Obtendit quidem & præfigit nomen Sibrandi, quem virum acrem ille nominatim ferit, sed interea petit omnes Belgicarum Ecclesiarum nostrarum Pastores & Doctores. Neque hoc tantum, sed causam aliò derivare, & Ecclesiam nostram odio Ecclesiæ Anglicanæ prostituere & prodere molitur. Quod igitur D. Grotius tam palam hoc toto suo scripto & callidè molitus est, hoc prosequitur hic Anonymus, passim toto suo libello, sed maximè in hoc numero. Opponit enim hic D. Sibrando non Bilsonum tantum, sed ipsum Regem unicum Defensorem fidei Orthodoxæ, de quo vere illud Homericum iactitatur, Ἀμφότερον βασιλεὺς τ' ἀγαθὸς κρατερός τ' ἀγχιμάχης.

Quid igitur invidiosius & periculosius, quam cum Rege tanto ex sacratis ipsius libris oppugnare Sibrandum, imò totum Belgium? Sed benè res habet. Ipse Rex in Apolog. pro Iuram. fidel. hoc diserte cautum voluit, se ubi de Puritanis ista scribit, quæ hic ab Anonymo citantur, non designate Ecclesias apud exteros *Reformatas*, neque *earum regimen*. Et palam hoc voluit ne *invidus* quisquam aut *malevolus* aliorsum atque ipse sentit, verba sua interpretetur. Sed ad rem. Anonymus dicit Sibrādum calumniatum fuisse, quod sententiam istam de præeminentia & gradu Episcopali D. Grotio adscribat. Non esse autem propriam Grotii, sed alienam, à Grotio tantum promptam scribit. Huc citat verba ex Pietat. pag. 75. *Anglicana Ecclesia sentit ex Apostolico instituto quosdam fuisse præpositos cæteris, qui Episcopi proprie vocarentur.*

Respondeo esse merum effugium, ideo vafrè confictum, ut ne, quum Anglicanis antistitibus sua probare conatur, in odium nostrarum & Gallicarum Ecclesiarum incurrat. Promit hic quidem sententiam alienam, sed etiam suam ostendit. Vt autem invidiam declinaret, eamque nobis maiorem faceret, committit ille nostras & Gallicas Ecclesias cum Anglicanis. Interea tamē hanc causam ita agit, ut cuivis videre promptum sit, ipsum ita quoque sentire.

Hucenim spectat, quod contra sentientes *vocat Puritanos et rigidos* τῆς ἰσοτιμίας *defensores*. Quod Sibrandum *cum sua cohorte Pu-*

pag. 75 pag. 76 *ritanis in hac causa accedere scribat. Quod ordinem ac constitutionem Ecclesiarum nostrarum rideat, Quod fons & origo turbarum sit aqualitas Pastorum, Quod gradus & dignitates istæ Episcopales non sint inter Pontificij, sed sanioris ævi reliquias censendæ, & id genus alia.* Quid ipse Anonymus etiam hic & sequent. numeris aliud, quam istã sententiam summis viribus tutatur, & defendit? Non enim Anonymus aliud quidpiam debuit tradere, quam à suo Doctore accepit.

Extra dubium igitur est, D. Grotio non affinxisse Sibrandum alienam sententiam. Quæ autem hic sequuntur de Ecclesia Anglicana, ea nos non concernunt. Quorsum enim hoc probatur; Ecclesiam Anglicanam ita sentire? Non enim nobis lis cum ista Ecclesia, neque cum isto Rege M. Britanniæ, neque ipse Rex hanc litem suam facit, aut facere volet. Sic enim ille: *Mihi est decretissimum rebus alienis me non immiscere, sed aliis Reformatæ Religionis Ecclesias Christianæ suæ libertati permittere.* Testatur se nolle de iis Ecclesiis dutius quid statuere ob opinionum inter ipsas, & se, de quibusdam Capitibus, quorum plæraque omnia sunt *adiaphora*, dissensum.

Prætereo igitur & ista quæ hic ex Regis libello de Puritanis allegantur. Interea quod ad gradus Episcopales attinet, quid prohibet sententiam nostrarum Ecclesiarum, imò Ecclesiarum totius ferè orbis ostendere & explicare, præsertim cum huc quasi inviti impellimur? Quod tamen hac lege fiet, ut ne quid iniuriæ, aut cõtumeliæ institutis & ritibus Ecclesiæ Anglicanæ, multò minus sacratissimi Regis censuræ, & sententiæ aspergatur. Depositis igitur omnibus præjudicijs duo hic quæri video, unum est, An gradus isti Episcopales sint ex institutione Apostolica, ac proinde juris divini? Alterum est, An tota antiquitas ita senserit, esse nimirum illos juris divini? Nam quod id genus Episcopi in prisca Ecclesia fuerint, & per eos Ecclesiæ fuerint administratæ, non controvertitur. Non autem ego jam institui plenam de hisce quæstionibus disceptationem: sed secutus tantum ductum Anonymi expendam, quæ ipse hic produxit. Quia autem nihil de suo hicce attulit, sed ad Bilsonum & Saraviam nos remittit, age videamus paucis, quid momenti habeant, quæ ἐι ὄτκοθεν μάρτυρες, allegatis capitibus & locis tradunt.

Citatur

Citatur primum præfatio D. Bilsoni, in qua præcipuus status controversiæ talis ponitur, An Apostolica designatione statutū sit discrimen inter *Episcopos* (proprie dictos) & Presbyteros, hoc est, Pastores alios non Laicos. Non ego nego controversiā benè formatam, & conceptam esse, si tantum istud discrimen accipiatur de gradus ὑπεροχῇ, & non de ordinis differentia. Illud a-supponit & astruit Bilsonus *Episcopos*, functione, gradu, potestate, & iure alios esse, quam Presbyteros: *Esse* etiam Episcopos duplicis ordinis, & gradus propriè, atque etiam impropriè dictos. Sed hæc duo postrema negamus fuisse ex institutione Apostolica. Post hæc provocat Anonymus ad Cap. 12. eiusdē libri, in quo totam antiquitatem ita sensisse dicit ostendi. Quibus verò exemplis & testimoniis? Titus & Timotheus (ait) sunt à *Paulo* ordinati hoc peculiari modo in *Episcopos* cum superioritate in alios Pastores.

D. Bilsonus pag. 280. 281. citat eam in rem aliquot *Patres*, qui scribunt eosdem fuisse *Episcopos* à Paulo constitutos, illū Cretensium, hunc Ephesiorum. Verum & hoc concedi potest, si nimirum *Episcopi* vox latâ, & communi significatione intelligatur. Nam si hoc peculiari modo tantum accipiatur, negamus fuisse tales *Episcopos* qui istis locis in perpetuum essent alligati: Quod apparet Gal. 2. 1. 2. Cor. 8. 23. Actor. 16, 3. 2. Tim. 4, 5. Rom 16. 21. Constituerat enim Apostolus illos *Euangelistas* Comites suos & συνεργοὺς Ministerii per totum orbem.

Hinc est quod ipsis mandaret, ut Epheso & Cretæ Episcopos præficerent, qui istas *Ecclesias* solas regerent post suum discessum. Sic enim *Ephesina Ecclesia* ex ipsorum iudicio unicum tantum *Episcopum* habuit, cui multos designare & præficere isti *Ecclesiæ* debuit 1. Tim. 5. 17. 21. *Episcopi* igitur iidem qui Presbyteri. Vide 1. Tim. 3. 1. 2. Vbi tantum mentio *Episcoporū* & Diaconorum. Nihil igitur medium inter istos duos ordines, ac proinde *Episcopi* sunt etiam Presbyteri Chrysost. enim in 1. Tim. 3. homil. 11. *Postquam de Episcopis dixit, eosdem formavit, omisso Presbyterorum ordine ad Diaconos transit.* Cur id quæso? ὅτι οὐ πολὺ τὸ μέσον: Quippe & presbyteris *Ecclesiæ* cura seu præfectura permissa est, ἡ προστασία τῆς Ἐκκλησίας, & quæ de *Episcopis* dixit, ea etiam Presbyteris congruunt. Oecumenius ad locum

istum τὶ δήποτε τοὺς πρεσβυτέρους παρέλιπεν, ὅτι ἀνέμιξεν αὐτοὺς τοῖς ἐπισκόποις. Α γὰρ περὶ ἐπισκοπων εἶπε, ταῦτα καὶ περὶ πρεσβυτέρων ἁρμόζει. ὁμοίως γὰρ καὶ αὐτοὶ ἱερεῖς τε εἰσι καὶ διδασκκλίαν εἰσι πεπιστευμένοι.

Sed si Timotheus aliis Episcopis ibi esset hoc modo præpositus, cur non dicunt Patres ipsum fuisse Archiepiscopum & primatem Ephesiorum? Sed quomodo Archiepiscopus in hac Ecclesia potuit esse, ubi nulli alii *Episcopi*, sed tantum Presbyteri erant? Quod autem ipsos cum superioritate in alios Pastores fuisse ordinatos scribunt, mirum non est. Erant n. *Euangelistæ*, quorum erat in Episcopos, aut Pastores aliarum *Ecclesiarum* ὑπεροχὴ. Ex Chrysostomo conantur probare Timotheum fuisse propriè dictum *Episcopum* istius loci, quia ipsi tantum demandata fuit impositio manuum, aut ordinatio. Sed neque hoc Chrysostomus dicit, neq; etiam omninò verum est. Nam 1. Tim. 4. 14. toti Presbyterio manuum impositio assignatur.

Scio quid Grotius ex Billono eludendo isti loco adferat, sed potior mihi est Chrysostomi, Theophylacti, Oecumenii auctoritas, qui *Episcopos* designatos dicunt, & non officii nomen. Ambrosius etiam disertè pag. 554. ad 2. Tim. 1. de cætu Presbyterorum accipit. Verum de hoc loco alias pluries.

Omnem scrupulum nobis tollit, quod ipse Apostolus Tit. cap. 1. 5. 6. 7. Presbyteros & *Episcopos* eosdem esse manifeste docet, Quos enim iubet κατὰ πόλιν presbyteros constituere, eos mox vocat Episcopos: Ipse Chrysostomus, de quo tantopere gloriantur, ad istum locum sic scribit: *Ut constituas Presbyteros, Episcopos hic intelligi vult, quemadmodum aliàs sæpius diximus. Theophylactus* ad eundem locum, *Episcopos hic* etiam Presbyteros vocat, ut & in epistola ad Timotheum. *Per civitates* autem inquit. *Noluit enim universam insulam VNI commissam esse, sed quodlibet oppidũ propriũ habere Pastorem. Sic n. & labor levior, & cura exactior.*

Eadem hæc Oecumenius: οὐ γὰρ ἐβούλετο πᾶσαν τὴν νῆσον τὴν Κρήτην μεγάλην οὖσαν ἐπιτετράφθαι ἑνὶ ἐπισκόπῳ, ἀλλ' ἑκάστην πόλιν ἔχειν ἴδιον ποιμένα. Πρεσβυτέρους δὲ τοὺς ἐπισκόπους καλεῖ. Neque aliter ipse Theodoretus ad hunc locũ: sed omniũ fusissimè de hac re disseruit in cap. 1. epist. ad Philipp. p. 124. & distinctè etiam in 1. Tim. 3. 2. verba sunt digna transcribi. Sic enim ille pag. 181

Hic autem

Hic autem Episcopum appellat Presbyterum, ut dum Epistolam ad Philippenses interpretaremur, ostendimus. Hoc autem ex hoc loco facile sciri potest. Post leges enim Episcopales, eas scribit quæ Diaconis conveniunt præter missis presbyteris, sed ut dixi eosdem olim vocabant Presbyteros & Episcopos. Eos autem qui nunc vocantur Episcopi, nominabant Apostolos. Procedente autem tempore nomen quidem Apostolatus reliquerunt ijs, qui verè erant Apostoli, Episcopatus autem appellationem imposuerunt ijs, qui olim appellabantur Apostoli. Ita Philippensium Apostolus erat Epaphroditus Vestrum enim inquit Apostolum & adiutorem necessitatis meæ (Philipp. 2.) ita Cretensiũ Titus, & Asianorum Timotheus. Ita ab Hierosolymis ijs qui erant Antiochia, scripserunt Apostoli & Presbyteri, &c.

Quibus verbis Theodoretus quatuor significat, Primũ quod Apostolus Paulus in istis omnibus locis supra allegatis confundat voces Episcoporum & Presbyterorum. Alterum, quod iidẽ ex Apostolica hac institutione diu in Ecclesiis eiusdem ordinis & gradus fuerint. Tertium est Quod posterioribus temporibus fuerint Episcopi in altiorem honorem subvecti, & impropriè Apostoli vocati. Quartum est, quod cum nomen Apostolorum iam esset abolitum, manserit in honore & dignitate illud Episcopi nomen.

Quid clarius toti rei enucleandæ & explicandæ? Amplius probant suam sententiam ex Apocalypsi Iohannis. Nam Cap. 1. & 2. dicunt Angelos vocari non quosvis Pastores, sed Episcopos, qui in singulis civitatibus erant duntaxat singuli. Sed Beza Angelos interpretatur πρωτοστάτας, *quos nimirum oportuit in primis de his rebus admoneri, ac per eos cæteros collegas, totumque adeò Ecclesiam. Sed hinc statui Episcopalis ille gradus postea humanitus in Ecclesiam Dei invectus certè nec potest, nec debet, imo ne perpetuum quidem istud πρωτοστάτων munus esse necessario oportuisse, sicut exorta inde illa tyrannis oligarchica (cuius apex est Antichristiana bestia) certissima cum totius non Ecclesiæ modo, sed etiam orbis pernitie, nunc tãdem declarat.* Ioh. Rainoldus in Colloquio cum Harto pag. 857. *Etsi plures essent Presbyteri & Pastores ad ministrandam Ecclesiam Ephesinam, tamen in illa pluribus unus præerat, quem Servator Angelum Ecclesiæ vocat, atque ad illum ea scribit, quæ ex illo cæteri edisserẽt. Atq; hic est ille, quem postea in primam Ecclesiam Patres Episcopum vocabãt.*

Perkinsius etiam per Angelum intelligit totas Ecclesias. Similem in modum universum populum Israëlis vocari dicit singulariter Dei filium unicum. Et corpus Pontificum sibi mutuò succedentium τὸν Ἀντίχριστον. Non aliter Aretas Episcopus Cæsareæ Cappadociæ exponit. Angelum enim Ephesi, τὴν ἐν ἀσίᾳ Ἐκκλησίαν λέγει. Ad finem enim Epistolarum singularum jubet audire, quid Ecclesijs dicat Spiritus. Quis etiam credet tunc unicum fuisse Ephesinum Episcopum propriè dictum, quum Actor. 20,28. multos ibi Episcopos dicat fuisse? In unâ certè civitate plures, ut nuncupantur, Episcopos non esse posse ostendunt ex Epist. ad Philippenses Cap. 1. ver. 1. Theodorotus ad istum locum, & Hieronym. in Epistolam ad Titum, De reliquis Ecclesijs Asianis idem esto iudicium. Longum esset omnia ista prosequi, quæ à Bilsono cap. 12. & 13. & à Saravia in tractatu de diversis Ministrorum gradibus, & in defensione tractationis istius contra Bezam disputantur. Hoc unum dico, inter nostros Doctores paucos hactenus repertos esse, qui à nobis hic dissideant. Oppono igitur ipsis Melanchtonem, quem vide ad 1. Cor. 4. pag. 306. In Oratione pro Luthero pag. 775. in Apolog. Confess. Augustanæ in fine. Verba Melanchthonis sunt hæc in Apol. Confess. pag. 208. *Sed cum iure divino* non *sint deversi gradus Episcopi & Pastoris, manifestum est ordinationem à Pastore in sua Ecclesia factam* iure divino *ratam esse. Item: Docet igitur Hieronymus humana authoritate distinctos gradus esse Episcopi & Presbyteri, seu potestatis, idque res ipsa loquitur. Quia potestas est eadem, quam supra dixi.*

Musculũ, quem vide in locis pag, 178.179. Witakerum, Sutlivium, Rainoldum Anglos. Iunium, qui contra Bellarm. ex professo de hac quæstione disputarunt, & contraria argumenta cõfutarunt. Sed πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων est Beza, qui consertis manibus cum Saravia conflixit. Ipse D, Plessæus praxin, & historiã Ecclesiæ hac de re breviter complexus est. Pag. enim 614. lib. 2. de Eucharist. Cap. 8. *Vnde manifestum fit (inquit) in Primitiva Ecclesia Presbyteros omnes fuisse Episcopos: Episcopos itidem Presbyteros. Ad Patres ipsos quod attinet, Irenæus Apostolorum seculo ferè conterminus in eadem pagina dicit de Episcopis, quod dixerat de Presbyteris. Et verò Presbyteros vocat Anicetum, Pium, Soterem, Hyginum urbis*

Romanæ

Romana Episcopos, qui nunc Papæ & summi Pontifices. Iustinus Martyr etiam, eum qui Eucharistiæ celebrandæ præest, vocat τὸν προεστῶτα Antistitem. Tertullianus in Apol. cap. 39. Seniorem, qui præsidet cui adeo censuram divinam, & relegationem à communicatione orationis & conventus. Id est, excommunicandi facultatem tribuit; Qui proinde Episcopatum reipsa gerebat. Deinceps ut Christianorum numerus auctus, plures fuerunt in una urbe Presbyteri, seu Ecclesiæ Ministri, qua occasionem evitandæ τῆς ἀλαξίας unus electus, qui, ut loquitur Cyprianus Epist. 40. Presbyterium contraheret, cum opus esset. Quod authore Hieronymo Alexandriæ primum receptum, Is vero cæteroquin par reliquis, hac una re superior, Episcopi nomen retinuit.

Hæc Plessæus. Vnde ad illa omnia loca, quæ à D. Bilsono ex priscis Patribus passim citantur, respondere promtum fuerit. Insignia sunt, quæ huic rei firmandæ citantur testimonia Hieronymi & Ambrosii. Hieronymus non uno loco, nec paucis, nec ut de re dubia, sed sæpius, copiosè, perspicuè & asseveranter ut unam & eandem appellationem *Episcopis* & Presbyteris, sic unam & eandem functionem tribuit. Vide ipsum in Epist. ad Oceanum, & ad Evagrium. sed imprimis in *Epistolam* Pauli ad Tit. cap. 1. verba eius hæc sunt:

Idem est Presbyter qui & Episcopus, et antequam Diaboli instinctu studia in religione fierent, et diceretur in populis, Ego sum Pauli, Apollo, Cephæ, 1. Cor. 1. 3. communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur. Postquam vero unusquisque quos baptizaverat suos esse, non Christi putabat, in toto orbe decretum est, ut unus de Presbyteris electus cæteris superponeretur, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, ut schismatum semina tollerentur. Putat aliquis nostram esse non Scripturarum sententiam, Episcopum & presbyerum unum esse, & aliud ætatis, aliud officij esse nomen. Philippi una est Macedoniæ urbs, & in una certè civitate plures, ut nuncupantur, Episcopi esse non poterant: sed quia eosdē Episcopos & Presbyteros tunc appellabant, indifferenter de Episcopis quasi de Presbyteris Philippensibus loquutus est Paulus. Adhuc minus ambiguè unius idem civitatis Ephesi Presbyteros vocans eosdem postea, quod diligentius observandum, Episcopos dixit, &c. Hæc inquit, ut ostenderemus, apud veteres eosdem fuisse Presbyteros quos & Episcopos. Paulatim vero ut dissensionum plantaria evellerentur, ad unum omnis solicitudo est delata. Vt ergo Presbyteri sciunt se ex Ecclesiæ consuetudine

dine magis, quam Dominica dispositionis veritate Presbyteris esse majores, & in communi debere Ecclesiam regere.

Ambrosius non minus claris & disertis verbis causam & originem Episcopalium titulorum, & dignitatum expressit in cõmentur. Epist. ad Ephes. 4. *Primi Presbyteri*, inquit, *appellabantur Episcopi, ut recedente eo sequens ei succederet. Sed quia cæperunt sequentes Presbyteris inveniri indigni ad primatus tenendos, immutata est ratio: prospiciente Concilio, ut non ordo, sed meritum crearet Episcopum, multorum sacerdotum judicio constitutum est, ne indignus temerè usurparet, & esset multis scandalum.*

Multa ibi simul traduntur observatu dignissima. 1. Quod Apostolica constitutione Episcopi & Presbyteri pares sint nomine, functione, honore & gradu. 2. Quod communi consilio Presbyterorum, & Episcoporum Ecclesia regebatur. 3. Quod ordinis, εὐταξίας, & decori gratia semper aliquis primus in isto collegio fuit, qui πρωτὸς, & Præses erat, quem reliqui ordine & per vices sequebantur. 4. Qui solus postea Episcopus appellabatur, utpote ad quem solum omnis cura Ecclesiæ devolvebatur. 5. Quod hoc magis ex consuetudine Ecclesiæ factum ideoq; humanitus excogitatum ad tollenda dissidia, quam à Domino nostro institutum, aut ex Dominicæ veritatis dispositione ortũ; sed quia hæc omnia adversariis nostris ut fumus, & spina in oculis sunt, occurrit hic Anonymus & provocat ad Bilsonum & Saraviam, eosque iubet inspici, ut ita appareat, quid ad ista tam illustria & perspicua loca responderi possit. Obsequamur igitur & hac in parte Anonymo. Quid igitur illi ad Hieronymi locũ? vide apud Saraviam cap. totum 23, p. 80. & apud Bilsonum cap. 12. pag. 283. Non unum & idem respondent.

Saravia apertè dicit, privatam & particularem hanc fuisse Hieronymi opinionem. Sed hoc falsum esse iam ex tot aliorum Patrum testimoniis evictum est. Quod ad reliquas eiusdem exceptiones, lege quid Beza ad easdem responderit, pag. 135. usq; ad pag. 160. Cramben recoquit Saravia in sua responsione, quam nunc attingere non est necessum. Bilsonus dicit ista verba Hieronymi duplicem posse habere sensum. Primum ut per Dominicæ veritatis dispositionem, præceptum Christi ore institutum intelligat, & per Ecclesiæ consuetudinem, morem ab ipsis

ipsis Apostolis perpetuo usu in Ecclesia propagatum. Vnde colligit esse tamen hoc verè Apostolicum, etiamsi à Christo ipso non fuerit institutũ. Sed vim facit verbis, & sensui Hieronymi. Intelligit enim Ecclesiam istam quæ post Apostolorum tempora floruit. Nam ex scriptis Apostolorum abunde jam probaverat, Episcopos non fuisse gradu & dignitate Presbyteris superiores. Quum igitur consuetudinem Ecclesiæ opponit veritati Dominicæ dispositionis, intelligit non fluxisse istum morem à Christo, neque ab Apostolis, sed ab alijs Episcopis, aut Ecclesijs post eorum tempora. Disertè enim Augustinus Epist. 19. ad Hieronymum fol. 23. secundum honoris vocabula, quæ *jam Ecclesiæ usus* Obtinuit, Episcopatum Presbyterio maiorem esse dicit. Secundò respondet Bilsonus ista verba posse etiam intelligi de tali Episcoporum præfectura, in qua penitus excluderetur Presbyteri: Hanc enim non Christi, neque Apostolorum institutione aliqua, sed temporis decursu postea introductam esse. Sed & sic abberrat à scopo & mente auctoris. Nam hoc Hieronymo non fuit solum propositum, ut conquereretur Presbyteros à communi Ecclesiæ gubernatione excludi, sed unum alijs omnibus præponi, qui solus Episcopus, & reliquis dignitate major esset. Atque hæc potissimum causa est, cur Presbyteris exclusis omnis cura Ecclesiæ in istum solum Episcopum reijceretur. Quod ad Ambrosium, Saravia in respons. ad Bezam pag. 333. 334. respondet ibi non ordinis, sed principatus & gradus primatum designari.

Conatur hoc ex eodem Ambrosio in epist. ad Ephes probare qui Episcopum vocat ibi primum sacerdotem, hoc est, principem sacerdotum. Respondeo loqui ibi Ambrosium ex recepto suæ ætatis more, quum præ cæteris Episcopalis gradus altior haberetur, ut loquitur idem Ambrosius in tractatu de dignitate sacerdot. Apparet hoc ex verbis ipsius: Sic enim ille: *Ideò non per omnia cõveniũt scripta Apostoli ordinationi quæ NVNC in Ecclesia est, quia hæc inter primordia ipsa sunt scripta.* Sed & ipse Ambrosius in 1. Tim. 3. ita interpretatus est, ut Episcopus dicatur, qui inter Presbyteros primus est, hoc est, qui ante se alterum non habet. primus igitur ordine.

Bilsonus pag. 285. & seq. concedit Ambrosium eius opinionis esse

uis esse, ut Episcopi iuxta ordinem, ex Presbyteris aliquandiu in Ecclesia constituerentur, sed nullo scripturarum, aut historiarum iudicio ipsum niti dicit. Sufficit nobis tamen interpretatio hæc Ambrosij, quam opponimus omnibus istis locis, quibus primatum gradus confirmare studet. Ambrosius autem ita disertè exponit primatum ordinis, ut & hinc Bilsonus ipse fateri cogatur arcem & præsidium nostræ causæ in ijs situm esse. Non aliter desudat Bellarminus in torquendis & depravandis istis testimonijs Hieronymi & Ambrosij, Quod videre est apud ipsum libro primo de clericis, capite decimo quinto. Ad quæ moneo consuli Animadversiones D. Iunij, qui eruditè & verè omnes nebulas & fumos Iesuitæ dispersit pag. 74. & seq.

Concludo igitur cum plærisque veteribus & novis Doctoribus *Episcopos* & Presbyteros iure divino & Apostolica institutione eosdem esse. Neque sufficit, quod dicamus eadem solum nomina sortitos, sed & hoc dicendum, eos etiam pari consortio honoris & potestatis præditos esse, hoc est, idem ius & prærogativam ordinationis, jurisdictionis, & excommunicationis habere, Et quæ ab Bilsono & Saravia ex Patribus producuntur, dico accommodata esse rationi & mori istorum temporum, atque edeò omnia ista ut iuris humani, atque adeò, (si ita placet) *Ecclesiastici* concedo fuisse. Nolim tamen hæc ita accipi, & traduci, quasi istam Ecclesiæ consuetudinem simpliciter damnem. Absit. Cum Iunio enim, Zanchio, alijsque dico tolerari posse, ubi iam invaluit, si non abusus accesserit.

Prudenter igitur Zanchius dicto loco: *Interim quemadmodum non improbavi Patres in ea re, de qua est quæstio, sic etiam non possum nostrorum Zelum non amare, qui ideo illa nomina (Episcoporum, Archiepiscoporum, Superintendentium, &c.) oderunt, quia metuunt ne cum nominibus vetus etiam ambitio & tyrannis cum ruina Ecclesiarum revocetur.* Et Beza ipse contra Saraviam cap. 21, pag. 126. ingenuè protestatur sic: *Neque tamen propterea huius tyrannidis omnes Archiepiscopos sive Episcopos hodie vocatos accusamus. Qua fuerit enim hæc arrogantia? imò cunctos sic hodiè appellatos modo sanctissimorum illorum Episcoporum exemplum imitentur, &c. Cur non agnoscamus? Observemus & omni reverentia prosequamur? Nedum ut quod falsissimè & imprudentissimè nonnulli objiciunt cuiquam uspiam Eccle-*

am Ecclesiæ sequendum nostrum peculiare exemplum præscribamus imperitissimorum illorum similes, qui nihil nisi quod ipsi agunt, rectum putant.

Bucerus quoque qui in Anglia exul vixit, & formam reformationis jussu Hermanni Atchiepiscopi colonienſis & Principis Electoris scripsit, sic disertè loquitur in defensione Reformationis pag. 384. *In his omnibus & hoc quoque notandum est, quoniã Ordines & ministeria Ecclesiæ apud antiquos non eodẽ modo discriminabantur, & observabantur, sequitur distinctionem horum ministeriorum in Ecclesijs non esse traditionem Apostolicam & necessariam, sed rem liberam, quam quælibet Ecclesia, prout utilissimum fore agnoscit, ordinare potest, & propterea nulla Ecclesia est ad alteram alligata, &c.* Musculus in locis pag. 179. paulo apertius & durius: *Profuerintne* (inquit) *vel secus consilium hoc Ecclesiæ Christi, quo tales sunt Episcopi, magis consuetudine, ut Hieronymi verbis utar, quam Dominica veritatis dispositione introducti, qui majores essent Presbiteris, melius est posterioribus seculis declaratum, quam dum hac consuetudo primum introduceretur, cui debemus omnem illam principalium & Equestrium Episcoporum insolentiam, opulentiam ac tyrannidem, imò omnium Ecclesiarum Christi corruptionem, quam si Hieronymus cerneret dubio procul consilium agnosceret non Sp. Sancti ad tollenda schismata, sicuti prætexebatur, sed ipsius Satanæ ad vastanda prisca pascendi Dominici gregis ministeria. &c.* Vide reliqua.

Numerus septuagesimus quartus ita habet:

Hic non subsistit tua pietas. Sed dicis me prævaricari. Esse enim duplicem quæstionem, unam, quis ejecerit Episcopos extra Ecclesiam? quis ejecerit ordinem Ecclesiasticum ex Republica.? Et agnoscis hoc posterius factum esse à Politicis, pag 187. Anonymus ad hæc respondet primò D. Grotium non dicere prævaricari hic Sibrandum, neque etiam id credere, sed potius ipsum calumniari. Verum non tam curiosè captanda sunt vocabula Quis negat prævaricationem aliam esse, quam calumniam? Interea prævaricatio etiam ibi locum habere posset, si Plinio credimus. Nam ille lib. 1. Epist. docet prævaricationem committi, quum

transimus dicenda, cursimque & breviter attingimus, quæ sunt inculcanda, infigenda, repetenda. *Et* sic videtur accepisse hic Dominus Sibrandus. Nam quia ex duabus unam confecerat quæstionem confundit ex mente & opinione Grotij, aut omittit, quæ erant distinctius inculcanda. Sed sit potius calumnia, quod vult hic Anononymus, quid iuverit ipsum? Anne ideò malæ fidei insimulabitur Dominus Sibrandus, quia quum calumniam debuisset dicere, vocavit prævaricationem? Sed neutrum commisit. Non enim prævaricatus est, quia potissimum de altera ista quæstione agere instituit, & non de prima. Non igitur de utraque simul. Non calumniatus est, ideò quod verum est Ministros traduci, quod Ordinem Ecclesiasticum ex Republ. sustulerint.

Deinde falsum esse ait, quod D. Grotius agnoscat à Politicis *Ecclesiasticos* ejectos. Quomodo enim (inquit) hoc possit agnoscere, cum contra ostenderit falsum esse, quod præsupponat Sibrandus, nempe statum Provintiarum Belgicarum tribus Ordinibus contentum, ita ut Ecclesiasticus ordo in OMNIBVS conventibus primum locum teneret. Nam in Hollandia (inquit) alijsque locis quibusdam nulli *Ecclesiastici* in conventu fuêre: Quod ad Brabantiæ conventum attinet, in ijs dicit ex Grotio antiquitus fuisse non *Episcopos*, sed Abbates; Neque tamen hos ab Ordinibus expulsos esse.

Respondeo non totum hoc falsum esse, quod dicit Dominus Sibrandus statum Provintiarum Belgicarum etiam ex Ecclesiasticis constitisse. Talis enim status fuit olim Frisiæ, Traiectinæ ditionis, Brabantiæ. Quod de Hollandia, Flandria, Geldria, & Transisulana regione hoc negat, ipsus viderit. Hoc interim certum est, plurimum semper potuisse *Ecclesiasticos* istos in comitijs, ubi de summa Reipub. solet agi. Legantur quæ acta sunt in Pacificatione Colonienſi, Gandavenſi, & alijs id genus Reipubl. negotijs conficiendis, & confirmandis.

Inseritur actis Pacificationis Colonienſis *Epistola* Ordinum Generalium data Antwerpiæ 20. mensis Iulij 1578. quæ sic incipit: *Prælati, Nobiles, ac Provintiarum Civitatumque Germaniæ Inferioris Delegati, qui UNIVERSOS OPDINES repræsentant, &c.* Vide Relationem Coloniæ excusam pag. 120. Audisne

totum

totum Belgium tunc tribus istis Ordinibus comprehensum fuisse, ac primas obtinuisse *Ecclesiasticos*? Non solum hoc in Belgio, sed in omnibus ferè Regnis per ea tempora, atque etiam nunc obtinuit. Rectè enim D. Henningius in tractatu de *Exemtione* Clericorum pag. 26. *Quæ enim est Respub. ubi Ecclesiastici primum non habeant locum in comitijs, & publicis de salute Reipubl. Deliberationibus? In Germania primi sunt tres Electores Spirituales, in Anglia duo Archiepiscopi, in Polonia totidem, in Gallijs olim primi Parium erant tres Ecclesiastici.*

Fallitur autem D. *Grotius*, quod vocem Ecclesiasticorum putet hic accipi à Domino Sibrando pro ijs, quibus Ecclesiarum cura commissa est, hoc est, Paræcianis aut pastoribus Paræciarum. Nam *Sibrandus* in Præf. dicta p. 30. nominat Episcopos, Decanos, Antistites, qui Ordinem Ecclesiasticum repræsentabant: ibidemque vocat totam istam nationem Antistitum, qui tunc pestes erāt boni publici & statui libertatis & religionis inimici. Inter quos præcipui erant Abbates & Canonici. Quod a. eos in omnibus conventibus primum locum dixerit tenuisse, non ita præcisè aut siniſtrè capiendum Fuit. Innuere n. videtur D. *Sibrandus* maiores istos conventus, in quibus de statu Reipub agabatur.

Quæstio igitur huc de iis redit, An Ordo *Ecclesiasticorum* talium à Politicis sit exauctoratus ex istis Provintiis, ubi olim viguerunt, an à Ministis *Ecclesiarum*, An verò sponte abire aut cedere coacti fuerint? Ipse Grotius non audet hoc disertè imputare Ministris. Hoc tamen dicit pag. 79. Abbates in Brabantia ad Regias partes abiisse *causatos* imprimis Ministros, & qui ab ipsis nimium dependebant, ideò quod pontificiam religionem excluderent.

Quomodo etiam hoc ipsi Ministri aggredi auderent? Vtar eodem argumento, quo ipse usus est pag. 77, in priore quæstione contra nos. Quæro enim an signat hic tempora sub Philippi, an Ordinum imperio? Si prius, quid potestatis aut authoritatis tunc Ministris fuit, cum in desertis & speluncis debitescerent? Si posterius, neque tunc ipsis tantum juris fuit datum, ut si voluissent, hoc potuerint facere. Sequitur igitur aut Politicos id dedisse operam, ut de suo statu dejicerentur isti *Ecclesiastici*,

postquam partibus Regis studere sunt deprehensi, aut sponte ipsos cessisse. Hinc enim Ordines isti Ecclesiastici, eorumque potentia confestim vilescere aut vanescere incipiebat, cum totũ Pontificis regnum in Belgio collaberetur.

Quis enim tunc quum universa Antichristi idololatria & dominatio Hispani diminute profligabantur, istos ventres, & proditores in Repub. regenda tolleraret? Vnde quæso manavit, quod Cœnobia & superba ista palatia diruta, Ecclesiastica bona ærario publico adscripta, atque ea in usus necessarios Reipub. domi militiæque conversa sint, nisi ab Ordinibus Politicis, qui tunc soli rerum potiebantur? Tantum igitur abest, ut hinc notam sibi, aut Reipub. suæ isti inusserint, ut potius digni sempiterna laude ab omnibus pijs libertatis & religionis verè amantibus judicati fuerint. Frustra igitur est, quod D. Grotius hanc quasi culpam ab ipsis amoliri, & in Ministros, transferre odioſè conatur. Sed ut verum fateamur, Omnia ista non humano, sed divino consilio & manu agebantur, ferebantur, quam nullus hominum unquam infringere potuit.

Ex eadem pagina Centesima Octgesima Septima, decerpsit hæc verba, Numero Septuagesimo Quinto.

ETiam insultas Ministris, quod cogantur abstinere à politicis deliberationibus, & sub hoc prætextu videris operam dare, ut quemadmodum politici omnem politicam potestatem & jus deliberandi in ea ad se *transtulerunt*, ita etiam omnẽ Ecclesiasticam potestatem & jus deliberandi in ea ad se pertrahant. Anonymus annotavit falsa hic multa esse; In duo contrahit. Prius est quod Grotius non insultet Ecclesiasticis, quod cogantur abstinere politicis deliberationibus. Sed hoc dicit tantum ostendi à Grotio, causam nimirum non fuisse Sibrando, nisi Ordines exosos reddere voluerit, cur toties repeteret Ecclesiasticos non adhiberi ad conventus. Iubet eam in rem videri Præfat. Sibrand. pag. 29. & 38. & Piet. pag. 79. Duo sunt hic quæ supponit

Anonymus,

Anonymus, Primum est, Sibrandum sæpius repetiviſſe in ſua Præfat. Eccleſiaſticos non adhiberi ad conventus; Alterum eſt, hoc ideo ipſum facere, ut Ordines exoſos reddat. Sed neutrum verè dici poteſt. Non enim ſæpius, ſed bis tantum iſtius rei meminit. Neque hoc fecit ad conflandum Ordinibus odia, ſicuti & hoc ita malignè acceptum video, ſed ut calumnijs, quæ inde in Miniſtrorum capita vibrantur, occurreret. Hoc enim ubique ipſis impingitur, quod unum pedem in ſuggeſtum, alterum in curiam inferre velint, quod ſe politicis cauſis immiſceant, ideoque inviti ab adminiſtratione Reipublicæ, aut frequentatione fori abſtineant.

Hæc igitur vera eſt cauſa Sibrando cur hoc repetivit, non ut Ordines exoſos redderet. Sed ut ad rem veniam, quæritur An D. Grotius ea propter inſultaverit Miniſtris? Hoc negat Anonymus. Sed videamus, quæ ſcribit Piet. p. 78. 79. Sic enim ibi: *Non enim Paræciarum paſtores conveniebant, ut dicere poſſent Miniſtri ſe eorum in locum ſuccedere debere.*

Quid virulentius & calumnioſius dici poteſt? Qui ſunt iſti Miniſtri, qui hoc unquam dixerunt? qui ad conventus publicos admitti voluerunt, atque ideò, quod olim Paræciani adhibiti fuerint, in quorum locum ipſi ſucceſſerunt? Paucis interiectis, cum ex Sibrando ſibi obieciſſet, Miniſtros non ſolum non debere publicis deliberationibus ſe interponere, imò ne cupere quidem, ita reſpondit: *Hoc in univerſum ita verum eſſe, ſunt qui non credant. Auditi enim ſunt multi ſæpè expoſtulantes, quod à publicis conventibus ordo ſuus arceretur, hoc eſt, apertè facientes idem, quod hic latenter Sibrandus facit.*

Quid erit, inſultare Euangelii Miniſtris, ſi hoc non eſt. Si qui ex Miniſtris id forſan fecerint, cur hoc luent omnes? cur hoc in opprobrium & odium Miniſterii traduci debuit? Promat a. Synodum, Canonem, decretum, quo hoc definitum & ſtatutum fuit. Cõtrarium in omnibus Synodis expreſsè cavetur, ne quid ibi politicum geratur, aut agatur, quod etiam fateri cogitur D. Grotius pag. 47. Duplex igitur hic calumnia, In Miniſtros una, in D. Sibrandum altera ſtringitur.

Sed quid cauſæ eſt, quod tam apertè exprobret, D. Sibrãdum hoc latenter facere? Annon pag. 39. Præfat. *clarè ſatis teſtatur,*

non id

non id esse è re aut privata Pastorum, aut publica, ut habet genius & conditio harum regionum. Nec quidquam satius facere Pastores posse, quam ut sorte sua contenti onera, curas, labores suos patienter ac libenter ferant, Reipub. curas, dignitatem, potestatem Politicis suis relinquant.

Audin hic D. Groti, iudicium Sibrandi de hac causa? Cur igitur & ille latenter hoc molitetur, quod in Ministris non toleraret? Imò qui diversum ab eo, quod tute scribis, sentit? Tu dicis alium esse statum Angliæ, alium nostratum Provintiarũ, ideoque non idem posse hic Ministros, quod ibi Episcopi. Piet. pag: 79. Idem dicit Sibrandus, nempe non esse eius conditionis nostras Provintias, ut Ministri debeant ad civilia negotia adhiberi. Hoc primum. Alterum, quod dicit Anonymus falsum esse, est hoc, Politicos scil. jus deliberandi in politicis ad se transtuiisse, Cur? quia antiquitus id ius habuerint:

Sed nimis argutatur hic Anonymus, Captio est in verbo (*transferendi*) Si accommodetur ad primos motus Belgij, non utique falsum est Ordines Politicos in se imperium transtuliſſe, aut potius à Deo unico & summo libertatis & Religionis vindice ad ipsos translatum accepisse, excluso grege isto Antistitũ, qui in Papam solum iuraverant. Hoc enim supponitur, in multis Provintiis eos Antistites primas tenuisse, Quod Anonymus dicit Grotium pro Hollandia loqui, nos dicimus Sibrandum de Frisia loqui. In frisia enim hoc ius ipsis olim obtinuit, Neque tamen inde colligi debet id iuris antiquitus non habuisse Politicos.

Hoc enim non negat, neque negare potest D. Sibrandus, sed hoc potius sequitur, eos Tyrannide & dominatu Pontificum oppressos non quidem tunc potuisse ad iuris sui adeptionem aspirare. Rectè hoc in Epist. ad Cantuariensem Præsulem vocat, aut interpretatur *vendicare*. Sic enim p. 38. *Illa quæ sunt politica, et quæ soli Politici in his Provintijs sibi vendicãt, non attingũt*, vendicãt, a jure suo, & proprio, imò vẽdicarũt sibi armis suis, Insulsũ igitur est, quod ad cõfessionẽ culpæ adigere Sibrãdũ velit. Quæ hic culpa? quod crimẽ? Si omnia ad unguẽ resecãtur, hoc erit crimẽ, quod minus propriè usus fuerit voce hac transferendi, Nunquam enim hoc probabit Sibrandum hoc velle, quod ipsi impingant, nimium Ordines harum Provintiarum in se omnem

politicam

politicam potestatem & ius diliberandi in ea, præter ius & fas transtuliſſe. Abſit ut hoc ſentiat & dicat aliquis.

Numerus 76. ita habet ex eadem pagina 187.

TV enim tuo judicio videris inter omnes Hollandos esse doctissimus? Anonymus dicit hoc vanè dictum & ſine probatione. Nimius ſanè κυμινοπρίσης eſt hic homo, qui tam levia & futilia in Numeros ſuos coniecit. Neque etiam hìc impingit Sibrandus, ſed potius ipſe Anonymus. Anonymus poſcit probationem. Cuius rei? An quod videatur D. Grotius doctiſſimus Hollandorum. Negat igitur hoc homo iſte. Sed videat ne ſic de vera laude Grotii aliquid deteratur.

An forſan affectu aliquo excæcatus Anonymus ibi legerit, Grotium hoc videri velle dicere? Sed neque hoc verum eſt. Carpit igitur in iſtis verbis hoc tantum, quod Sibrandus ad iudiciũ ipſius Grotii provocaverit. Sic enim verba ſonant: TVO IVDICIO VIDERIS DOCTISSIMVS. Quod autem Sibrandus hoc ita ſcripſerit, inde natum videtur, quod inter omnes Hollandos nemo ad agendam hanc cauſam cum tali Spiritu, faſtu & verborum lenocinio prodierit.

Neque tamen diſſimulandum eſt, D. Grotium elegantiâ & acumine ingenii, eloquentiâ & variâ doctrinâ excellere: Ideoq; iubet D. Sibrandus ut pro hoc ſuo iudicio ſubacto diligenter expendat, quam periculoſum ſit, ſi Eccleſiæ, quæ aliquot annos ſub imperio Ordinum non ſine Dei ſingulari ope reſpirârint, excuſſo Pontificio iugo iterum eâdem, vel ſimili ſervitute à Politicis opprimantur.

Ex pagina 188. hæc verba excerpſit.

TAndem etiam interitum Flandriæ Paſtoribus imputat, & hoc quorundam prælatorum, qui ad hoſtem tranſierunt, teſtimonio probare conatur. Duo hic ſcribit Sibrandus. Vnum eſt, Quod Grotius in-

teritum Flandriæ Pastoribus imputat, Alterum, quod hoc prælatorum quorundam, qui ad hostem transierunt, testimonio probat. Prius concedit Anonymus, sed alterum negat. Falsum enim esse ait, quod Grotius conatur hoc illorum testimonio probare, Fatetur quidem de Prælatis agere Grotium, sed non illorum testimonium produci, sed causationem eorum ad id referri, ut purgentur Ordines à culpa eiectionis. Quod ad causas interitus Flandriæ attinet, de iis agi demum dicit, pag. 80. sine ullo Prælatorum testimonio. Concludit igitur notabilem hic esse perversionem. Respondeo ad hæc, pessimè ipsum facere, quod in Ministros Flandriæ interitū transcribat.

Rem enim aliter habere historia & Patres nostri testantur. Sed quid si nonnulli Ministri proditioni operam suam commodarent, an hoc tam odiosè hîc in Ministros Ecclesiæ stringere debuit? Quis enim unquam culpam alterius præstabit ipse innoxius? Quis idcircò in Apostolos meritò invehetur, quod Iudas Dominum, aut Magistrum suum prodidit? Omnia ex omnibus angulis vetera nova corradit, ut odia & fætorem Pastoribus *Ecclesiarum* conciliet. Instar muscarum ulcera obsidet, iisq; suum imprimit dentem; vulnera sanè ita non solent sanari, sed refricari, & maiora fieri. Sed *Ecclesiæ* iura non aliter ipsi videntur infringi posse, nisi gratia & auctoritas Ministrorum hoc modo imminuatur.

Quod autem ad testimonium Prælatorum, verum est, non adhibitum fuisse illud ad probandum Flandriæ interitum. Sed parum refert. Sufficit enim ipsius Anonymi confessio, quod Ministris hoc imputaverit *Grotius*. Nam probatione opus non est, ubi reum confitentem habemus. An autem testimonio Prælatorum usus sit, ut purgaret Ordines à culpa eiectionis, an verò ad imputandum Pastoribus Flandriæ interitum, perparum interest. Nulla igitur causa est, cur hìc de notabili perversione adjiceret. Quin enim errore memoriæ, aut incogitantia hoc sit factum à D. Sibrando, nullus dubito, sed solet hic muscas captare, qui Elephantes non potest.

Numerus

Numerus 78. ex pagina 194. ita conceptus est:

Recte feceris si in veritatem diligentius inquisieris. Scribit Anonymus nihil contra veritatem dixisse Grotium. *Nempe* pastores quosdam offensos mentione recognoscendæ confessionis & Catecheseos Piet. pag. 33. Sed hoc non solum dicit Grotius, Addit etiam & hoc, culpam nimirum non habitæ Synodi penes ipsos Pastores hærere, quod negar D. Sibrandus. Sic enim pag. 189. *Addis ipsos Pastores impedivisse Synodi nationalis convocationem, eò quod non voluerunt in Catechismi & confessionis Belgicæ revisionem consentire. Quod arguit tibi perinde esse, quid scribas.* Scimus Ministros initiò perculsos & offensos mentione istius recognitionis aut *revisionis*, quod etiam fatetur D. Sibrandus pag. 193. sed & hoc verum est, quod & ipse pag. 191. scribit de Conventu præparatorio.

Ne igitur (inquit) concilij vel denegandi, vel differendi ullam occasionem præberemus, consensimus in ipsam revisionem, & tamen petivimus ut scandali vitandi causa alia vox in literis convocatorijs usurparetur. Decretum hoc totum istius conventus ad quæstionem octavam Fœderatorum Ordinum dictâ paginâ à Sibrando recitatum invenies. Ex quo apparet certiora hac de re potuisse aut debuisse scribere Grotium, si consuluisset aut diligentius expédisset Acta istius conventus.

Sed tria addit hic Anonymus quæ paucis perstringam. *Unum est*, Nullam esse causam cur ista voce (*Revisionis*) offendi debuissent Pastores. Cur? Quia revidere in hac materia non significat provocare adversus sententiam, sed poscere ut scriptum denuò examinetur. Sed priori sensu hoc verbum communiter apud nos usurpatur. Sic enim usus & mos obtinet, ut qui cupit revideri sententiam, provocet adversus sententiam. Vnde & hoc consequitur, sententiam istam denuò examini subjiciendam. quod & ipse Anonymus hoc loco fatetur. Posita enim revisione hac solenni, ponitur necessariò novum examen.

Quidquid etiam revisione dignum ex recepto iure iudicatur, illud dubium & incertũ esse necesse est. Sed illud magnum pu-

blicis Ecclesiæ Belgicæ, & Palatinæ scriptis adferet præiudiciũ. Rectè igitur scribit Ministris iustam causam offensionis fuisse, cum viderint formulæ consensus Ordinum insertam vocem istam revisionis, Nam qui in iudicio revisionem postulant, cecideruntcausâ. Nunquam autem Ecclesiæ Reformatæ causâ ceciderunt, *Alterum est*, Ordines Fœderatos rectè iudicasse non licere solum, sed & oportere in Synodo futura Catechismum & confessionem novo examini subjicere. Sed hoc falsum est.

Nusquã enim hoc in istis Actis apparet: Sed hoc tantum est notatum, Arminium, Wtenbogardum, & duos delegatos Synodi Vltraiectinæ ita iudicasse, reliquis omnibus Ministris aliter sentientibus, aut iudicantibus. Verba horum hæc sunt: *Quod cum rogamus, in hac tamen sententia sumus, in Synodo Nationali non utique oportere, sed licere, Confessionem Ecclesiarum Belgicarum recenseri, siquidem ipsa Synodus ex re nata id necesse esse iudicaverit, &c.* Verba illorum quatuor hæc ex adverso ita sonant: *Expressè dicimus, Confessionem Belgicam oportere relegi & expendi in Synodo, quod ex more solet fieri, & hoc præsertim tempore necessarium est.*

Neque puto hac in re unquam fœderatos Ordines suam sententiam interposuisse. Non autem video, ullam causam, cur hoc ita *oporteat* fieri, nisi velint ista scripta κατὰ διάνοιαν mutari, quod tamen initiò negabant, *Tertium est*, Non habuisse necesse Ordines idipsũ, an hoc oporteret, Synodi iudicio permittere. Sed ita possent dicere iudicio Syndodi ullas causas fidei permittere Ordines eosdem non habere necesse. Verum aliter iudicant Dei beneficio ipsi Ordines nostri Belgii, qui statis & legitimis Ecclesiæ iudiciis hactenus nihil derogatum voluerunt. Nihil autem est, cur eapropter Adversariis nostris gratiam debeamus, quibus hoc potius ægrè esse videmus, quod, oppressâ planè libertate & auctoritate Ecclesiæ, omnia non ad nutum ipsorum susque deque agant, ferant.

Iam tandem

Iam tandem ad Ordinem presbyterorum nostrorum deventum, & ex pagina 194. hæc verba Sibrandi carpsit, atque inde Numerum 79. confecit.

ET iam in Presbyteria nostra irruis & totum hunc ordinem ut nuper aut nudiustertius inventum & Reipub. noxium non tolerandum esse doces. Anonymus dicit falsum esse, quod irruat Grotius in Presbyteria. Imò dicit, eorum usum probare salvâ Magistratus auctoritate. Piet. p. 72. Respondeo iam sæpius supra probatum esse, quod irruat in presbyteria *nostra*. Imò quid aliud hac ipsa pag. 72. agit; quum Presbyteros Ecclesiarum nostrarum vocat ἕυρημα nostrum? quod tamen in ult. edit. expunctum fuit. DE ORDINE PRESBYTERORVM Ecclesiæ Belgicæ.

Non iuvat ipsum, quod ex Bilsono dicat, Presbyterii istius auctoritatem pacis tempore à pio Magistratu mutuandam esse Non enim quæritur de externa quadam auctoritate istius cætus sed de prima institutione. Non negamus publica auctoritate Magistratus non solum Presbyteriis ipsis, sed & toti Ministerio, adeoque universæ Ecclesiæ Christi opus esse. Quapropter omnes pii Principes meritò nutritii Ecclesiæ à Propheta vocari merentur.

Cum igitur à Magistratu esse dicant hæc presbyteria, intelligunt institutionem eorum esse merè humanam. Sic enim seq. num. 80. dicit. *Hos temporarios & laicos auctoritatem posse accipere humanam ab Ecclesia aut Magistratu fatetur Grotius, habere divinã non putat.* Sed aliud traditum & probatum fuit hactenus in Ecclesiis nostris, ut mox docebo. Sequitur ergo non solum irruere in nostra presbyteria, sed etiam ea improbare ac tollere. Notetur quod D. Sibrand. dixerit de nostris Presbyteriis, hoc est de iis, quæ in nostris Ecclesiis obtinent. Nam, quæ ipsi comminiscuntur presbyteria, ea non sunt nostra.

Numerus 80. ex eadem pagina ita legitur:

SCire debes hunc ordinem habere auctoritatem in verbo Dei, & exẽplo primitivæ Ecclesiæ probari posse. Anonymus hic primum describit Presbyteros nostros. Deinde dicit tales non habere divinam auctoritatem, & exemplum primitivæ Ecclesiæ. Tertiò scribit ita sentire Anglicanam Ecclesiam & bonam partem Germaniæ. Vltimò respondet ex Bilsono ad loca Actor. 15. & 16.

Quod ad primum membrum, dicit hæc duo in nostris Presbyteris à Grotio notari, prius quod sint temporarij: alterum, quod non doceant neque sacramenta administrent, hoc est, uno verbo, quod sint Laici. Respondeo Nos ista duo concedere benè intellecta. Quod enim publicè ex ambone non doceant, neque sacramenta administrent, hoc non est novum. Nam (ut mox audiemus) inter Presbyteros Apostolicarum *Ecclesiarum* antiquitus etiam tales fuerunt, qui postea, si benè rexerint & idonei iudicati fuerint, ad βαθμὸν alterum *Presbyterorum* evehebantur.

Quod autem iidem temporarii sint hodiè apud nos, illud nostrorum temporum difficultati aut infelicitati meritò imputandum erit. Sic enim Beza contra Saraviam cap. 11. pag. 68. *Quod autem certum illis spatium vel annuum vel longius consistorialibus legibus præscribitur, partim idcircò fit, quod plærique alioqui munus istud ultrò, ut nunc sunt tempora, sint recusaturi: deinde quod quamvis legitimè, & ita ut oportuit delectos, experientia postea interdum testetur expedire mutari: quod alioqui absque ipsorum existimationis detrimento fieri non posset.*

Rectè & distinctè etiam Iunius ad quæstionem hanc, quæ est numero quinquagesima prima, ita respondit: *quia in omni vocatione duo spectanda sunt, unum quid debeatur: alterum quid possit obtineri, ex eo factum est, ut presbyterij ratio duplex in Ecclesiam invecta sit. Nam ubicunque Presbyteri potuerunt & dono Dei & commoditate vitæ instrui, ibi presbyterium fuit perpetuum: ubi autem Presbyteri non ita fuerunt instructi donis, sed ex necessitate in antecessum sive per provisionem (ut loquuntur) adhibiti, aut per commoda sive Ecclesiæ, sive ipsorum non potuit, ut in functione persisterent, ibi tolerandum est,*

ut Presby-

ut Presbyteri ad tempus ministrent. Et mox: *Nostra autem hæc tempora ea sunt, ut quod proverbio dicitur, pro opibus fundentur mœnia, Presbyteri temporarij admittantur & tolerentur: Quod si commoda ratio præstò esset, perpetui in Ecclesiæ ministerio futuri essent.*

Prudentia enim est, inquit Cicero, videre non tantum quid debeat, sed quid possis. Quomodo alterum necessitatem, alterum commoditatem respicit, quam humanitas Ecclesiæ non potest negligere, ut quasi jugum imponat homini ad subeundum ipsum impotentiori. Eadem respondet ad quæst. 92. *Dona duorum sunt generũ, alia ad vocationem spiritualem & Ecclesiasticam propriè, primò & per se pertinentia: Hæc dona vocat Scriptura Spiritus: alia verò sunt commoda, sine quibus vocatio rectè præstari non potest, cujusmodi sunt τὰ βιωτικὰ, quæ ad toleranda hanc vitam pertinent etc. Nunc autem Ecclesiarum nostrarum alia est ratio, in quibus nec viri donis spiritualibus & temporalibus instructi tam cõmodè haberi possunt & c. Quapropter quum neq; per commoditatem membrorum, neque per facultates Ecclesiarum, neque per fraternam caritatem omnium id præstari commodè potest, quod in Ecclesia prisca fuit commodum, atque salutare: optarent quidem boni id jam præstari posse, sed propter præsentem necessitatem medium excogitatum est, quo & tenuitas Ecclesiarum levetur, & membra particularia plus æquo non onerentur, prout futurum esset, si perpetua functio alicui de propriis commodis indicta esset. Itaque illud ex Scriptura est, hoc ex necessitate præsente, donec plus cõmodorum contulerit Deus.* Hæc Iunius. Ex quibus apparet, quod temporarium sit hoc munus apud nos, hoc non tollere essentiam ipsam, prout illud apud Apostolos fuit perpetuum: Functio enim eadem esse potest, etsi duratio eius in una persona non est eadem.

Nõ aliter judicat Synodus Provintialis anteannos tres Vltrajecti Ordinum istius ditionis authoritate habita, ac proinde Illust. Ordines ipsi, qui Synodum istam indixerunt, confirmarunt & promulgarunt. Sic enim atticul. 1. de Senioribus p. 13. b. habet: *Sicuti, in magnis præsertim Ecclesijs, necessariò quidam pij & graves viri debent adhiberi, qui ordinarijs inspectoribus Ecclesiæ, hoc est, Pastoribus & Doctoribus adjuncti, Ecclesiam una regunt ad veritatis & Pietatis in Ecclesia propagationem & confirmationem, quemadmodum idipsum* in Apostolica Ecclesia *etiam usitatum fuit. Quia tamen* præsens status *horum temporum non patitur, ut tales viros habeamus,*

qui istud

qui istud munus perpetuo & semper, uti optandum esset, obeant aut administrent, visum fuit ad tempus retinere eandem formam hactenus observatam.

Sed quid si iste noster Presbyteratus esset perpetuus, an tunc divini juris agnoscerent? Neque hoc puto. Hoc enim insuper requirũ, ut si Apostolici presbyteri erũt, doctrinæ & sacramẽtorũ administrationi incumbant. Concludunt ergo ex his istos Presbyteros Laicos esse. Sed hic supponunt quod necdum est probatum, distinctionem nimirum istam, quæ fingitur, inter Clericos, & Laicos. Agnoscunt omnes nostri Theologi in Ecclesia esse duos ordines, Pastores scil. reliquosque *Ecclesiæ* ministros & populum. Sed nusquam vidẽt, vocari illos singulari hac appellatione Clericos: Vox quidem ista apud Apostolum *Petrum* extat, sed communis est toti *Ecclesiæ*, quæ verè est sors Domini. Sed Pastores Ac Ministri non sunt soli tota *Ecclesia*. Tertull. Exhort. ad Castitatem 2. 507. *Nonne ait & laici Sacerdotes sumus*, &c. Differentiam inter ordinem, & plebem constituit *Ecclesiæ authoritas*.

Hæc solidè à nostris disputantur contra Pontificios; vide Calvinum Inst. 4. cap. 4. §. 9. Iunium contra Bellarm. de Clericis lib. 1. cap. 2. & reliquos omnes. Agnoscunt quidem à Patribus distinctionem Cleri & populi usurpatam, sed Calvin. in. 1. *Petr.* 5. 3. *Vetustus quidem (inquit) fuit mos iste loquendi, ut totum ordinem Ministrorum Clerum vocarent. Sed utinam Patribus nunquam venisset in mentem ita loqui &c.* Non autem hoc opravit Calvinus, (interprete Iunio) propter rei, aut vocis vitium, sed propter abusum posteritatis, qui fuit *Ecclesiæ* damnosissimus. Hoc addit ibid. Iunius. *Prisco tempore olim apud Patres est nata hæc appellatio Cleri, sed posteriore tempore apud Patres in Ecclesia adnata est æquivocatio. Appellationem boni profectò propter se non damnant simpliciter, sed æquivocationem imperitè aut ambitiosè* (Calvinus dixit, ex errore aut prava affectatione) *adnatam*. Deinde concessa hac distinctione, quomodo possent censeri Presbyteri nostri inter Laicos, hoc est, idiotas aut privatos, ut propriè secundum Apostolum 1. cor. 14. 16. loquamur? *Ex* plebe enim aut etiam Magistratu seligũtur jam εἰς κλῆρον τῆς διακονίας ταύτης ut olim ex laicis quoq; Episcopi & Presbyteri allegebãtur. apud Tertull. *Exhort.* ad Cast. p. 507. &c

507. & de Monogamia p. 522, 523. Qui enim ad hanc functionē Ecclesiasticam legitimē vocantur, illi utique non inter Laicos, sed Ecclesiasticos, aut Clericos ita dictos, numerari debent, utpote qui jam non amplius privati inter populum versantur, sed in *Ecclesia* publicam functionem cum pastoribus obeunt. vide Bezam contra Saraviam pag. 38. & 64. Si dicant, non diu manent tales, sed post annum aut alterum iterum hanc functionem exuunt, aut deponunt. Respondemus, restituant nobis felicia ista tempora Apostolorum, & libenter patiemur continuari ad vitam. Sunt etiam Ecclesiæ, ex quarum consuetudine functio hæc cum vita finitur, & inter cæteras Embdana.

Instant deinceps. Non utique docent publicè, neque sacramenta administrant. *Sed* neque Diaconi docent, neque sacramenta administrant ex lege Apostolorum scripta Actor. 6. 2. 4. Ergone & ij, qui tunc non ex Clero, qualem jam peculiari titulo indigitant, sed ex populo etiam eligebantur, Laici fuerint? Vtrosque autem vocatio, & confirmatio Ecclesiasticos facit, dum curant & agunt, quæ sunt Ecclesiæ, à qua vocati sunt Et quod ad presbyteros nostros attinet, habent sane illi quod ratione muneris in *Ecclesia* agere debent: docent *Ecclesiam* in consistorio, & alibi, cēsuræ & emendationi morum præsunt cum pastoribus, cavent ne doctrinæ & sacrametorum puritas vitietur, Scandalis tollendis, aut sanandis invigilant. Breviter ex præscripto verbi divini suo modo etiam totam *Ecclesiam* & singulos in Ecclesia pascunt. An hæc omnia Laicorum, & non potius Ecclesiasticorum hominum munia sunt?

Sed si ex more veterum hæc omnia ita præcisè capimus, apparebit neque Tertulliani tempore licuisse jure suo ipsis presbyteris baptizare: *Si* tamen hoc aliquando fecerint, concessum aut indultum fuisse ab *Episcopo*, eo modo, quo & in Laicos ipsos ius hoc resignari potuerit. Sic enim loquitur de Babtis. *Dandi Babtismum jus habet summus sacerdos, qui est Episcopus, Dehinc Presbyteri et Diaconi, non tamen SINE EPISCOPI AUTHORITATE propter Ecclesiæ honorem, quo salvo, salva pax est alioquin etiam Laicis IUS est.*

Quod ad alterum membrum, disertè negamus istos nostros Presbyteros carere divinâ authoritate, & exemplo primitivæ

Ecclesiæ. Quod ad auctoritatem Scripturæ vide & expende loca scripturæ apud Bezam contra Erastum pag. 104. 105. & apud Sibrandum pag. 193. 194. Testimonia autem ista omnia huc congerere aut transcribere non puto iam necesse esse, & mox de quibusdam amplius & distinctius agetur. In primitiva Ecclesia tales Seniores locum etiam suum obtinuisse patet ex Hieronymo, qui cætum Presbyterorum Senatum Ecclesiæ appellat, Tertull. in Apolog. cap. 39. pag. 577. *Ibidem (scilicet in cœtibus Christianorum) etiam exhortationes, castigationes & censura divina. Nam & iudicatur magno cum pondere, &c. Si quis ita deliquerit, ut à communicatione orationis & conventus & omnis sancti commertij relegetur, præsident probati quique Seniores, honorem istum non pretio, sed testimonio adepti.* Nemo apertius quam Ambrosius hunc ordinē & munus descripsit: Sic enim in 1. Tim: 5. 1. *Nam apud omnes utique gentes honorabilis est senectus, unde et Synagoga, et postea Ecclesia seniores habuit, sine quorum consilio nihil agebatur in Ecclesia: quod qua negligentia obsoleverit, nescio nisi fortò Doctorum desidia aut magis superbia, dum soli volunt aliquid videri.* *In cap. 3 Esai.*

Quod autem Tertiò scribit Anglicanam Ecclesiam & bonā partem Germaniæ ita sentire, iterum invidiosè hoc, ut multa in hoc libello, scriptum est. Sed si authoritatibus certandum erit, opponi possunt Gallicana *Ecclesia*, & multæ *Germanicæ*. Sed quorsum cum infamia & ludibrio Christiani nominis offendicula & dilacerationes *Ecclesiæ* refricantur? Habeant Angli, & alii suum ordinem ex Papatu, aut potius ex ulteriori Antiquitate reliquum. Fruantur etiam & Belgæ, & alii suo ordine ex Apostolorum monumentis & praxi postliminio *Ecclesiis* restituto. Non enim hic attendendum, quid antè mille annos in usu fuerit, sed quid ab Apostolis institutum, & in primâ istâ *Ecclesia* post illos fuerit observatum.

Interea & hoc verum est, multos Theologos Anglos Germanos, Helvetios nobiscum hîc sentire. Musculus ad hæc verba, Rom. 12. *Qui præest, in diligentia*, sic scribit: *Habet quælibet Ecclesia suos profectus & gubernatores, quibus generaliter Ecclesiæ necessitas est commendata. Isti sunt seniores, quorum est cum diligentia cunctis quæ necessaria sunt providere.* Sed nusquam clarius quam in commentariis in 1. Epist. ad Cor. cap. 12. ubi inter varia Ministeriorum

steriorum Ecclesiæ genera numerantur ab Apostolo κυβερνήσεις. Ad hanc vocem ita annotavit: *Homines erant sapientia & intelligẽtia rerum præstantes, ætate matura ac graves aspectu, qui in Senatum Ecclesiæ sublecti magno cum põdere inter fratrem et fratrem judicabãt, quorum mentionem Tertullianus in Apologetico fecit, dicens: Ibi sedent probati quique seniores, & judicant magno cum pondere: Tales sunt hodie quos consistorio, ut vocant, præfici videmus, in quibus adhuc aliqua sunt Veteris Ecclesiæ, vel si mavis, Ecclesiasticæ gubernationis vestigia.*

Bucerus sic scribit ad Mathæum cap. 15. de Clavibus Regni cælorum inter cætera: *Postremò ad hanc potestatem Ecclesiæ attinet constituere publicos Ecclesiæ Ministros, Doctores, Pastores, Gubernatores, Diaconos,* Et paulo post: *Hæc potestas penes Ecclesiam omnem est, authoritas modo Ministerij penes Presbyteros & Episcopos, ita ut Romæ olim potestas populi fuit, authoritas Senatus, Princeps potestatis huius, ut totius huius Reipub. Christus est, Administri ejus, qui eam ex Spiritu & verbo Christi administrant.* Idem Bucerus in defensione reformationis Colonienſis Archiepiscopi pag. 372. *Iam præcipit Dominus per Apostolum Paulum ut omnia in Ecclesia sua optimo ordine communissimè & ad ædificationem aptissimè administrentur. Docuit etiam, ut Ecclesiis constituantur Presbyteri, sive sint in pagis, sive in urbibus Actor. 15. et Tit. 1, idque non in eorum numero tãtum, qui simul etiam Doctores esse possunt, sed & ex alijs probatis ac fidis Christianis, ut Ambrosius scribit, in 5. cap. prioris Epist. ad Timoth. Et post recitatum istum locum ita concludit: Qui si antiquus fuit & divinus tam Synagogæ quam Ecclesiæ Christi ritus, & malum est eum obsolevisse, quare non bonum & Christianum sit, atque idcircò ab Adversarijs minimè carpendum, EUNDEM RESTITUERE?*

Vide eundum etiam ibid. pag. 115. Quid Zwinglius & Oecolampadius hac de re judicent, & doceant, ostendetur infra Num. 87. vide quoque, Piscatorem ad locum Rom. 12. qui seniores & gubernatores nostros ab Apostolo ibi designari docet. lege Zepperum lib. 2. cap. 12. de potest. Eccles. D. Paræum ad Rom. 12. 8. Zanchium Confess. cap. 25. ait. 7. Quod ad locos Actor. 15. vers. 2. 4. 6. 22. 23. & 16. 4. attinet, dicit illos agere de Presbyteris, qui sunt perpetui Pastores, ut demonstrat Bilsonus cap. 10. Sed quid vetat, quo minus & inter istos comprehendi possint gubernatores nostri Presbyteri, præsertim cum hæc res Ierosolymis

lymis agebatur. Nam ad Seniorum populi Iudaici similitudinẽ (teste Ambrosio) Ecclesiæ Christianæ Seniores ab Apostolis sunt instituti. Et quis dubitat in ista urbe Iudæorum Metropoli ab ipsis Apostolis, qui in ritibus Mosaicis educati erant, hoc initiò manasse? In omnibus n. quantum poterat fieri, Apostoli τὰ τῦ Μωσέως ἐζήλωσν, aut imitabantur, ut ne suæ genti offendiculo essent, sed multos Christo lucrifacerent. vide quæ narrantur Actor. 21. 18. 20. Isti autem Presbyteri, de quibus ibi sermo, gubernabant cum Iacobo Apostolo *Ecclesiam* Hierosolymitanam, Non autem poterant credentes ex Iudæis minimam ἀποστασίαν ἀπὸ Μοσέως tolerare, Actor. 21. 21. Omnium enim commodissima & utilissima gubernandæ Ecclesiæ ratio hæc fuit habita à Deo, Nempe quod Sacerdotibus, & Levitis olim adiungebantur Seniores populi. Hinc est quod eandem formam secuti sunt Apostoli in *Ecclesia* gubernanda. De quo Beza contra Saraviam pag. 76, 77.

Ita intellexit istam vocem Rod. *Gualterus* Helvetius, qui alioqui huic ordini iniquior est. Nam quum in homiliis ad istos dictos locos lectorem remisisset ad cap. 14. proximè præcedens Actor. ver. 23. docet ibi hæc quæ sequuntur: *Dicuntur Presbyteri sive Seniores quos nimirum per singulas Ecclesias crearunt Paulus & Barnabas partim quidem verbi Ministri & Pastores, partim verò qui Pastoribus in Ecclesia administranda adsunt & publica authoritate morum disciplinam tuentur,*

Atque ita accipit istos Presbyteros *Zuinglius* ipse vide *Epist.* Zuinglii p. 8. locum infra recitabo totum, Num. 87. Provocat ad cap. 10. Bilsoni, sed ibi nihil extat quod demonstret Presbyteros istos, quorum meminit Lucas Actor. 15: & 16. designari tantum Pastores aut verbi Ministros, Video ab ipso quidem responderi ad reliqua loca N. Test. pro presbyterio nostro, sed non ad ista duo ex Actis Apostol. sumpta. Hoc tamen apud ipsum p. 180. reperio, *Ecclesiam*, quæ tunc Hierosolymis erat, à sancto Luca in istis locis in tres Ordines distributam, Apostolos, Presbyteros, & fratres, & nomine Presbyterorum Diaconos etiam contineri. Vnde & hoc apparet, si Diaconi comprehendantur generali voce Presbyterorum, multò magis alterum illud genus Seniorum, qui censuris præsunt, etiam designari oportere.

Numerus

Numerus Octogesimus primus ex eadem pagina Centesima Octogesima quarta ita habet:

Iudaica Ecclesia in singulis urbibus habuit seniores. Respondet Anonymus. Seniores ibi fuisse Magistratus, sive politicos. quatales. Demõstrat hoc (inquit) Bilsonus cap. 4. Et Erastus cõfirmat thesium lib. 4. cap. 3. & 4. Atque ibi extare dicit argumẽm irrefragabilia. Non nego Seniores per singulas civitates fuisse etiã Politicos Magistratus qui in portis ius dicebant. Neq; hoc opus fuit operosè demonstrari ex Bilsono & Erasto. Sed hoc dicitur præter hos seniores politicos fuisse etiam collegium à superiore distinctum in singulis oppidis & levitarum qui in Synagogis tractabant, administrabantque causas religionis. Deinde & hoc dicitur, ad regendas istas synagogas adhibitos fuisse cum authoritate publicâ aliquos illustres cives sive ex istis judicibus ordinariis, sive alij ex plebe ista electi fuerint, Luculenter hoc docet Beza contra Erastum pag. 95. 96. 97.

Quod autem judicia civilia ab Ecclesiasticis distincta fuerint liquidò patet ex 2. Paral: 19. 8. 9. Nulla enim ratio textus patitur, ut ista confundi debeant. Neque obest, quod postea hac in re variatum fuit, quum omnia in Repub. & Ecclesia vitiari, corrumpi, & misceri inciperẽt. Loquor enim de ordinum institutione, quæ primitus à Mose jussu Dei facta & à Iosaphato Rege restaurata, & diu conservata fuit. Ex isto etiam textu & hoc patet, summum istud synedrium Ecclesiasticum fuisse compositum ex Sacerdotibus, levitis, & ex capitibus Patrum. 1. præcipuæ inter populum authoritatis civibus, qui interdum in Euangelica historia πρεσβύτεροι absolutè dicuntur. Si igitur in supremo illo collegio Hierosolymitano, ad quod ab Inferioribus provocatio fiebat, teles ex plebe seniores constituebantur, cur ab istis infimis singulatum civitatum Ecclesiasticis synedrijs excludentur id genus seniores? Bertramus de politia judaica Cap. 15. a. 112. *Qui ex levitis ad Ecclesiastica judicia adhibebantur, erant vel Hierosolymis, vel in alijs urbibus levitarum, & præcipuè in illis quæ dicuntur*

refugij, Hierosolymis præcipuè, sed in alijs illis urbibus judicium Ecclesiasticum non solum constabat ex præcipuis sacerdotibus, Levitis, sed & prophetis, imò ex aliquibus ex ipso populo. Idem cap. 10. pag. 57. *Ex eadem ergo familia adhibiti sunt ad regendam Ecclesiam & ad politiam civilem gubernandam, ita tamen vt nulla esset utriusque politiæ confusio & permixtio, vt etiam apparebit ex his quæ à Iosaphato restituta sunt, vide reliqua.* D. Bilsonus & Erastus toti in hoc sunt, ut confundant utramque politiam, locum autem istum celebrem 2 paral. 19. ita interpretantur, ut unicum tantum collegium & judicium ibi designati dicant.

Videamus argumenta Erasti, quæ hic Anonymus irrefragabilia dicit. Primum est, quod Deut. 17. 8. à Deo institutum sit unicum summum synedrium, ad quod appellatio fierit, illudq; dicit merè politicum fuisse. Sed fallitur. Distincta enim ibi memorantur duo collegia. Patet hoc ex vers. 12. Nam ibi sic: vir ille qui commiserit superbè, ut non auscultet sacerdoti, aut Iudici morietur. *Si* enim in unum tantum collegium sacerdos & Iudex compacti fuissent, dixisset Moses, qui non auscultat sacerdoti & iudici. Vtrumque enim unico iudicio præfectum dicunt.

Ideoque Iunius vers. 2, ita vertit, *Adibis Sacerdotes Leviticos, vel ad summum judicem qui erit diebus illis*, & rectè annotavit: *Conjunctionem disjunctivam esse apparet ex vers. 12. ut enim ipsa munera esse disparata constat, ad quæ hæc officiorum nomina respiciunt ὕστερον πρότερον Hebræo more.* Nimis coactum est, quod dicit Erastus pag. 272. Ita loquutum fuisse Mosen propter diversa tempora; Quippe principes aut judices non fuerunt semper iidem, sed sæpè soli Sacerdotes gubernarunt. Sed ibi sanè Moses non de abusu istius summi iudicii, sed de legitimo usu loquitur. Non autem hoc legitimum & ordinarium ex ipsorum sententia erit, cum Sacerdotes soli gubernant, & quomodo illi soli, si LXX. seniores politici ipsis adiungentur? Sed initat Politicum fuisse illud iudicium, quia ad illud velut ad supremum cõsessum ab inferioribus & politicis iudiciis fiebat appellatio.

Respõdeo, Iam antè probatum est, fuisse quoque per civitates inferiora Ecclesiastica iudicia, ideoque & ab iis provocationem ad summum

ad summum consessum Ecclesiasticum, qui etiam Hierosolymis habitus fuit: Vrget deinde hoc argumento, *in isto summo iudicio sententia de capite & sanguine ferebatur, Ideò debuit esse merè politicum.* Sic enim vers. 8. *Si occulta erit res tibi in iudicio ferendo inter cædem & cædem, inter litem & litem, inter plagam & plagam de rebus controversis, &c.*

Respondet pro nobis Iunius ad hunc locum ita: *Cædes politicæ sunt, & ad Iudicum cognitionem pertinent, plagarum discrimen ad cognitionem Sacerdotum: Litium verò aliæ politicæ, aliæ Ecclesiasticæ, cujusmodi sunt quæ aut propter conscientiam magis institutæ sunt, ut Zelotypiæ & consimiles, aut quæ civili iudicum cognitione pervestigari non possunt, sed propter rei probationumque incertitudinem permittuntur eorum conscientiæ,*

Nulla igitur certa ratio convincit fuisse iudicia ista duo à Mose confusa; Ex quo etiam sequitur cum Rex Iosaphatus collapsum istum iudiciorum ordinem restaurare vellet, distinxisse eum ad normam primæ institutionis in duo iudicia, quorum unum res sacras, alterum res civiles obiret. Nam primum, ut & hoc addam 2. Par. 19. vers. 9. disertè discernuntur iudicia Iehovæ & lites. Deinde versu undecimo, nominatim distinguit præsides istorũ iudiciorũ. Tertiò discernit illorũ munia & officia, adeòque ipsas causas, & negotia quæ separatim ab utroque in istis summis consessibus agitarentur. Verba textus hæc sunt: *Ecce Amaria sacerdos primarius inter vos in omni negotio Iehovæ; Zebadia verò antecessor in domo Iudæ in omni negotio regio.* Nimium quantum desudat hic & variat Erastus pagina ducentesima septuagesima tertia, ducentesima septuagesima quarta, ducentesima septuagesima quinta, in explicatione negotiorum Domini & Regis. Sic enim pagina ducentesima septuagesima tertia, *utrumque* (Zebadiam scilicet & Amariam) *eidem synedrio præfuturum dicit, ita tamen, ut alter Dei causas, alter Regis negotia præcipuè curet. Quidquid verò per negotia Domini & Regis intelligendum commendatur, semper tamen hoc manet firmum, iudicia non fuisse duo distincta instituta, sed unicum.* Imò pag. seq. quum nullum exitum reperire possit, huc confugit, ut dicat, *non anxiè nobis quærendum, quid per negotia Domini, & Regis intelligendum sit.*

Hæret igitur hic ipsi aqua, & ubi pedem figat, non invenit locum.

locum. Ne tamen causam suam prodat, aliquid dicit. *Non possunt*, inquit, *singuli diversis Senatibus præpositi esse, quia Iosephus Antiq.* libro nono capite primo, *eos vocat* ἑταίρους. Sed hoc nihil iuvat ipsum. Nam qui in uno sunt Collegio, non dicuntur solum ἑταῖροι, sed qui in pari honorum fastigio etiam collocati sunt, Vterque enim præsidebat cum auctoritate suo consessui, ideòque pari consortio honoris & dignitatis præditi, distinctis tamen manentibus iudicijs. Ita Moses & Aaron possunt dici ἑ. ταῖροι, hoc est, teste Eustathio & Hesychio ἐξαίρετοι, σωκθεῖς, συνεργοὶ, etiamsi singuli agebant, quod suum, aut sui muneris & iuris erat. Non enim alteri in alterius munus involare licebat.

Deinde ex textu aliquid subsidij petijt. Nam quia Iosaphatus ipsis addebat (*præfecti coram vobis erunt Levitæ*) ille colligit pari potestate ipsos præsediss'e in eodem iudicio. Dicit enim ipsum Regem ordinasse levitas in Ministros utriusque ex æquo. Sed neque hoc verbis istis significatur ab ipso Rege, sed tantum moderatores reliquos & Levitas ipsis præsto futuros, ut non solum consulentibus de iure respondeant, sed ut etiam prompte exequantur, quæ ab utroque Collegio essent definita. Nam & Bertramus capite decimo, pagina quinquagesima sexta, *Docet ex Levitis sub Davide iudices & præfectos assumptos fuisse, qui cum ordinarijs, & municipalibus Iudicibus de plano judicarent de rebus leviculis: deinde ut essent etiam quidam alij, qui judicatas res exequerentur, vel certè quod verisimilius est, qui assessores erãt judicum ordinariorum, qui & ipsi de rebus pecuniarijs cognoscerent & iudicarent, ipsamque rem iudicatam exequerentur.* Vltimò confugit ad cap. vigesimum sextum libri primi Paralip ubi scribitur, *Habiam cum fratribus præfuisse regioni ultra Iordanem in omni opere Domini & Ministerio Regis.* Item *de Iedia, quem David præfecit Rubenitis, Gaditis, &c. in omni re Dei & Regis.*

Vnde concludit in uno eodemque iudicio diversa ista negotia Dei & Regis potuisse ab istis duobus præfectis administrari. Respondeo ex disparitate exemplorum nihil concludi. Illic n. duo ponuntur distincti Præsides summi, quum in his exemplis de unico tantum præside agitur. Deinde nulla ibi designantur iudicia, quibus in istis dictis regionibus eos præfecit David, sed agitur ibi de cura earum rerum, quæ foris extra Ierosolyma e-

rant

rant parandæ ad futuram templi ædificationem,& continuationem cultus Dei, idque ex mandato Regis. Eadem hæc leguntur apud Nehem. 11.16. cum post reditum ex Babylone omnia etiã parabantur, quæ ad Templi reædificationem pertinebant: Item Schabbethai & Iozabad præfecti operi externo pro domo Dei è primoribus Levitarum. Eruditè quoque ad nostram mentem de istis locis cum Harto disseruit Rainoldus. Cap. 6. Colloquii p. 292. 394. Atque hæc ad Erasti argumenta dicta sunto, quibus cõfundere conatur ut iudicia ista Iosaphati, Sed mirũ nõ est istos duos ordines ab Erasto permisceri, quum etiam tradat Magistratui licitum esse verbum & Sacramenta administrare, A qua tamen opinione gaudeo D. Grotium alienum esse: vide Erastum pag. 265.

Sed redeo ad Anonymum. Voluit is, uti supra audivimus, Ordinem Presbyteriorum nostrorum convellere, ideò quod Seniores populi Iudaici fuerint politici. Hoc ipsi conceditur, sed additur, eriam fuisse ita dictos, qui in iudicio Ecclesiastico Sacerdotibus & Levitis erant adiuncti. Neque hoc solum in hac causa considerandum venit, sed, ut clarius hoc explicem, dico cum nomine Presbyterii derivatam quoque ad Christianam Ecclesiã, formam, speciem & similitudinem quandam ordinis, iurisdictionis, & potestatis. Nihil enim certius est, quam Collegium & iudicium, aut Synedrium Iudæorum totum dictum fuisse Presbyterium. Sic enim apud Lucam cap. 22. 66. legitur. Συνήχθη τὸ πρεσβυτέριον τοῦ λαοῦ, ἀρχιερεῖς τε καὶ γραμματεῖς, καὶ ἀνήγαγον αὐτὸν εἰς τὸ συνέδριον ἑαυτῶν.

Et hoc quoque certum est, Presbyterium istud non compositum fuisse ex solis Presbyteris, unde nomen hoc suum traxit, sed ex Sacerdotibus & Levitis. Hinc igitur ad judicia Ecclesiæ Christi devoluta est appelatio Presbyterij, quod extat 1. Tim. 4. 14. & designatur totus ille consessus & Cætus Ecclesiasticorum præfectorum, qui apud Matth. 18. 17. etiam *Ecclesia* appellatur à Christo, mutuata etiam ab Iudæis voce, Rectè enim Bertramus cap. 5. pag. 38. ex Mose & Aben Hezra, & Rabb. Salomone docuit Senatorum istum cætum, qui apud Iudæos statis horis & locis aggregari solebat, vocatum fuisse, *gneda* & *kahal*, hoc est, Ecclesia, congregatio, de quo etiam supra Num. 15. aliquid dixi.

Constat igitur istud Presbyterium Christianum non ex solis Presbyteris, sed Pastoribus, Doctoribus, hoc est, Episcopis etiam, ut illi vocant. Sic enim schola Genevensis in Thesibus de disciplina Ecclesiastica mentem suam explicuit. Thesi enim 21. 22. 23. sic scribunt: *ex Luc. 22. 26. Apparet, Presbyterium nihil aliud esse quam consessum Ecclesiasticum in suas partes distributum. Unde verò & qua causa hic cœtus in N. Test.* πρεσβυτέριον *appelletur, nec non ex quibus hominibus Apostolorum temporibus constaret, explicata conjugati significatione plenius intelligemus. Presbyteri sive Seniores in omnibus linguis vocantur in genere omnes Præfecti, non habita ratione ætatis, sed morum, quibus præditos decet esse eos, qui cæteris præficiuntur. Ideòque eodem nomine vocati sunt Ecclesiarum Præfecti, & eorum conventus* πρεσβυτέριον *appellatum. Duo autem fuisse Presbyterorum genera ex 1. Tim. 5. 17. colligimus, quorum alij laborabant in sermone & doctrina: alij respondebant iis, qui in Ecclesia Iudaica capita Patrum, Patriarchæ nominabantur.*

Iunius in analysi Deuter. cap. 17. solidissimè discussit hanc quæstionem, & ex Scripturis negat probari posse idem fuisse apud Israelitas iudicium politicum & Ecclesiasticum, aut concilium idem, sed docet distinctum fuisse unum concilium ab altero, distinctum officium & auctoritatem diversam, cum authoritas politica sit imperii, Ecclesiastica ministerii. Et quæ in cõtrarium adferuntur argumenta, verè & nervosè diluit. Idem in præfatione Analyt. Explic: Numerorum ad Iacobum VI. Regem M. Britanniæ, quum de ordinis distinctione & observatione in Ecclesia & politia Israelis ageret, inter cætera sic conqueritur: *Quain re subjit persæpè animum meum admiratio, quid iis in mentem venerit, qui iudiciale istud Synedrium cum Ecclesiastico summo consessu, qui Hierosolymis erat, confuderunt. Nam diversos consessus istos ac differentes fuisse, auctoritas & ratio, & exempla sacræ Scripturæ docent luculentissimè* Vide reliqua. Concludit ille hanc quæstionẽ aureis istis verbis: *Sacerdotij iusti Synedrio quid cum humano regno? Politico Synedrio quid cum Ecclesiæ administratione commune? Nescit onus suum, quisquis sibi alterum onus insuper desiderat. Ad utrumvis respicias, impares sumus, nisi adsit Deus: ad utrumque simul ordinariè uni homini se adfore nunquam promisit Deus. Quid sibi homo sine Deo spondeat? hic enim statuit, qui & infirmitatis humanæ sciens, & ordinis vocationis,*

vocationis, cultus, rerumque suarum Zelotypus. Extra ordinem facit quum vult: vult autem rarò. non est cujusquam hominis sine vocatione extraordinaria Dei ordinem convellere.

Numerus 82. Ex eadem pagina 194. excerptus est:

Scire debes in primitiva Ecclesia duos fuisse ordines Presbyterorum: quidam enim pascebant Ecclesiam pabulo verbi Dei, alij præerant censuræ morum. 1. Tim. 5.7. Qui benè præsunt presbyteri duplici honore digni sunt, maximè ij qui laborant in sermone. Respondet Anonymus hoc loco non constitui duos ordines Presbyterorum. Provocat ad Præfat. Bilsoni, & cap. 10. quod iubet inspici. *Esse enim rem inquisitione non indignam. Dicit etiam Bilsonum ostendere, nulli veterum eum locum sic esse intellectum.* Quid igitur? Docet ex eodem Bilsono in Græco esse vocem magis emphaticam κοπιῶντες, hoc est, qui se in sermone defatigant.

Respondeo me fateri omnem rem hanc inquisitione dignissimam. Non tamen ita inquirendum in hunc textum nobis esse, ut aut semper fluctuemus, aut verum sensum everramus. Ego quidem nullam difficultatem aut scrupulum hic offendo. Et nisi contentionis studium quosdam transversos raperet, idem iudicaturos semper putavi. Quorsum enim nodum in scirpo quærimus? quorsum claræ luci nebulam offundimus? rectum curvamus? Nihil autem nos movere debet, quod Veteres, qui in hunc locum scripserunt, non ita interpretati fuerint. Quam multa enim sunt in hac sic liquido diffusa Euangelij luce ad mentem genuinam SS. Scripturæ à nostris Doctoribus prodita & restituta, de quibus nihil veteribus constitit? Et ne procul abeam, an non plærique Patres unius uxoris virum Episcopum interpretantur, qui mortua una uxore, nullam superduxerit? quemadmodum diaconissas intelligunt unius viri uxores, quæ secundo matrimonio non fuerant copulatæ? vide 1. Tim. 3. 2, & 1. Tim. 5. 9. Sed ad rem. Apud Bilsonum invenio quatuor diversas interpretationes hujus loci, quas hic refellere non est opus.

Videamus tantum, quam Anonymus sibi optimam & convenientissimam selegit. Emphasin dicit notandam in voce, κοπιῶντες, hoc est, qui se in sermone *defatigant*. Defatigare enim plus dicit esse, quam laborare. Ideòque Apostolus omnes Pastores & præfectos Ecclesiarum duplici honore dignos esse dicit, sed eos maximè qui *defatigantur* in hoc onere Ministerij plus quam alij. Hæc interpretatio etiam maximè arridet Erasto & Saraviæ. Primum quæro, quis Veterum hanc tradidit? Non enim apud Theodoretum, Theophylactum, Oecumenium, Ambrosium extat.

Meritò igitur & iure eodem & hanc expositionem reiicere nobis liceat, quo isti nostram, si authoritas Patrum hic negativè valebit. Sed præstat rationem verborum textus haberi, & ex ipso Apostolo cum ipsis agere. Loqui autem hic de Presbyteris Apostolum, verba ista docent. Et hoc unum de ipsis prædicari, quod scilicet digni sint duplici honore, etiam extra cõtroversiam est Sed hoc quæritur, An isti sint iidem Presbyteri, qui solummodò benè præsunt, & qui in verbo & doctrina se defatigant? Nos hoc negamus. Ratio est quod inter istos Presbyteros qui præsunt, & qui se defatigant in sermone, distinctio manifesta particulæ, μάλιστα, interponitur. Hæc autem vox non distinguit labores aut onera eorundem Presbyterorum comparatè inter se, ita ut unus magis minusve altero dicatur laborare in uno eodemque Presbyteratus munere. Sic n. debuisset dicere, οἱ καλῶς προεστῶτες καὶ κοπιῶντες, aut διακονοῦντες ἐν λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ πρεσβύτεροι διπλῆς τιμῆς ἄξιοι, μάλιστα οἱ κοπιῶντες ἐν προσασίᾳ ταύτῃ καὶ διδασκαλίᾳ

Sequitur igitur hanc voculam distinguere ipsos Presbyteros, aut diversa genera & ordines Presbyterorum. Innuit n. discrtè Presbyteros esse τοὺς καλῶς προεστῶτας. Itemque esse Presbyteros τοὺς κοπιῶντας ἐν λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ: Et hos alteros magis esse honorandos, quam illos priores. Plus enim esse in sermone laborare, quam in gubernatione. Verum quidem est Doctores & Pastores etiam προΐστασθαι gubernare & regere, sed cum opponantur τοῖς προϊσταμένοις, quos describit Rom. 12 8. & 1. cor. 12: 28. κυβερνήσεις vocat, tunc propriè & peculiariter designantur Presbyteri isti morum & disciplinæ præfecti. Quod a. hæc vox

(μάλιστα)

(μάλιστα) ita homines diversi ordinis distinguat, hoc ex genuinis locis Apostoli Clarissimè probari potest. Sic enim Gal. 6. 10. ἐργαζώμεθα τὸ ἀγαθὸν πρὸς πάντας, μάλιστα δὲ τοὺς οἰκείους τῆς πίστεως. Imò in hac eadem Epist. ad Timoth. 4. 10. ὅς ἐστι σωτὴρ πάντων ἀνθρώπων, μάλιστα πιστῶν. Et hoc etiam capite vers. 9. Εἰ δέ τις τῶν ἰδίων, καὶ μάλιστα τῶν οἰκείων οὐ προνοεῖ. Quemadmodum igitur omnes isti, quos hic distinguit Apostolus homines quidem sunt, sed hîc differunt, quod illi infideles, & isti fideles sint homines: ita in hoc loco omnes hi uno eodemque nomine Presbyterorum insigniuntur, hoc tamen discrimine ut alteri vacent sermoni & doctrinæ, alteri tantum moribus & disciplinæ. Opponunt, non posse hic istum ordinem Presbyterorum nostrorum designari, quod nulla stipendia aut subsidia vitæ ab Ecclesia ipsis administrentur, sicuti istis alteris fit. Nam honorem istum de quo hic Apostolus, necessariò de commodis hujus vitæ omnes veteres & recentiores accipere dicunt. Respondeo nomine quidem honoris, intelligi etiam posse subsidia victus, aut τὰ βιωτικὰ, quæ tunc istis Presbyteris largiter suppeditabantur, sed dico non pertinere ista ad necessariò constituendam Presbyteratus essentiam.

Quam multi enim tunc, inter omnes Presbyteros adeoque ipsos Diaconos, fuerunt, qui non ex communi ærario Ecclesiæ alebantur, sed ex suo tantum vivebant? Ipse Apostolus Corinthi suis se manibus toleravit, ne Ecclesiæ isti esset oneri aut scandalo. Non est igitur causa, quod Presbyteros nostros ideò rejiciant, quod jam non ex publico, uti Pastores & Doctores, alantur. Sic enim & Diaconorum nostrorum ordinem reprobare ipsis promtum fuerit. Supra ex D. Iunio ad Num. 80. causas ejus rei annotavi. Frustra etiam colligunt loca ex Epistolis Paulinis, ubi τὸ κοπιᾶν plus quam τὸ πονεῖν significat. Non negamus emphasin istius vocis: Interea hoc dicimus, attribui & competere etiã omnibus in Ministerio verbi versantibus: Imo videtur Apostolus labores Ministerij semper hac voce expressisse, ita ut quicunque inter veros Ministros accensetur, is dicatur κοπιᾶν: Sic n. de se & omnibus Ministris 1. Tim. 4. 10. Εἰς τοῦτο γὰρ καὶ κοπιῶμεν, καὶ ὀνειδιζόμεθα. Et 1. Thess. 5. Rogamus vos ut agnoscatis τοὺς κοπιῶντας ἐν ὑμῖν, καὶ προϊσταμένους ὑμῶν ἐν κυρίῳ.

Tandem igitur huc adegit Bilsonum veritas, ut dicat poni hic duos Presbyterorum gradus, sed alteros dicit esse Pastores, & alteros Doctores. In Præfat. pag. 9 Sed neque sic verum loci hujus sensum attigit. Nam si ita hæc Presbyterorum munera aut genera propriè & singulariter dispescere placeret, cur non tria hic indicantur? primum eorum qui præsunt, alterum qui laborant in verbo, tertium qui doctrinæ incumbunt? Sic enim Rom. 12. 7. 8. distinguuntur hæc tria, ut τῷ διδάσκοντι, παρακαλοῦντι, καὶ τῷ προϊσταμένῳ diversæ officiorum partes assignentur. Concludo igitur hic non duas Pastoralis officij partes notari, sed duplicem Presbyterorum ordinem, quorum unus inspectioni & gubernationi, alter doctrinæ & sermoni sedulam & prævigilem operam navaret? Vide Bezam contra Saravíam p. 73. Et contra Erastum pag. 106. qui rorum etiam istum locum ab eorundem glossis ita vindicavit, ut nondum ipsius rationes ab aliquo solidè convulsas, aut confutatas viderim.

Ex eadem pagina Centesima Nonagesima quarta hæc verba excerpsit:

AMbrosius: *Et synagoga & postea Ecclesia seniores habuit.* Anonymus etiam hoc testimonium Ambrosii supra Num. 80 allegatum, nobis eripere conatur. *Nam dicit Ambrosium de Senioribus qui Pastores essent, & verbum & sacramenta administrarent, agere.* Addit *Bilsonum hoc liquido* Cap. 11. *commonstrare, quem etiam in præfatione sua dicere scribit contraria interpretatione magnam Ambrosio injuriam fieri.*

Fallitur hiè Anonymus cum suo Bilsono. Primo locum Ambrosii hic denuò reponere cogimur. Extat is in comentario Epist. 1. Tim. 5. ad hæc verba vers. 1, *Seniorem ne increpaveris: Apud omnes gentes (inquit) est utique honorabilis senectus. Vnde & synagoga & postea Ecclesia seniores habuit, quorum sine consilio nihil agebatur in Ecclesia. Quod quando negligentia obsoleverit nescio, nisi fortè Doctorum desidia, aut magis superbia, dum soli aliquid volunt videri.* Locus sanè illustris & notabilis, qui antiquitatem, ortum, & authoritatem veteris reginiinis Ecclesiæ nostræ nobis repræsentat.

Primò

Primò enim docet fuisse olim in Ecclesia seniores. 2°. Istos seniores communiter Ecclesiam gubernasse. Tertiò ex synagogâ Iudæorum istud fluxisse. 4°. Postea istam formam & modum gubernandæ Ecclesiæ obsoleviſse. 5°. Factum hoc ex desidia aut potius superbia Doctorum, qui primatum inter fratres aut collegas affectabant.

Sed expendamus quo pacto hoc testimonium nobis enervent & corrumpant. Asserunt hic non citra Ambrosii iniuriam posse intelligi Seniores nostros laicos, ut vocant, sed tantum tales, qui sermonis & sacramentorum administrationi invigilant. Aliter Saravia ad hunc locum respondet, de quo consule sis Bezam. p. 69. Non diffiteor hic etiam per Seniores intelligi posse Pastores ipsos, quibus etiam inspectio & cura Ecclesiæ erat una cum aliis commissa: Sed ex hoc loco dico manifestum esse, etiam designatos nostros Presbyteros, qui propriè προεστῶτες, ἡγούμενοι dicuntur. Nam seniores, quos dixit synagogâ Iudæorum habuisse, non commodè possunt respondere iis qui propriè pastores & Doctores dicuntur. Alio enim loco scribit Ambrosius illos Sacerdotibus & Levitis V. Test. potius respondere. Vide ipsum ad 1. Tim. 3. pag. 552. A. & B. Non aliter Hieronymus, qui ad Nepotianum fol. 6. Quod Aaron, ait, & filii eius, hoc Episcopum & Presbyteros esse noverimus.

Quia igitur Seniores Iudæorum à Deo constituti ad regendũ populum, quod ipsi adversarii rectè quoque affirmant, sequitur tales seniores in Ecclesia Christiana in ipsorum locum substitutos, qui Sacerdotibus & Levitis nostrarum Ecclesiarum adiuncti populum Christi sibi creditum ad præscriptum verbi divini canonem simul regerent.

Huc accedit, quod in hoc loco de istis Senioribus Ecclesiæ loquitur Ambrosius, sine quorum consilio nihil agebatur in Ecclesiastico consessu. Atqui iam supra audivimus ipsos opinari in solius Episcopi humeros omnia Ecclesiæ negotia iure divino & Apostolico esse coniecta. Neque etiam hic agit de verbi & sacramentorum administratione, quam in Presbyteros & Pastores suos quoque rejiciunt: sed de gubernatione & administratione rerum Ecclesiæ. Disertè enim dicit: sine Seniorum *consilio* olim *nihil* agebatur in Ecclesia.

Designantur

Designantur igitur tales Seniores, qui etiam rectores Ecclesiæ, imò quasi σύμβουλοι, καὶ συνεδρεύται, i. e. *consiliarij & assessores* Ministrorum, ab Ignatio in Epist. ad Trallian. appellantur, & unum συνέδριον, σύστημα, σύνδεσμον, hoc est, Presbyterium, aut senatum simul conficiunt. Scio quidem Ambrosium ad dictum locum 1. Tim. 3. scribere, quod septem Diaconos esse oporteat, aliquantos Presbyteros, ut bini sint per Ecclesias, & unum in civitate Episcopum: Sed notandum, quod ibi dicat hoc *NUNC* ita fieri, hoc est, loquitur ex more sui seculi, Nam iam audivimus ipsum rotundo ore fuisse professum, quod ab initio non sic fuerit:

Denique & hinc apparet, ipsum de alio genere Presbyterorũ loqui, quam qui verbo operam dabant, ideò quod Doctorum desidiâ aut superbiâ desiisse istum morem conqueritur, qui *soli* aliquid volebant videri. Opponit enim hic *Doctores*, quorum culpa istud omissum aut sublatum fuerit, Senioribus, qui à Synagoga Iudæorum fluxerunt. Alii igitur & diversi ordinis erãt olim (teste Ambrosio) Seniores, quam Doctores & Pastores in Ecclesia. Ipse Grotius Piet. 37. ex Ambrosio ad 1. cor. 14. tradit morem fuisse Synagogæ, ut seniores in Cathedris sederent, sequentes in subselliis, novissimi in pavimento. Intelligit hic seniores non politicos, sed Ecclesiasticos, qui & docebant & regebant, de quibus hic iterum loquitur. Innuit a. ordinẽ, & formam prophetandi in Ecclesia ex more synagogæ etiam natum fuisse. Bilsonus nihil aliud dicit, quam Seniores Laicos non posse intelligi, ideò quod Ambrosius alibi tradat non esse Laicorum de causis fidei vel morum iudicare. In Epistola enim 32. lib. 5. ad Valentinianum Imperatorem, ita scribit: *Quando audivisti, Clementissime Imperator, in causa fidei Laicos de Episcopo iudicasse?* Et mox: *Cum eris ætate senectutis provectior, tunc de hoc censebis, qualis ille Episcopus sit, qui Laicis jus sacerdotale substernit.*

Addi potest, quod de se quoque professus est Iovinianus Imperator. Hic enim apud Zonor. lib. 6. cap. 7. se dicit laicum μὴ λαὸν ἰσάγμονον nolle τὰ τῆς πίστεως πολυπραγμονεῖν, sed Sacerdotum eam esse curam. Velim ego Anonymum horum meminisse, quum de iure Magistratus summi in definiendis causis fidei agitur. Sed breviter respondeo, nostros Seniores malè inter

Laicos

Laicos numerari. Qui enim vocatione & donis instructi legitimè ad hoc munus accedunt, non sanè illi laici aut idiotæ debent vocari. Et hinc etiam apparet, quid incommodi ex prava illa cleri & populi discriminatione ortum sit. Non enim iam sanè nostri Adversarii Principes & Reges Christianos inter Laicos censere, atque eapropter eos excludere à cura rerum Ecclesiasticarum volent. Quod utrumque tamen fecit Ambrosius. Grotius quidem pag: 49. inter Laicos recenset Principes, & eorum vicem gerentes in Synodis. Sed nihilo tamen minus de rebus fidei eos iudicare solitos ibidem scribit contra Ambrosium, & ipsum Iovinianum Imperatorem.

Ex eadem pagina consarcinavit Numerum 84. ubi D. Sibrand.

Idem Presbyteri (inquit) pœnitentibus satisfactionum leges præscribebant. Idem Socrates narrat, illos propter fœdum facinus Constantinopoli depositos esse. Anonymus respondet, *Nihil tam à verò alienũ, quam, hos presbyteros pœnitẽtiarios fuisse laicos.* Eadem hæc exceptio est, quæ modo à me fuit confutata. Petitur hic τὸ ἐν ἀρχῇ. Nam duo probanda ipsi sunt. Primum, discrimen illud Laicorum & Clericorum esse Apostolicum & iuris divino iure. Deinde, Presbyteros nostros, qui vocationem & dona habent, esse laicos, Quod autem Presbyteros istos pœnitentiarios, de quibus Socrates lib. 5. cap. 19. Clero accenset, & ego hoc sensu nostros Presbyteros in Clero numerare potero. Nam etiamsi sciam, etiam fuisse tales Presbyteros, qui sermonis & sacramentorum administrationi vacabant, tamen ex hac historia Socratis apparet, fuisse etiam tales Presbyteros Constantinopoli, qui Ecclesiæ à confessionibus erant, & soli isti negotio Pœnitentiæ vacabant. Clarè enim Socrates scribit, abrogatos fuisse eos presbyteros, qui pœnitentibus in Ecclesia *deputati fuerant.* Itemque Episcopos Ecclesiastico canoni presbyterum *certum quendam* pœnitentibus constitutum hoc adiecisse, &c. Audiebant autem illi Confessiones eorum, qui ad communionem mysteriorum accessuri essent, & pro ratione delictorum imponebant ieiunia,

orationes & id genus alia ἐπιλίμια.

Hinc presbyteri illi dicti pœnitentiarii. Videntur etiam istis similes fuisse presbyteri ii, quorum meminit Epiphanius Hæresi 69. Arrianorum, de quibus etiam loquitur D. Sibrandus. Epiphanius autem pag. 311. ὅσαι γὰρ (inquit) ἐκκλησίαι τῆς Καθολικῆς ἐκκλησίας ἐν Αλεξανδρείᾳ ὑπὸ ἕνα Αρχιεπίσκοπον οὖσαι, καὶ καθ' ἰδίαν ταύτας διαβεβλαγμένοι εἰσὶ πρεσβύτεροι διὰ τὰς Εκκλησιαστικὰς χρείας τῶν οἰκήτορων πλησίον ἑκάστης ἐκκλησίας αὐτῶν καὶ ἀμφόδων ἤτοι λάβρων ὑπαχωρίως καλουμένων. Dicit ibi Epiphanius, multas fuisse in urbe Alexandrina Ecclesias, aut *paræcias*, quæ iam perperam parochiæ vocantur; Decem autem in ista urbe ab Epiphanio numerãtur diversis titulis, quales etiam Romæ fuerunt tempore Marcelli Episcopi Romani sub Maxentio Tyranno Num. 25. singulis autem Ecclesiis dicit præfectos presbyteros suos propter Ecclesiastica civium aut incolarum negotia, sicuti, teste Ambrosio, Mediolani in singulis Ecclesiis bini presbyteri tunc feruntur fuisse, de quibus vide Numerum præcedentẽ. Hinc est, quod Hieronymus ad Rusticum Narbonẽsem scribit, presbyteros negotiorum ab initio iudices ordinatos fuisse, eosque sacerdotum interesse debuisse Concilio; Quoniam & ipsi, ut legimus, Episcopi nominantur. Bilsonus p. 219. supposititi am esse hanc Hieronymi Epistolam dicit:

Sed negari tamẽ nequit esse antiquam, quæ etiam in Decretũ relata, distinct. 95. c. Ecce ego. Quod si igitur presbyteri isti Pœnitentiarii, & alii, qui negotia civium ex pediebant, non fuerũt laici. *cur nostri Presbyteri, qui easdem in Ecclesia partes obeunt, laici erunt?*

Ex eadem pagina excerpta sunt hæc verba Sibrandi:

ADdit, Eudæmonem presbyterum hoc suasisse, & simul suggessisse, ut unicuique permitteretur libertas, pro sua conscientia, ad mysteria participanda accedendi. Crediderim, te idem velle. Anonymus dicit, falsò & sine ratione credere D. Sibrandum.

dum. Promit deinde quasi ex penetralibus D. Grotii de clavium usu quædam, eaque magni facere scribit Grotium, ac locum istis dandum in concedenda aut deneganda errorum participatione. Addit quoque Grotium hac in re ab Erasto dissentire, ita ut velit disciplinam constitui multò, quam nunc, severiorem, & laxitatem eius seriò deploret.

Gaudeo, & gratulor D. Grotio, quod tam severum disciplinæ Ecclesiasticæ usum amet, eumq; observatum cupiat. Sed videat, ne sic tandē in exosum sibi puritanismum incidat: utinam tamē eandē severā mentē alij, qui laxo isti Arminianismo etiā favent, gererent! Quam enim dubito, multos passim repertum iri, qui hic in re ab ipso dissentiant, sicuti & illum ab Erasto dissentire scribit Anonymus. Notum enim iam dudum est, quid passim multi iactitent & moliantur. Neque ego satis mirari possum, quomodo severiorem quam nunc disciplinam introducendam putent,

Nam passim in Ecclesias nostras eapropter invehūtur, & cum stomacho, nescio quæ, convitia, titulo Genevensis carnificinæ, idoli, &c. effundunt. Caretne autem hoc mysterio, quod usum clavium ad participationem cœnæ restringat? Annon etiam ad excommunicationem usque extendi debet? Hoc spero ipsum quoque censere, etiamsi Seniores nostros ab excommunicationibus arcendos esse velit. Sic enim in Pietat. pag. 57. *Pastorum σύνεδροι una cum Pastoribus Ecclesiam regunt, & si necesse est, refractarios, (nam id sibi iuris quoque sumunt) excommunicant.*

In edit. tamen Poster. ista verba, parenthesi inclūsa, non extant. Sed quid de presbyteris loquor? Quam etiam subvereor, ut illud ius excommunicandi contumaces Ecclesiis iuxta ordinem hactenus receptum in solidum relinquat? Quia verò summam & omnem in Ecclesias potestatē Principibus attribuit D. Grotius, quis authoritatem hanc excommunicandi, si tamen locum ei dandum sub Christiano Principe existimant, in ipsos transferri non videt; quod etiam Vltraiectini nuper fecerunt. vide p. 25. b. Sed ne Crabrones excitem, redeo ad Anonymi fidē. Dicit ille, hanc in D. Sibrando desiderari, quod laxationem aliquam disciplinæ D. Grotio impingat.

Atqui D. Sibrandus non simpliciter ipsi hoc impingit, sed

ſuſpenſo calamo, & animo ſcribit, *Crediderim* te idē velle, quod nimirum Eudæmon ille presbyter olim voluit, ut ſcilicet antè communionem cœnæ ſinguli ſuæ conſcientiæ permittantur. Vnde autem D. Sibrandus hanc ſuſpicionem aut metum hauſerit, oſtendunt omnia iſta, quæ modò dicta ſunt.

Ex pagina 195. corraſit Numerum 86. verba hæc ſunt.

Mirum ne tam grave judicium te ab oppugnatione Presbyterorum ibſterreat. Anonymus dicit falſum eſſe oppugnari à Grotio Presbyteros, etiam Laicos. Sed jam ſæpius etiam ad nauſeam uſque oſtenſum eſt ex Pietate *Grotij*, presbyteros Eccleſiarum noſtrarum oppugnari. Vetus κοκκυσμὸς eſt, quod de Laicis presbyteris hic iterum oggerit. Nam tales non agnoſcimus nos. Cui bono autem ex pietate ipſius hìc reponam multa iſta convitia & dicteria, quæ in presbyteratum noſtrum vibravit? Anonymus ipſe hoc loco de D. Grotio idipſum fatetur. Nā ſcribit, ipſum non agnoſcere divini — juris presbyteros noſtros eſſe. Deinde Eccleſias nihil quicquam delinquere, quæ ijs carent. Annon igitur oppugnare Ordinem & munus presbyterorum noſtrorum dicendus erit? Qui enim merè humanum invētum, & inſtitutum non neceſſarium Eccleſijs presbyteratum noſtrum agnoſcit, & quod planè indifferentis uſus ſit, is ſanè oppugnat, atque adeò tollit presbyteratum iſtum. Cur autem Anonymus non neceſſarium *Eccleſijs* credit? Quia ruri plærumque deſunt perſonæ idoneæ huic muneri. Bella ratio. Quaſi munus aliquod in univerſum non ſit neceſſarium, quod in locis quibuſdam non inveniantur idonei homines, qui iſti muneri præficiantur? Si necdum tales reperiantur, ſuo tempore per Dei gratiam poſſent ruri tales exiſtere.

Sed quid de oppidis, aut amplis Eccleſiis, in quibus talium hominum major copia? Non quæritur, quid hoc aut iſto loco pro tempore fieri poſſit, ſed quid in *Eccleſiis* benè cōſtitutis ex præſcripto verbi divini fieri debeat. Alia enim certè ratio eſt *Eccleſiæ* collapſæ, aut primum dum emergentis, alia *Eccleſiæ* benè conſtitutæ, & jam adultæ. Sed quod de rure hic meminit, habet

ſuum

suum aculeum. Nam ut nostrum presbyteratum totum odio & risui prostituerent, multa in rurales presbyteros calumniosè & sarcasticè passim stringuntur. Grotius ipse pag. 36. *Ministros iuvenes adiungit vicarijs presbyteris nostrarum Ecclesiarum.* Et alibi pag. 50. *Presbyteros vocat minimos de plebe Quirites.* Grevinckhovius nuper in sua disceptat. cum Amesio Anglo palam insultat ruralibus presbyteris. Quod denique ad Traiectinos Pastores provocat, qui ante annos tres in Synodo sua provintiali ex mãdato Ordinum, ob defectum idoneorum hominum, presbyteros ruri abrogandos censuerunt, nihil iuvat ipsorum causam. Non enim hic nobis attendi debet, quid isti faciant, aut pro tempore facere potuerint, sed quid fieri necesse sit, si commodè hoc tempora & loca finunt. Deinde contra ipsum ex Actis istius memoratæ Vltraiectinæ Synodi agere licet. Nam in titulo de Senioribus pag. 14. art. primo. diserte affirmant. *Presbyteratum nostrum, quem isti Laicalem dicunt, in Apostolica Ecclesia fuisse usurpatum, ex præsentem rerum statum non pati, ut tales personas nanciscamur, qui perpetuò in isto munere versarentur, quod tamen optandum dicunt.* Articulo 4. & 5. nolunt in totum ruri — abrogatos presbyteros, sed ad tempus tantum, & in istis pagis, ubi idoneorum hominum non datur copia. Quod nos non improbamus, neque reiicimus.

Sequitur Numerus 87. ex verbis, quæ eadem pagina extant.

Sed etiam sugillas modum eligendi Presbyteros, & verò ego iam antè ostendi, eorum electionem pertinere ad Ecclesiam. Anonymus respondet, electionem eorum ad Magistratum pertinere, nisi Magistratus *Ecclesiæ* electionem concedat. Hoc ait, ostendere D. Grotium pagina septuagesima secunda. Fateor, hoc quidem, D Grotium isto loco scribere, sed nullas rationes ibi reperio. Tantum ex Bilsono concludit authoritatem Presbyterij nostri tempore pacis à pio Magistratu petẽdam esse. Nihilominus hoc inter scita Grotij numerandum video, Electiones Presbyterorum esse iuris Magistratus.

Sequitur enim Presbyteros esse eligendos à Magistratu, si Pastorum electio ad ipsos pertineat. Qui omnia munia Ecclesiæ hominibus idoneis mandare iure divino necesse habet, illius quoque erit Presbyteros in Ecclesijs constituere. Sed quid hac de re statuendum sit supra ad Numeros 59.60. 61. fusè traditum est. Sub Pastoribus autem nos comprehendimus etiam Seniores Ecclesiæ, quos ab Ecclesia ordine debito eligendos esse cum consensu & approbatione Magistratus rectè ex Apostolicis literis & praxi primitivæ Ecclesiæ affirmamus. Mirum cur addat Anonymus, Erastum & Tigurinos existimare, quod sub Christiano Magistratu cessare debeant Presbyteri Laici.

Quod tamen Dominum Grotium non necessarium sentire ait. Nisi forte hac ratione velit D. Grotio, aut potius nostris Ecclesiis, plus gratificari. Si enim Tigurini, qui Presbyteros penitus tollunt, nobis tamen grati & accepti sunt, putat Anonymus, D. Grotium, qui multò minus hic delinquit, multò acceptiorem futurum. Verum, utri plus hic peccant, non inquiro. Vellem tamen hoc considerent D. Grotius, & Anonymus, aliud esse repellere aut exturbare Ecclesiâ diu admissos Presbyteros, aliud, necdum admissos propter varia obstacula non introducere. Illud in nostris Belgicis Ecclesiis: hoc apud Tigurinos fortean usu venit.

Possem hic contraria Theologorum Tigurinorum quorundam testimonia producere, si patientiâ lectoris abuti velim. Vno tantum, pro multis, fundatoris primi Ecclesiæ istius strenui Hulderici Zwinglij contentus ero. Sic enim ille in Epist. quadam pag. 8. scribit *Nos eis hoc modo respondebimus,* πρεσβυτέρους *non rectè ab eis intelligi, in Scripturis proijs tantum accipi, qui verbo præsunt,* ἐπὶ *& pro Senioribus, hoc est Senatoribus & decurionibus &* βουλευταῖς *accipiantur. Actor. 15. sic legimus:* Συνήχθησαν δὲ οἱ Ἀπόστολοι, καὶ οἱ πρεσβύτεροι ἰδεῖν περὶ τοῦ λόγου τούτου.

Hic videmus seniores pro consulatoribus & Senatoribus accipi, quos Græci à consulendo βουλευτὰς, *Latini ab ætate & gravitate Senatores appellant. Non quod existimem, fratres tunc temporis Senatum instituisse, qui rerum aut potiretur, aut vi cogeret ad fidei confessionem, sed qui in medium consuleret, si quid paulò impeditius obvenisset. Satis enim constat eos, qui hoc loci sunt* πρεσβύτεροι *appellati, non fuisse verbi Ministros.*

nistros: sed viros ætate, prudentiâ, & fide venerabiles, qui dirigendis & agendis rebus id erant Ecclesiæ, quod senatus est urbi: Eodem loci eodẽ modo habemus: Τότε ἔδοξε τοῖς Ἀποστόλοις, καὶ τοῖς πρεσβυτέροις. Et paulò post: οἱ Ἀπόστολοι, καὶ οἱ πρεσβύτεροι καὶ οἱ Ἀδελφοὶ. In vobis utrobique primùm Apostolos, secundo seniores, postremò plebem Christianorum fratres sive Ecclesiam: Non quod putem, Presbyteros nusquam aliter, quam pro senioribus accipi, non etiam pro verbi Ministris, sed in loco pro senioribus & pro Episcopis aut verbi Ministris. Si vero quis hoc desideret, ut & apud Hebræos probem πρεσβυτέρους pro Senioribus accipi, hic Matthæum legat Cap. 26.

Τότε συνήχθησαν οἱ πρεσβύτεροι τοῦ λαοῦ. videmus hic πρεσβυτέρους τοῦ λαοῦ pro senatu, vel seniores cum populo poni. Perinde, imo evidentius est, quod Marcus scribit cap. 14. καὶ μετ' αὐτοῦ ὄχλος πολὺς μετὰ τῶν ἀρχιερέων καὶ τῶν γραμματέων, καὶ τῶν πρεσβυτέρων. In Actis vero multi loci sunt, in quibus πρεσβύτεροι pro senioribus, non pro Episcopis aut Prophetis accipiuntur. Hactenus Zwinglius in lib. primo Epistol. Oecolampadii & Zwinglii pag. 8. Insignis sanè locus, qui ideò notandus, non solum, ut appareat, hunc Tigurinæ Ecclesiæ Patrem iudicare nostros Presbyteros, quos adversarii nostri laicos appellant, esse divini iuris, sed & eis locum in Ecclesia esse dandum sub Christiano Magistratu, ideòque non mutuari ipsos authoritatem à Magistratu, sed à Deo ipso. Oecolãpadius in orat. quadam Anno 1530. ad Senatum Basileensem, habita pro reducenda excommunicatione sic: *Sed quod* (ait) *designentur sicut Apostolorum temporibus seniores quidam, qui olim πρεσβύτεροι dicti, quorum sententia, utpote prudentiorum, totius quoque Ecclesiæ mens esse constat.* Vide easdem Epist. Zwinglii pag. 44. C.

Vltimus Numerus collectus est ex verbis eiusdem paginæ, quæ sic habent.

Quod autem dicit hoc modo Rempublicam in Republica statui monstro simile esse videtur. Magistratus enim Politicus & Senatus Ecclesiasticus circa diversissima obiecta versatur. Mox: *ut manifestius sit nihil ineptius dici quam illos Rempub. in Repub. statuere, qui*

in Repub.

in Repub. Christiana Presbyteria locum habere contendunt. Anonymus *dicit hic falsam planè esse allegationem. Non enim dicit Grotius, eos, qui Presbyteria locum habere cupiunt, rempub. in Repub. constituere, sed eos, qui negant nomine summi Magistratus ferri aut publicari leges debere de Ecclesiæ politia.*

Verba Grotij sunt manifesta pagina septuagesima tertia. At ego fateor isto loco & occasione hæc à D. Grotio pronuntiata esse, sed quis ignorat, hoc dicterium ad reliqua omnia capita, quæ de Ecclesiæ iure & potestate inter nos controvertuntur, posse applicari? Pag. enim 53. Grotius de Pastorum & Presbyterorum electionibus agens dicit, *Duplicem à Sibrando Magistratum statui, alium civilem, alium verò Ecclesiasticum.* Et pag. 42. scribit: *Diotrephes novos* (hoc scilicet titulo ornat fidos Ecclesiarum nostrarum Pastores & Doctores) *id agere, ut bicipitem faciant Rempublicam.* Vbi in genere & communiter ad cuiuscunque generis negotia Ecclesiæ hanc calumniam extendit. *Et* cur non haberet hoc locum (loquor autem ex illorum hypothesi, aut mente) in causa hac presbyterij, si dicamus, Presbyterium hoc nostrum non à Magistratu accipere auctoritatem, sed tantum à Deo? Non enim hic tantum designat D. Sibrandus Presbyteros, aut cœtum eorum, qua tales, sed omnem istam iurisdictionem, ut ita loquar, aut omnes istius functionis partes in regenda Ecclesia.

Quum igitur hanc suam potestatem exercent non quidem nomine & auctoritate Magistratus, quod ipsi volunt, sed nomine Dei & Ecclesiæ, quis non ex illis clamabit Rempublicam hoc modo in Republica constitui? Nihil ergo hic falsi scripsit D. Sibrandus. Quod autem Anonymus hic subtexit multa de iure legislationis, aut publicationis legum, quod penes summũ Magistratum dicit esse, illa concedimus libenter. Neque puto aliquem ex nostris Theologis inventum iri, qui hoc ius summis potestatibus præripiet, aut intervertet. Vide ad Numerum 56. *Rectè Bucerus* ad caput undecimum Matthæi, pag. 359. *de potestate ligandi & solvendi agens sic inquit: leges Ecclesiasticas, quas Canones vocant, condere Synodorum erat (in prisca Ecclesia) Pij denique Principes, ut in codice Iustinianeo et Novellis videre est, pro officio suo hic quoq; religiosam curam impendebant, ut Episcopi suo munere ritè fungerentur,*

gerentur, & Ecclesiastica leges sacrosancta haberentur. Chrysostomo nos quoque libenter suffragamur, qui Magistratum dicit νόμῳ χρᾶλεῖν, καὶ ἀνάγκῃ, quod Episcopi non possunt. *Semper enim* (inquit ille apud Goldastum pag. 688.) *creditum est firmiter ab omnibus illud quod Graci interpretes & civilis & canonici iuris passim inculcant:* Τῶ νομοθετεῖν ἀνέκαθεν τοῖς βασιλεῦσι, hoc est, *ferendi leges in Republica ius esse solis Principibus concessum. Idem Principes, cum ex suggestione, vel consensu Episcoporum Synodos, præsertim maiores, indicerent, mox decreta Synodorum authoritate sua firmabant.* Et paulò post: *Hic verò dignitas, auctoritas & potestas Ecclesiæ eminebat, cum Princeps εὐλαξίας & modestiæ vindicem agere contentus, de cætero privatum se gerebat. Patres contra pro authoritate à Deo sibi tradita cuncta agerere, concilio præesse, controversias Ecclesiasticas dirimere, de fide orthodoxa pronuntiare, hæreticos ex doctrina Christi revellere, contumaces exitio devovere, Canones & leges Ecclesiasticas Ecclesiæ præscribere, postremo ipsa Imperatorum placita super rebus, dum taxat Ecclesiasticis, quæ sacris canonibus repugnarent, emendare et antiquare. Hæc Patrum legitima potestas, hæc vera Ecclesiæ libertas, quam si quis putet faciendam parvi, hic quid magnum in rebus humanis dicat, velim scire. Sed quia, ut ante dictum est, Episcopi à Deo nullam coactivam potestatem acceperunt, per quam populum Christianum vi possunt adigere, ut sua decreta suscipiat, etsi canonibus synodalibus apud nos sua constet authoritas sine ulla imperiali sanctione, &c. Imperatores tamen pij, qua Patres decreverant in Ecclesia, ea ut reciperentur à populo universo, pro imperiali sua potestate, sive ut loquuntur Iurisconsulti, pro plenitudine suæ potestatis statuebant, & sub adiectione pœnæ sanciebant. Ita canones illi, quos prius sola authoritate Episcopali fultos boni duntaxat pijque suscipiebant, ubi accesserat pondus potestatis civilis, etiam malos & divini numinis contemptores constringebant. Hoc nimirum est, quod dicitur, gladium materialem suppiere, quod deest spirituali.*

Hactenus ille. Quod autem ad hoc obiectum attinet, id non est novum aut nuperum, sed ante multos annos opposuit aut exprobravit etiam Bezæ Erastus, ut ius excommunicandi Ecclesiis surriperet. *Absurdum enim dicebat esse, si duo Magistratus, aut duæ jurisdictiones in una Repub. ponantur, quæ coactionem ambæ habeant: Esse autem Excommunicationem velut exilium quoddam.* Vide confirmationem Thesium lib. 4 pag. 292. Sed audiant & expen-

dant & nostri velim, quid Beza ipsi responderit: Sic enim ille contra Erastum pag. 107. *At ego quaro bicepsne fuerit Israëliticus populus sub Mose, sub Iudicibus, sub Regibus ac imprimis sub pio & sancto Rege Iosaphato, quum unus quidem Regis, alter vero Domini negotijs præesset distinctè, et ita quidem præesset, ut sicut in rebus civilibus, atque adeo in religionis statu conservando Pontificem maximum Regi secundum Deum subjici oportebat: ita etiam vicissim Rex ipse verbo Domini per Pontificem Maximum loquentis subjiceretur.*

Si bicipitem fuisse fortasse respondeatur, quæram, cur eadem conditio, nunc iniqua censenda videatur. Sin verò, quod potius arbitror, dixerit Erastus, non fuisse tamen propterea bicipitem, quæram, cur nunc potius quam olim biceps sit futura Ecclesia Christiana, si eadem distinctio observetur, quum præsertim nullum iam Pontificem maximum habeamus in terris, nisi in Spiritu, sed eius Ministros? Pagina centesima octava clarius hæc exposuit Beza: *Tantum, inquit, distinctæ sunt istæ potestates, quarum una, nempe politica, ὅλως considerata, supra omnes quidem in terris eminet, ideòque nullum in terris habet caput, cui subsit. Ecclesiastica verò reale quoddam est potius, quam personale, & divinum quiddam, non humanum, pendens videlicet tota ab eius mandato, cui pater omne iudicium attribuit & qui ut æternum & unicum Ecclesiæ caput è cœlis per suos legatos exequitur, quod verbo suo edixit, &c.*

Interea non diffiteor, multos ex Theologis nostris, imò priscis Patribus, ita subinde hac de re loqui, ut videantur duplicem Rempublicam constituere, Chrysostomus enim in libris de Sacerdotio. Itemque ad 1. Tim. 4. 12. & alibi Episcopatui dicit inesse non solum ἔργον, sed etiam τιμὴν, ἀρχὴν, αὐθεντείαν. Nazianzenus vocat suum Episcopatum δυνάστειαν, id est, dominationem, & tribunal sibi attribuit, illudque civili celsius esse dicit, & multa alia, quæ si nunc dicerentur, mox lædi dicerent Maiestatem Principum. Vide apud Goldastum pag. 684. 685.

Annon Chrysost. in Matth. homil. 83. Duces, consules, imò Reges & Imperatores, qui diademate ornantur, à communione arcendos voluit, si nimirum indigni comperiantur? Cur hoc quæso? MAIOREM SE ILLIS habere palam profitetur POTESTATEM. Quod Ambrosius in Theodosium fecit pro sua, quam non ab Imperatore, sed Christo ipso acceperat, auctoritate,

tate. Hactenus neminem audivi, qui malignè infectatus fuit, nisi qui Ecclesiæ aut Christi in Ecclesia potestatem imminutam voluit. Legatur etiam hanc in rem eiusdem Ambrosii tractatus de dignit. Sacerd. præsertim cap. 2. & 3.

Oecolampadius in orat supra memorata p. 45. sic ad Senatum Basileensem: *Aliæ, inquit, ad tribunal vestrum, aliæ ad tribunal Ecclesiæ actiones sunt, multumque distincta fora. Et fit non raro, ut unus & idem prævaricator in eadem causa in utroque foro reus fiat, ac plecti mereatur, et apud vos, ut pacis honestatisque publicæ interturbator, apud Ecclesiam vero, ut religionis prophanator condemnetur: Vos bonos ac pacificos cives datis. Ecclesia pios, & inculpatos Christianos producit. Igitur neque ob hanc causam Ecclesia iurisdictione sua fraudari debet.* Legatur Bucerus ad cap. 15. Matthæi de Clavibus regni cælorū p. 353. 354. *ubi Ecclesiam Rempub. Christi vocat,* & multa de legibus, potestate, iurisdictione huius Reipublicæ eruditè disputat. Imo *Vorstius* ipse in Præfat. Antibellarmini sui *duplicem facit Rempub. unam civilem alteram Ecclesiasticam.* Non sanè placet, quod Iesuita Maldonatus in Matth. cap. 13. scribit. *Olim Ecclesia fuit in Repub. sed nunc Respub. est in Ecclesia.* Imo hoc dico cum I. C. G. in tractatu de libertate Ecclesiastica pag. 682. *Ecclesiam in Repub. esse, & olim sub paganis Imperatoribus, ita tamen, ut separatas suas rationes haberet à rationibus Reipub. Et quoque nunc sub Christianis Imperatoribus, ita ut eadem sit quoque Respublica, salvis tamen utriusque suis finibus.*

Quid multis hæc prosequor? Qui animum ab omni præjudicio & affectu vacuum gestat, ille facile agnoscit hoc modo intellectam Rempub. Ecclesiasticam rectè in Repub. politica cōstitutam esse. Habebatne Iudæa terra sub Christo duos Reges, Tiberium, & ipsum Christum? Sanè, sed non eo sensu, quem Pilatus & Iudæi intelligebant: Christus ipse eius criminis reus coram tribunali Pilati factus notâ distinctione sibi mutuò ista duo regna subordinari docet apud Ioh. 18. 36. Ἡ βασιλεία ἡ ἐμὴ οὐκ ἔστιν ἐκ τοῦ κόσμου τούτου.

Eratne monstrosum, quum Ecclesia à solis Episcopis & Presbyteris, & non à Magistratu, regeretur tempore Apostolorum, quod Respublica in Repub. erat? Sed dicent, defuisse tunc Ecclesiæ Christianum Magistratum. At quum transimus ad tem-

pora Constantini & Christianorum Principum, qui Ecclesiis sua iura & iurisdictiones intactas reliquerũt, An tũc fuisse dicẽt bicipitem Rempublicam? Expressis verbis opposuit olim Hieronym. in Esai. cap. 3. senatum Ecclesiæ Politico senatui, Sic nos Senatus quoque consulta dicuntur & Principes quondam Romani Consules appellati sunt, vel à consulendo civibus, vel ab agendo cuncta consilio. Et nos habemus in Ecclesia Senatum nostrum, cœtum Presbyterorum.

Si denique ad nostra tempora deveniamus, quibus Anabaptistis, cæterisque sectariis publicæ synaxes, & iurisdictiones suæ propriæ permittuntur, an etiam tam apud nos erunt duo Magistratus? Non hoc dicent puto. Cur igitur tam invidiosè & calumniosè nostris Ecclesiis occentatur, quod statuant Rempub. in Repub?

De Pontificibus hoc verè dicitur, qui *personas*, & *bona* suorum Clericorum Magistratibus eximunt, aut contra omne fas subtrahunt, De quibus rectè D. Henningus in Tract. de Exemptione Clericorum pag. 25. scribit, *in eos hoc dici, quod olim Appius in tribunum, peculiarem scilicet patriam-, peculiarem Remp. sibi constituisse, ad exemplum Pharisæorum, qui, cum tota gens Iudæorum fidem suam Regi & Cæsari iurejurando obligasset, soli non iuraverunt. Ioseph.* lib. 17. antiq. Cap. 3. *Qua quidem plenaria exemtione nihil potest Rebuspublicis excogitari pernitiosius, nihil iniquius.*

Eodem modo est accipiendum, quod Erastus in Præfat. tract. de Excommunicatione ex Musculo citat. *Naturam negare in eodem populo duas authenticas gubernationes, quarum una non sit alteri subiecta.* Non sane ii nos sumus, qui obedientiæ, subiectioni & potestati Magistratuum nos, nostraq; omnia subducimus. Non igitur nos aliam, aut peculiarem Rempublicam contra civilem erigimus aut constituimus. Sic enim perduelles, proditores, & hostes Reip. meritò diceremur & omnibus pœnis dignissimi.

Sunt igitur hæc ὑπάλληλα & subordinata. Agnoscit hoc Dominus Sibrãdus in Præfatione cum penes Imperatorem esse dicit supremam potestatem, penes Ecclesiam autem τὴν ὑπολαγμένην. Scio D. Grotium pagina quinquagesima quinta hoc malè accipere. Nam ὑπάλληλοι quæ sunt potestates, eas tales esse oportere dicit in initiò progressu & fine, Sed ex sententia Sibrandi in

di in convocanda Synodo talem subordinationem esse non cēseret. Cur? Quia in fine putat Sibrandum subjicere Magistratum iis, quos *Ecclesiam* vocamus. Verè enim scribit, subditum esse, cui sine cognoscendi potestate exequendi partes mandantur: *Sed* fallitur D. *Grotius*. Non enim executorem solum, quod omnes ferè adversarii nimis calūniosè & malitiosè nobis impingunt, Magistratū dicimus, sed etiam cognitorē, arbitrū, iudicē.

Quod quia antea luculenter ostensum fuit, hic desino: Hoc tamen unum coronidis vice addo, non minus invidiosè nobis Collateralitatem obiici, ut paucis hoc explicem, & sine involucro, aut ambagibus: Disertè negamus Collateralitatem, qualem illi intelligunt & dicunt à nobis statui: Diximus ex *Beza* & adhuc dicimus, nihil esse in terris summis Potestatibus superius, neque aliquid in Ecclesia cum iis collaterale esse, quod ad ὑπεροχὴν, imperium, dominationem, & authoritatem attinet. Summam enim & primam ipsis auctoritatem damus in constituendo secundum Deum Ministerio, eoque ex verbo Dei ritè constituto, defendendo, tuendo, augendo. Interea hoc non dicimus, quod dogmata fidei innovare, iura Ecclesiæ ab Apostolis posita imminuere, ordinem & regimen Apostolicum mutare pro lubitu ipsis liceat.

Quod si ideò collateralitatem à nobis statui dicant, errant, si hoc nobis imputare velint, qui non aliter de istis loquimur & sentimus, quam Deus per Apostolos nos vult loqui & sentire; Imò non aliter aut potius minus, quam omnes Christiani Principes ipsi loquuntur. Laudata olim vox Constantini, qui ad Episcopos mensæ suæ accumbentes dicebat. ὑμεῖς μὲν τῶν ἔξω τῆς Ἐκκλησίας. Ἐγὼ δὲ τῶν ἐντὸς ὑπὸ θεοῦ καθεσταμένων Ἐπίσκοπος ἂν εἴην. Imperator dicit, se *Episcopum* à Deo constitutum, Ministros & Rectores *Ecclesiarum* vocat etiam *Episcopos*, sed cū hoc discrimine, quod hi inspiciant, quæ intra *Ecclesiam* gerūtur, & ille curet, quæ sunt extra Ecclesiam.

Hinc est quod magnus Imperator Iustinianus Novellâ 137. dicit, sibi datam à Deo civilium legum τὴν ἐξουσίαν, hoc est, potestatem eas figendi, refigendi pro utilitate communi & temporibus Reipublicæ. *Sed* Canonum & *Ecclesiasticarum* legum τὴν παραφυλακὴν, custodiam, & defensionem. Græci authores

Iuris Canonici expresse & rotundè asserete non verentur, Imperatorem in rebus Ecclesiæ οὐκ ἀυθεντεῖν, ἀλλὰ κανονικῶς διεξάγεσθαι, hoc est, non cum imperio decernere, verum ex formula Canonum omnia transigere oportere.

Ludovicus Pius admonitorem se legum Ecclesiasticarum, non autem Legislatorem vocat, hoc est, qui Ecclesijs pro lubitu leges poneret. Hæc loquuntur & scribunt ii, qui olim contra Papæ dominatum iuris Imperatorii acerrimi vindices audiunt. Hæc citata invenies apud I. C. G. qui eleganti tractatu de libertate Ecclesiastica contra Paulum V. causam Venetorum ante aliquot annos strenuè asseruit. Vide apud Goldastum pag. 687. Quos non invidiarum, odiorum, calumniarum fluctus concitarent nostri Æoli, si talia iam ex nobis audirent?

Omitto omnes istas Veterum Imperatorum Christianorum leges, quibus edixerunt, ne in causa fidei & negotiis Ecclesiasticis alii quidpiam agerent & definirent, nisi qui præditi erant pari jure, & munere simili fungebantur. Ambrosius Epist. ad Valentinianum citat verba rescripti Epist. 32. lib. 5. Constantinus etiam ille Magnus apud Sozom. lib. 1. cap. 9. iussit sententiâ Episcoporum, etiam de civilibus causis latam, habere ratam, & potiorem quam aliorum iudicum, perinde ac si ab ipso esset Imperatore prolata, & quæ judicata fuissent ab Episcopis, per Magistratus & milites executioni mandari.

Sed cur tam procul arcesso hæc aliena, & quæ occultum istud Tyrannidis virus in Ecclesia nutriebant & augebant: sane D. Grotius ipse hac in re sibi non constat, aut Collateralitatem ipsus statuit. Nam pag. 42. & 55. tribuit Magistratui soli judicandi de Prophetiis jus summum. Et p. 56. falsè dicit, Pastores orandos esse à Magistratu, ut *suo dimidio* velint esse contenti, atq; ita apparet, totum illud, quidquid sit iudicii & gubernationis in rebus fidei & Ecclesiæ pendere à solo Magistratu, exclusis Pastoribus, à quibus tamen, si ita visum fuerit, in ista sua absoluta & αὐτοκρατορίκῃ dispectione consilium sumet. Hæc ipsius & aliorum istius sectæ sententia; Sed cum ad manus ventum est, an istam opinionem evertat, & collateralitatem, quam tantopere execrantur, ipsus statuat, ex his, quæ jam ex ipso citabo, judicet omnes æqui lectores. Pag. enim 47. & pag. 50 dicit, *se contentum fore, si aliquod judicium de rebus Ecclesiasticis Magistratui* ἀνυπευθύνῳ

δόγμα *permittatur.* Pag. ead. & sequenti 48. quærit, *an nulla Magistratus cognitio? nullæ partes erunt in definiendis controversiis? Et dicit, Constantinum, quum in Nicæna Synodo de prophetijs judicandi authoritatem Episcopis reliquisset, in aliquam ibi venisse etiam partem.* P. 50 docet *de Ecclesia fide, qua Ecclesia, Ecclesiam ipsam statuere, et non Magistratum, cui tantum de publico & externo fidei exercitio statuendi ius esse dicit.*

Huc spectat, quæ ex historia veteri recitavit testimonia: Quod Theodosius Imperator ea, quæ in Synodo Constantinopolitana acta erat, ἐπεψηφίσατο (hoc est, ut propriè vim verbi explicemus, calculum suum post Episcoporum calculum actis istius Synodi adiecit) rogatus scilicet ab Episcopis, ut *placita* Synodi *sua subscriptione muniret.* Quod in Chalcedonensi Synodo Episcopi etiam ἐψηφίσαντο, & una cum gloriosissimis judicibus Dioscorum damnârunt. Quod in concilio Constantinopolitano, tam Synodo, quam Imperatori, & iudicibus iubendi authoritatem assignet. Quod Imperatoribus consensum, assensum, subscriptionem, approbationem, confirmationem eorum, quæ ab Episcopis decreta & statuta erant, attribuat. Quod etiam ad Synodos ψῆφον, iussionem, consensum, determinationem, definitionem, constitutionem, ac proinde iudicium, pertinere passim ex Patribus & Conciliis probet. Vide pagmas 48. 49. 51. 52. 53. Quis non, D. Grotii, quu hæc ita ex prisca historia disputantē audit, aut non probare, quod intēdit, aut sibi contrariū esse, aut Collateraliter statuere, dicet? Aliter igitur quæstionē formare, aut distinctius & clarius sentētiam suā exponere, aut saltē alia testimonia, quibus suū intentū probet, aliunde eruere, & producere necessum est.

NOS oramus Deum æternum Patrem æterni Filij sui Iesu Christi, ut in medijs his contentionum tempestatibus propria & perpetua Halcyonia Ecclesiæ suæ concedat, quæ toti Reipub. nostræ Fœderatæ salutaria sint, ad propagationem & illustrationē divinæ gloriæ, Regni Iesu Christi confirmationē, & incremētum, multorumque æternam salutem. Amen.

GODEFRIDVS SOPINGIVS

Lectori salutem dicit.

VT videas, Christiane lector, qua fide, quave conscientia Anonymus Sibrandum Lubbertum criminatus sit, subjungam BONAM FIDEM ANONYMI, ut meam hanc Responsionem cum ea conferas. Quod si seriò facies, videbis hunc bonum ANONYMVM id solum dedisse operam, ut Civilem magistratum in Sibrandum concitaret, ut ille proscriberet, quod neque GROTIVS, neque ANONYMVS justis rationibus defendere aut refellere potuerunt. Nam quod ille jactat Sibrandum *despicere Dominatum, & convitijs incessere potestates*, falsum est, Tantum enim supremo hujus seculi magistratui attribuit Sibrandus, quantum Orthodoxa Ecclesia summis Imperatoribus, Constantino Magno, Theodosio utrique, Arcadio, Honorio, & alijs olim tribuere solita fuit. Deus qui orbem in institia judicabit, de hisce actionibus & scriptionibus judicet. Sed jam ipsum ANONYMVM audiamus.

BONA FIDES

SIBRANDI LVBBERTI

Demonstrata ex libro quem inscripsit
Responsionem ad Pietatem
Hugonis Grotii.

a Si libuisset Sibrando Lubberto, pro fama eruditionis suæ, & gravitate professoria agere, merebatur fortè Responsum accuratius. *b* Nunc cum raptandum se iracundiæ suæ dederit, monstrandũ fuit quos partus ferat tam fœda mater. Hinc illa sunt, *c* negare quæ dixeris, *d* alteri nec dicta nec cogitata impingere, *e* errata tuèri mordicus, *f* Aliena bene dicta depravare, *g* convitiari muliebriter. *h*. Iudicet æquus lector, sumptis in manibus præfationibus *Sibrandi*, ad *Ecclesiam* Belgicam Londinensem, & ad Reverendum Archiepiscopum, cum Appendice de prædestinatione, Pietate Ordinum Hollandiæ vindicata à Grotio, & Iohannis Arnoldi Corvini Responsione ad scriptum Bogermanni. *i* Iudicet & ipse Sibrandus.

a Quam bene aut male *Sibrandus* Lubbertus ad GROTII PIETATEM Respõderit, penes *Ecclesiam* iudiciũ esto.

b Nihil iracundè scripsit Sibrandus, sed convitia, & Calumnias D. GROTII modestè refutavit.

c Non negat Sibrandus quæ scripsit, sed quæ D. GROTIVS illi per calumniam affingit, ostendit sua non esse.

d Hoc à se factum esse negat *Sibrãdus*, & ego in ipsius scriptis hactenus videre nõ potui.

e ANONYMVS *Sibrandũ* ad huc nullius erroris cõvicit.

f Hoc sciens & volens non fecit *Sibrandus*: neque factum esse probavit ANONYMVS. Sed ipse penè omnia *Sibrandi* dicta depravat, & malitiosè torquet. *Hypocrita ejice prius trabem ex oculo tuo, et tum dispicies, ut ejicias festucam ex oculo fratris tui.*

g Hoc in D. GROTIVM rectius quadrat. Lege benigne lector GROTII PIETATEM & Sibrandi Responsionem, & videbis verũ esse quod scribo.

h Etiam *Sibrandus* ad iudicium æqui lectoris provocat. neque quicquam magis optat, quã ut cõcilium convocetur, quod de his controversiis iudicet.

i Hoc tãtum dicis causa adiungitur, & Rhetoricatio ostentetur.

k Sed postquam ad se redierit, quod brevi futurum speramus. *l* Satis evomuit,

k Sibrandum in hisce controversiis extra se iviſſe nondū probavit ANONYMVS. Veritatem defendit *Sibrandus*, & Sperat Deum benigne daturū esse, ut in ea ad finem perseveret. Optandum esset, ut ad bonam mentem redirēt, qui harū turbarum auctores fuerunt, & Ecclesias Belgicas, quæ à tranquillitate commendabantur, tam miserè dissiparunt.

l Damnatas hæreses detexit *Sibrandus*, & ius *Ecclesiæ* ex Dei verbo, & orthodoxa antiquitate asseruit. Crediderim ANONYMO hoc idem esse quod *evomere*.

SIBRANDVS

I. Grotius totum ordinem Ecclesiarum Belgicarum, Presbyteria, Classes, Synodos: omnes *Ecclesiarum* ministros, & electiones illorum: totam deni que rationem gubernādæ *Eccl*esiæ, & omnia iudicia *Ecclesiastica*, presbyterialia, classicalia, synodica, prout hactenus in *Ecclesiis* Belgicis exercita fuerunt, petulanter perstringit: atque ita universam Ecclesiam Belgicam per meū latus petit. *Præfat. p. 1.*

2. Scribit me libertatē sacra

RESPONSIO

I. Synodos quāti faciat Grotius videatur Pietatis Ordd. p. 48. in editione maioris formę, Presbyteros laicos nō improbat, dum auctoritatem tempore pacis à Magistratu mutuentur, pag. 112. Ministros esse ait quosdam, quorum pietas professioni respondeat, pag. 125. Ecclesiis putat melius forè cōsultum, si Pastores quidam essent Magistratuum reverentiores, p. 87.

2. Libertatem prophetādi exā

gitat

docēdi passim exagitare, dominatum despicere, & potestates cōvitiis incessere. Vtrāq; vero hāc accusationem, nihil aliud esse quā vanā & inertē calumniam testantur libri mei. *ibid.*

3. Dicit me scribere Curatores Academiæ Leidensis, Consules Leidenses, & Ordines Hollandiæ in eo esse, ut hæreses in Ecclesiam introducant, Sed hoc æquè esse vanū, aut etiam vanius, quam illud prius, mei libri testantur. *ibid.*

gitat Sibr. in Præf. ad Decl Resp. §. *Sunt etiam*, & alibi. Ad dominatus quod attinet, Sibrandus ad xcix. Errores. p. 836. *Dolendum* ait. *Ordines Hollandiæ decipi* VELLE. p. 841. *Esse inter Proceres Hollandiæ, qui Ecclesias his nanys perturbari, & distrahi patiantur.* p. 841. *Ipsi Ordines Politici quicquid hoc est* (de Episcoporum delectione) *id fecerunt*: ait præfat. ad Arch. p. 29. Quid quod ne nunc quidē abstinere potuit, quin Ordines Hollandiæ morderet, etsi didicit rectius agere. Notetur vox *nondum* pag. 43. ubi dicit, *Ordinū animos* NONDUM *satis esse præparatos ad blasphemas hæreses recipiēdas.* Adde similem locum, p. 20. At p. 24. *His positis accedo ad illa diluenda, quæ nobis ante illam actionem occinebantur, & adhuc occinuntur. Primariū est neminem condemnari posse nisi auditū. Hoc prætendebatur, sed intempestivè.* Qui sunt qui occinuerunt? à quibus hoc prætendebatur? P. 31. *non debuerūt aut hi* (id est Remonstrantes) *confessionem subterfugere, aut isti qui de hac quæstione postea cognoscebāt, illorum tergiversationi patrocinari.* Isti qui de quæstione ista postea cognoverūt, sunt nulli nisi Ordines Hollādiæ. P, 106. ait, Si Ordines Socinianismū detestātur, facile effectum iri, ut non patiātur Leidæ doceri quæ ibi recitat. Deinde cōditionaliter subiungit, *Si Ecclesiæ vident Ordines* SERIO *agere, ut hæ hæreses ex Academia exterminētur*, &c. Pag. 109. *Disputamus, An homo multarum hæresiū manifestus* PVBLICO STIPENDIO *ali debeat, ut suas hæreses disseminet*, &c. Pag. 187. *Politici omnem politicā potestatem ad se trāstulerūt*, Pag. 192, 193. *Video hoc anno simili ratione actū esse*, &c

3. Non dicit Grotius hæc scribere Sibrādū: sed scribere quidē ipsum ait, esse quosdā in eo ut hæresin invehāt, & alēdæ pesti MANUM porrigāt: idq; ab ipsis magno studio & cōtētione agi, Piet. p. 3. quæ sunt ipsa verba Sibrandi in Præfatione. Inter illos antē, quosdā ait Grotius reos destinari etiam Curatores & Ordines, p. 4. Quod esse verissimum ostendit Ioh. Arn. adversus Bogermannum, p. 17. quem vide.

4. Non

4. Addit me dicere Ordines Hollādiæ esse auctores scelerū ingenii petulātis &c. Dicit me hęc scribere in pręfatione quā Socino à me edito præfixi p. 2.

5. Ego non nisi neque subsannavi Ordines. *ibid.*

6. Cum in animo haberet Grotius Conradum commendare, Conradum immodicis laudibus effert. p. 3.

7. Grotius Hæreses Conradi vocat fabulam quæsiti Socinianismi, *ibid.*

8. In tertia parte cōvellit Hugo omnia iudicia Ecclesiastica, presbyterialia, classicalia, & synodalia quæ hactenus in Ecclesiis Belgicis exercita fuerūt. ōnia trāsfert ad Magistratū p. 7

9. Si vel mediocriter in Ecclesiasticis & Politicis disciplinis exercitatus fuisset, nō ignorasset Magistratum non habere tantam potentiam in Ecclesia, quantam habet in Politia. Non potest in Ecclesia novos fidei articulos condere. *ibid.*

4. Nō dicit Grotius hoc dicere Sibrādū, sed ait Ordines nō nominatos sed designatos, p. 9. quod esse verissimū clare ostēdit Ioh. Arnoldus. p. 17. Ipse Sibrandus infra p. 13. non negat Ordines à se designatos, sed ait non præter cæteros esse illos designatos.

5. Sibrandus in Præf. p. 16. *Hoc videtur illis apud quos dixit* (hoc est Ordinibus Hollandiæ) *satis esse*. Notentur maiusculæ in vocibus SUPERIORUM & SUPERIORES p. 15. & 17. in Præf. In eadem Præf. p. 21. *Quanto satius feciſſent Ordines, si adhibuiſſent viros cōtroversiarum peritos.* videantur quæ supra allegata sunt, *num.* 2.

6. Tum de animo, tū de laudibus falsum est. Nihil aliud agit Grotius, nisi ut ostendat tēpore vocationis causas probabiles fuisse vocandi Vorstii: & postea iustas causas illum audiendi: Vorstium dicit Grotius nec laudatum, nec absolutum, Piet p. 14.

7. Grotius fabulam esse dicit ab Ordinibus, aut Curatoribus quæri Socinianismum p. 7. Piet. No abilis perversio.

8. Falsa hæc. Videatur totus liber Grotii, & præcipuè pag. 74. & sequentibus.

9. Nusquam dixit Grotius Magistratum posse novos articulos fidei condere, aut tantā potentiam habere in Ecclesia, quantum habet in Politia.

10. Non negaverit Carolū Quintū in Germania, Philippū aute hoc bellū in Belgica fuisse summum Magistratum. *ibid.*

10. Falsa hæc. Nā Imperator una cum Ordinibus Imperii, et Philippus una cum Ordinibus Belgicæ cōstituebant summū Magistratum, non seorsim ab illis. Periculosus error hic latet, aliquē vetè subditum, positum forte in gradu aliquo eminētiore, posse invitæ potestati verè summæ armis extorquere usum publicū Religionis, aut etiā contrariū tollere. Refutarunt hunc errorē inter Protestātes Iohannes Becaria: & Hadrianus Saravia, præsertim de imperādi auctoritate lib. 4. c. 31. & 41. Exempla à Sibrādo allegata non quadrāt. Electores & Principes Germaniæ defendūt summā se potestatē habere in suis principatibus. Ludovicꝰ Cōlæus demōstravit se literis Reginæ matris excitatū, ut Regē puerū proximus agnatus cōtra Guisios tueretur. Princeps Arausionensis & in principatu suo summā potestatē, ac proinde ius armorū movēdorū obtinuit, & habuit assētū Ordinū Belgicorū, qui avito jure auctoritatē habebāt coërcēdi principis sui.

11. In quarta parte Ministros Ecclesiarum, Pastores, Presbyteros, Diaconos, illorūque electiones, prout hactenus in Ecclesiis Belgicis usitatæ fuerunt, exagitat. *p.* 9.

11. Falsum hoc. Non exagitat Pastores Grotius, sed defendit Magistratus, qui eligēdorum Ministrorum curam ad se pertinere arbitrantur. videatur totus liber.

12. Criminatur nos eiecisse *Episcopos Ecclesiis. ibid.*

12. Imo Sibrandus Ordines Politicos erat criminatus, quasi id fecissent p. 29. Præf. Hos defendit Grotius p. 119. Piet. Mira perversio.

13. Ius Patronatus à *Papis* introductum. *p.* 10.

13. Falsum hoc. Vide Bilsonum, *Episcopū* Wintoniēsem in Anglia, de perpetua *Ecclesiæ* gubernatione. p, 439.

14. Nulla papalis auctoritas potest verbo Dei præiudicare. *ibid.*

14. Quasi dicat *Patronatum* cum verbo Dei pugnare. Falsum hoc esse ostendit Bilsonus eodem cap. p 440. versic. *Nec quicquam.* quem vide.

15. Hugo nullam habuit causſam quare in *Ecclesiam* inveheretur. *ibid.*

15. Grotius de Ecclesia non nisi reverēter loquitur, sed ait esse qui suis actionibus nomē Ecclesiæ male præscribunt. Piet. p. 16.

16. Per latus meum veritatem doctrinæ cælestis & statum *Ecclesiarum* petisti. *Libri* pag. 1.

16. Falsa. 17.

17. Operâ dedi, ut modestius te tractarẽ, quam tu me, *ibid.*

18. Curatores aut Illustres Ordines non designavi, aut in crimen vocavi, p. 8.

19. Nihil aliud ab Archiepiscopo petii, quam ut nos suo consilio iuvaret, p. 9.

20. Quæ Vorstio obiicimus extenuas, p. 10.

21. Supra modum laudas Conradum.

22. Sibrandum criminaris; quod quater lacessitus semel Vorstio responderit, p. 11.

23. Nostri sæculi *Eusebio*rum tota epistola non meminit, p. 33.

24. Nunc ad ipsam vocationem accedis, & dicis Conradũ fuisse professorem Theologiæ in Scola Steinfurtensi; Comitibus, Senatui gratum acceptumque. Quod quorsum dicas, non video, p. 14.

25. Vt taceam serenissimo Principi *Electori* fieri iniuriã, dum eius consilium confertur cum consilio Conradi. (in præfatione Antibellarmini) Princeps enim *Elector* doctrinam, de Deo, de persona & officio Christi, de Fide iustificante, & nostri Iustificatione

17. Iudicet æquus lector.

18. Contrarium apparet ex his quæ supra num. 3. & 4. Vide Ioh. Arn. p. 13. & seq.

19. Sibr in Præf. 40. *Peto ut Ecclesias nostrates tuo consilio, &* AUCTORITATE *iuvare velis.* Vide Iohan. Arn. p. 23. & seq.

20. Grotius exsecratur ea quæ Vorstio objiciuntur. p. 12 & 13.

21. Falsum.

22. Falsum. Caussa scribẽdi Grotio fuit, quod læsa à Sibrãdo Ordinum existimatione officii sui fuisse credidit eam defendere. Piet. p. 1 & 2.

23. Non verba, sed sententiã expresit Grotius. Sibrãdus in Præfatione post recitatã Eusebii historiam statim subiungit. *His* SCANDALIS *ita percelluntur viri pij*, &c, Deinde. *Neq; dubium est, quin multi boni viri his* SCANDALIS *offensi* NUNC *stleant*, Aptat ergo vetus exemplum præsenti tempori. Et ante dixerat, *aulis se insinuant*.

24. At quis non videat eo hæc dici, ut ostendatur Curatoribus probabiles fuisse causas vocandi Vorstii?

25. Quasi Vorstius in præfatione Antibellarmini, istam doctrinã in dubium traxerit. Non conferuntur personæ, sed res ipsa, hoc est, consilium cum consilio. Falsum ergo Electori iniuriam fieri.

26. Non

nunquam vocavit in dubium.

26. Quid audio? estne omnis dimissio pœna? Atqui Pragmatici distinguunt inter dimissionem voluntariam, honestam & ignominiosam p. 25.

26. Non omnem dimissionē nominat Grotius, sed ita ait: *Dimittere igitur, hoc est, aut munere publico, ad quod receptus iā erat, aut etiam totis finibus interdicere, condemnatis non est, pœna non est?* Res ipsa docet, non de voluntaria aut honesta, sed de ignominiosa dimissione sermonem esse.

27. In posterioribus Regis literis quas vos tam cupidè in vulgus sparsistis, p. 29.

27. Literæ istæ Regis venerūt in Bataviā, cum Grotius in itinere esset Britanniā versus: & vulgatæ sunt ipso absente,

28. Obliquè persuadere conaris Regem velle, ut illa toleremus, quæ ipse summo iure detestatur, *ibid.*

28. Falsum hoc. Grotius nihil ultra persuadere conatur, quam velle Regē, ut tolerentur quinque articuli, quos Rex legit. Absit ut toleremus Sociniana: idq. Deus avertat.

29. Witakerum, Perkinsum, & alios heroas de Ecclesia Dei quam optime meritos, odiosè producis, p. 32.

29. Falsum. Nihil aliud ait Grotius, quam notum Regi, quid illi doceant. Quæ hic odiosa productio? Witakerum Grotius vocat virū magni merito nominis, p. 47. nec de Perkinso secus existimat.

30. Constat Melanchthonē idem cum Calvino sensisse, pag. 33.

30. Calvinus Epistola 141. ad Melanchthonem. *Me non leviter pungit, quæ in nostra docēdi ratione nimis palā cōspicitur repugnantia:* Videātur sequētia, agit de electione & libero arbitrio, Inspiciātur loci cōmunes Melāchthonis Tit. de caussa peccati, De libero Arbitrio, De vocabulo Gratiæ: De discrimine peccati mortalis & venialis. De prædestinatione:

31. Melanchthon negat opera nostra esse electionis caussam, illi (Remonstrantes) hoc dicunt *pag.* 34.

31. Falsum. Colloq. Hag. fol. 107. aiunt Remonstrantes, *Parati sumus scribere ac signare quod hic à Fratribus ponitur. Nempe: Electionem factam in Iesu Christo Domino nostro sine ulla cōsideratione nostrorum operum.*

32. Regem

32. Regem Galliæ & Britāniæ iniquitatis & turbatæ humanæ societatis accusas. p. 61.

33 Ordines Hollandiæ nūquam accusavi, p. 57.

34. Quod de aliis innominatis dicis, puto inanem Rhetoricationem esse, *ibid.*

35. Quæ tu ponis mea non sunt, illa nec dixi, nec scripsi. p. 13.

36. Cum videres te causſam Conradi sine læsione famæ & existimationis tuæ defendere non posse. p. 80.

37. Quod cum his indiciis non ad Ordines eorumque Delegatos ventum, non ad Illustrissimum Principem Mauritium, non ad Academiæ Curatores, sed incredibili celeritate missos in Germaniam primum nūtios, non puto verum esse. Et P. 84. Qua cōscientia & qua fide hæc scribas, tu videris

38. Huc accedit te Orthodoxos Pastores Doctoresque, quasdam etiam socias Provincias, & ipsum denique Magnæ Britanniæ Regem accusare temeritatis, quod scilicet iudicium suum de Conradi hæresibus præcipitaverint p. 85.

39. Videbis me de Ordinibus

32. Falsum judicarūt illi de scripto, non affecerūt personā pæna ulla, vide Arnold. p. 91.

33. Cōtrarium patet supra num. 2. 3. 4. 5.

34. Contrarium evincunt scripta nominata à I. Arn. p. 3. Et conciones plurimæ, præter sermones privatos.

35. Grotius dicit Sibrādum dicere irrisos à Vorstio Ordines, subsannatos, naso deniq; suspensos. Piet, p. 27. Quod verūm esse fatetur Sibrandus hoc ipso libro p. 9. *Postquam docui Ordines ab ipso derisos subsannatosque esse.*

36. Grotius Conradum defendere noluit, idque ex libro satis apparet.

37. Vera esse quæ dixit Grotius apparet ex narratione magis particulari apud Ioh. Arn. p. 54.

38. Falsū: hoc dicit Grotius, cum qui publicè de aliquo iudiciū cōdemnatoriū protulit, non posse cum auctoritate pōstea eiusdē esse judicem. Quod cū ex fōtibus æquitatis veniat, non minus ad Ecclesiastica, quā ad alia negotia se extendit.

39. Sibrādus præ. ad Arch. p. 15: *Hoc videtur illis apud* [quos *dixit* (hi autem sunt Ordines Hollandiæ, ut notum est Sibrando & omnibus) *satis esse. Verum si hic procedendi modus* (quo scilicet usi sunt illi Ordines) *obtinebit, nemo tam scelerati facinus perpetrare poterit, propter quod ad supplicium*

Hollandiæ judicibus nihil dixisse, p. 89.

40. In fine libri defendo meas Theses, sed inepte & petulanter à Conrado flagellatas: de Ordinum vero iudicio ne unũ quidem verbum facio, *et mox*, ut mirari satis nequeam, quî potueris tuæ conscientiæ tantam vim facere, ut illud de me scripseris. *pag.* 107.

41. *Et* quia erubuisti huius affirmativam, (alendũ scilicet hæreticũ, ut hæreses seminet) in hac doctrinæ luce asserere. mutas statum Cõtroversiæ, & quæris, An in rebus adiaphoris & ad salutem necessario non pertinentibus, nos mutuo ferre debeamus.

42. Moneo te optimo viro Philippo Melanchthoni iniuriam facere, quod eum pro Remonstrantibus stare dicis, p. 110.

43. Addo te esse admodum infelicem in Patrum scriptis allegandis, sed hoc fortasse ab alio declarabitur. *ibid.*

44. In eadem parte scribis me Ordines accusare, quod cum sint dogmatum Christianæ doctrinæ imperiti, de illis tamen iudicium sibi arrogant, perinde ac si cæcus de coloribus recte iudicare possit. Ego vero tota illa præfatione Ordinum non memini, p. 111.

45. Si haberes alium adversarium, *rapiqueat*. Notum est pronomina demonstrativa vim habere propriorum nominum.

40. Sibrandus in fine libri pag. 836 *Dolendum est Ordines Hollandiæ ab homine tam indocto & tam stupido decipi* VELLE, 841. *Ut mecum doleas esse inter Proceres Hollandiæ, qui tam florẽtes Ecclesias his nenijs perturbari distrahiq; patiantur.* Agit de quæstionibus prædestinatiõis.

41. Falsum est Grotium erubuisse id facere, quem constat id facere noluisse. Falsum quoque quæstionem institui de adiaphoris. Quæritur enim de dogmatibus nõ plane necessariis, hæc autem non sunt adiaphora.

42. Idem visum Philippo quod Remonstrantibus apparet ex locis citatis supra *nũ.* 3. Et cur ad verba Melãchthonis allata in Piet. Ordd. pag. 39. nihil respondet Sibrandus?

43. Patrum scripta bona fide & apposite citavit Grotius; cõtrarium nemo ostendet, experiatur qui volet. Et brevi forte clarius exponetur, quid antiquitas de his cõtroversiis sẽserit. Videãtur interim testimonia adiũcta Ordinum Decreto.

44. Ordines in Præfatione nominatos non dicit Grotius, sed designatos, quod rei evidẽtia testatur. vide Ioh. Arn p. 36.

45. Falsũ, ut singulas Sibrãdi pa-

rium, metuendum esset, ne te tractaret pro merito: sed ego nō sum vindictæ cupidus, *ibid.*

paginas inspicienti liquet. Et notetur tam virulēter scribere Sibrandum in eum qui nihil fecit, nisi auctoritate publica, & cui nullas esse privati odii causas ipse fatetur.

46. Gloriaris te esse Fisci Advocatum, p. 120.

46, Nusquam de eo gloriatur Grotius: sed officii nomen præscripsit, cuius ratione tenebatur facere, quod fecit.

47. Cui tribuimus potestatē convocandi Synodos, illi citra controversiam iudicandi potestatem tribuimus. Neque hic quicquam novi scribo. Nam in Epistola dedicatoria ad Archiepiscopum, hæc eadem Regibus & Generalibus Ordinibus tribuēda esse docui, p. 124.

47. Sibrandus in dedicatoria ad Archiepiscopū p. 23. *Ergo si vel sartores vel monetarij sibi arrogaverint illud quod est Prophetarū, et* IUDICAVERINT *de* PROPHETIIS, *violaverint secundam tabulam. Sed neque* IPSI ORDINES *quia sunt custodes utriusque tabulæ.* Hoc IPSUM (scilicet iudicare de Prophetiis) *quod alienum est, sibi arrogare debent.*

48. Quæris, an Imperatori non liceat sine cōsilio de Causis Fidei iudicare. Respondeo: neque Sacras literas. &c. Addo rem esse plenam periculi.

48 Notetur exēplum Marcellini allegatum Piet. p. 57. Et exēplum Theodosii allegatū, pag. 47. de quo sic Witakerus. *Unde plus boni secutū est, quā ex ullo unquā Concilio* Sibrādus de Conciliis, Lib. 11. Cap. V. *Deinde Theodosius senior de fide iudicat, et ita quidem, ut Ecclesia eius iudicium sequeretur, Sozom. lib. 7. cap. 12. Imperator jussit, ut unaquæq; secta doctrinæ suæ libellum sibi porrigeret. Cum itaque huic negotio conficiendo præstitutus dies adesset, convenerūt in Palatiū pro iis qui consubstantialē Trinitatē profitebantur. Nectarius et Agelius. Pro Ariana hæresi, Demophilus: pro Eunomianis Eunomius: Eleusius autem pro Macedonianis. Acceptis autem singulorum libellis, solos eos approbavit, qui cōsubstantialem Trinitatem asserebant: reliquos vero, ut absurdos, disrupit. Socrates cum eandem historiam narrasset, addidit: Imperator se in locum separatum concludit: precatur obnixe, ut Deus illi ad veritatem eliciendam opem afferre vellet. Lib. 5. cap 10. Adversarius cum respondere non possit, dicit Imperatorē non iudicasse in causa fidei: sed tantum legisse sectariorū confessiones, ut eis acquiesceret,*

eisque satisfaceret, ne videretur eos inauditos sine ratione damnare. At Imperator cætera omnia dogmata Trinitatis unitatē dirimēnia damnat, & consubstantialitatis fidem approbat, & ut hoc facere possit, precatur obnixe, ut Deus sibi ad veritatem eliciēdam opem afferre velit. Si hoc nō est iudicare, tum fatebor cum adversario eum nihil iudicasse. Thomas Mortonus Apologiæ Catholicæ, parte secūda, Lib. v. cap. xiii. *Theodosius Imperator Christianissimus, inter omniū hæreticorū turmas versatur, Romani Pontificis spiritū nihil moratur, Episcoporum omnium rationes ad se deferri mandat: easq; Dei gratia implorata ad scripturas, tanquam Lydium lapidem explorat, orthodoxam fidem approbat, cōsopitis discordiis omnia feliciter expedit. Arianorum, Macedianorum & Orthodoxorū sentētias scriptis proditas legit Imperator (inquit Socrates) tum demum precatur, ut Deus illi ad eliciendam veritatem opem ferre vellet. Vt huic testimonio occurras, vah quam tu multa nugaris? Primo, inquis, non iudicem se facit, sed rem in Cōcilio Niceno decisam approbat. Imo vero Imperator scripta legit, & opem implorat, non ad veritatem* TRADITAM AGNOSCENDAM, *sed eam multis dissensionum anfractibus implicatam* ELICIENDAM. *Et mox: Quis non videt hoc factum quam vos vehementer exercuerit?*

49. Nā si solus Princeps etiā sine Synodo de reb. fidei iudicare potest, sequitur omnibus subditis unius hominis iudicio in rebus fidei standum esse. Quid si Princeps iste sit Arrianus?

49. Falsum hoc. Non enim magis id sequitur, quam Synodi iudicio standum, si Arriana sit, quod evenire potest, ut olim evenit.

50. Nusquam sacrū Dei Verbum docet Magistratum sine Concilio de articulis fidei iudicare debere. Sed urges me mei libri, quem de Conciliis scripsi auctoritate, producisq. exēplum Donati de causis nigris, à me istic allegatū. quod admirationem adfert. Nam si hæc historia tibi probe cognita fuisset, nunquam hoc exemplum contra me, ius Ecclesiæ defendētem, allegasses, p. 127.

50. Falsum est hoc argumentum adferri ad quæstionem, an Magistratus possit iudicare absque Synodo. Videatur Pietas pag. 47. ubi hæc quæstio tractatur, ibi Theodosii allegatur exemplum in causa longe alia. At pag. 81. ubi agitur de iudicio post Synodum, mētio fit Constantini in causa Donati. Notabilis perversio.

51. Nus-

51. Quod quæris an habeat Supremus Magistratus ius & potestatem iudicandi de rebus adiaphoris, &c. est ridiculum, p. 128.

52. Scire debes nobis non esse cum Conrado controversiam de rebus adiaphoris.

53. Si hæc ita, ut par est expendes, videbis ipse extra propositum adferri, quicquid ABSTB de rebus adiaphoris & indifferentibus hic dicitur, p. 138.

54. Imperatores Ecclesiis reliquerunt illud ius, ut eligerēt & mitterent ad Synodos, quos vel omnium vel plurium consensu in suis Ecclesiis maximè idoneos iudicabant, p. 141.

55. Qui in Catalogū relati, hoc est ab Ecclesia electi, p. 142

57. Etiam quæris cuius nomine synodica decreta debeāt promulgari, pag. 152.

57. Quid igitur sentias, aut in animo habeas, dum me ius Ecclesiæ defendentem Regis Philippi auctoritate urges, nō tantum Ecclesiasticis, sed etiā prudentioribus politicis iudicandum relinquo, pag. 153.

58. Post hæc rides illos qui di-

51. Nusquam hæc quæstio à Grotio ita proponitur.

52. Neque id dixit Grotius, neque ita sentit.

53. Non agit de adiaphoris Grotius.

54. Falsum hoc, ita ut ponitur absq. ulla exceptione: vide contraria exempla in Piet. p. 70. 71. 72. Nec solvit Sibrādus, quod ibidem adversus exēpla Nicenæ Synodi & Constantinopolitanæ primæ ab ipso allegata opponitur. Consideret etiam lector diligenter locum Marsilii citatum Piet. pag. 89.

55. Falsa ista expositio. Nam Catalogus iste fiebat, cum iam convenissent Episcopi.

56. Falsum est hoc quæri. P. 111. quæritur cuius nomine leges ferri aut publicari debeāt.

57. Falsum est allegari hoc exemplum, ut tāquam ab auctoritate ducatur argumentū. Sed hoc dicitur parum esse, quod approbatio Synodicorū decretorum Principi permittatur, cum hæc permissa fuerit Principi etiam in papatu. Notū enim est Principum culpam hanc fuisse maximā, non quod parum Ecclesiasticis, sed quod nimium tribuerint, Hæc vera persecutionum origo.

58. Falsum est hinc inferri à

cunt Ordines relinquere Anabaptistis libertatē vocādi tales Ministros, quales ipsi desiderāt, & cæteris sectariis, qui separatos cætus sequuntur, eandem libertatē permittere, neq; laborare ut ipsis præficiant doctores, pastoresve, qui ipsis aliam doctrinam quam ipsi desiderant, proponant, atque inde inferunt Reformatis eandem libertatem concedendam esse, aut horum conditionem esse deteriorem cōditione illorum: & dicis illos de suo alere Pastores suos, Pastores vero Ecclesiæ Reformatæ ex publico ærario stipendia sua percipere; atq; inde videris inferre velle, Pastores Reformatæ Ecclesiæ non habere ius iudicandi de rebus Fidei, neq; ab *Ecclesiis* eligi debere. Multa incōsiderate scripsisti in tua Pietate, sed an hoc quicquam inconsideratius scribi potuerit, penes Christianos Magistratus iudicium esto.

59. Sanctissimi & pientissimi Imperatores reliquerunt *Ecclesiis* ius & potestatem eligēdi *Pastores*, p. 157.

60. Vt nihil inconsideratius dici possit, quàm Ecclesiam propterea quod ipsius Ministri ex bonis Ecclesiasticis alūtur, non habere ius eligēdi suos *Pastores*, aut *Pastores* PROPTER eādem causam nō habere ius & potestatem veniendi ad Synodum, & in ea iudicandi de cōtroversiis *Ecclesiasticis*, ibid.

61. Vt satis mirari nequeam, quare tibi libuerit scribere electionis Ministrorum nullam certam regulam in scriptura traditam esse. Quid enim, an exemplum Apostolicum non est nobis regula? p. 158.

59. Hoc sumptum universaliter falsum est. Vide exempla contraria *Piet.* pag. 90. 91. 92. 93, 94. 95. 96. 97. quæ surda aure prætervehitur Sibrandus.

60. Nusquam dixit Grotius *Ecclesias* non habere ius veniendi ad *Synodum*, & iudicandi de cōtroversiis. Multō minus dixit, propterea non habere, quod publica authoritate foveātur. Fictitia hæc sunt.

61. Non dicit Grotius simpliciter nullam esse legem, sed nullam nisi ut servaretur τύπος, ξία καὶ οἰκοδομή. Et exempla non faciunt regulam mutatis circumstantiis, Idem plane quod Grotius, defendit Reverend. Bilsonus, Cap. xv. de Reip. Eccl. Christi gubernatione. ubi vide firmissima argumenta.

Grotio Pastores *Ecclesiæ* Reformatæ non habere ius iudicandi. Falsum etiam hoc adferri ad electiones. Sed argumētum solvitur, quo quidam utuntur. Magistratus non curat quid Mennonitæ doceant: ne curet igitur quid doceatur à Ministris publicis in *Ecclesia* publica. Videatur locus Piet. p. 78. Insignis perversio.

62. Confundis χειροτονίαν & ἐπίθεσιν τῶν χειρῶν p. 159.

62. Male dicuntur confundi, quæ idem sunt. Bilsonus Cap. VI. f. 110. *Quo factum est, ut apud Ecclesiasticos scriptores idem prorsus valeat* χειροτονεῖν *quod* χειροθετεῖν, ubi hoc plurimis testimonijs confirmat.

63. Vrges me Edicto Caroli Quinti &c. Sed quid hoc ad me, qui præcipue Frisiam, in qua vivo, respexi. p. 166.

63. Falso dicit Sibrādus ad se non spectare, Edictū Caroli ad Hollandiā pertinens. Verba Sibrandi fuerāt in præf. p. 31. *Populus autē, ut* A MAIORIBVS *acceperat, vocandi Pastores suos & sacrorum Ministros* IVS *habebat, &c. Atq; ita in* VSV & POSSESSIONE IVRIS SVI, *tum* POPVLVS, *tum Magistratus permanebat: nec hoc ius Hispaniarū* REX AD VLTIMA VSQVE PACIS TEMPORA *sustulerat. Hoc igitur* IVRE SVO *utēs Ecclesia* QVÆLIBET *apud nos in his* BELGICÆ SOCIETATIS PROVINCIIS, *id est populus, Pastores suos & verbi Ministros vocat.* Hæcne tam aperte falsa defendi?

64. Imo quid hoc omnia ad rem præsentem? Non enim de collatione, neq; de præsētatione, neque de dispositione beneficiorū Ecclesiasticorum, neq; de jure patronatus, sed de Electione pastorum ad ministerium Ecclesiæ disputo, *ibid.*

64. Nihil magis ad rē. Nam princeps dicit Ecclesias ad suam dispositionē spectare: hoc autem nihil aliud est, quam pastorum electio.

65. Dico illud (jus patronatus) ad stabiliendum papatum Romanū introductū. p. 166.

65. Falsū hoc. Vide quæ notata supra num. 13. Imo cōtra papa & Doctores papales inimici sūt Iuris patronatus Laicalis, & inter eos panormitanus: quia volunt ipsi omnia ad Clerū trahi. Sed principes, & ab ipsis jus habētes, cōtra semper obstiterūt, Vnde nō dissidia tātū, sed & bella. Vide piet. p. 96. & seqq.

66. Ademerūt (Ordines Hollandiæ) Patrono ius præsentandi pastorē Ecclesiæ, p. 170.

66. Falsum. nihil tale in decreto. Reditus toti addicuntur usui pastorum. Sed à quibus hi eligendi sunt, nihil dicitur, Imo exstant decreta plurima pro iure Patronatus, etiam in Ecclesiis.

67. Quod ad titulos attinet,

67. Nō eam usurpat Grotius, sed

explicandum prius est, quid per eos intelligas priusquam respondere possim. Video enim hanc vocé aliter à scriptoribus Ecclesiasticis, aliter ABSTRUSURPARI, p. 171.

68. Hollandiam ipso facto hunc eũdem ordinem approbasse docet Synodus prima Nationalis anno. 1578 p. 177.

69. Quî poteris illos ab iniustitia excusare, quod illud quod Magistratus erat, ipsorũ intercessione à Magistratu AUFERRETUR p. 178.

70. Iuvenili petulantia Ministros Ecclesiarum nostrarum rides, eosque Diaconos indigitas, *ibid.*

71. Præsens Ecclesiæ regimen subsannas, p. 179.

72. Scire debes Ministros sive Pastores qui Ecclesiam pabulo verbi Dei pascunt esse Episcopos p. 179.

73. Hanc tuã peritiam multo magis patefacis, cũ dicis ex Apostolico instituto aliquê aliis

sed Carolus Imperator in Edicto. in quo reperiam vocem Grotius nec mutare, nec omittere potuit. Quis autem nescit titulos esse documenta iuris Patronatus à Principibus accepti, aut dotatione quæsiti?

68. Hollandia hoc nõ probavit, quia ab Ordinib nõ est cõfirmata Synodus. Synodus a Hollandiam non representat.

69. Qui cedit de iure controso pacis causa, aut ut alia sibi non debita accipiat, ei suum non aufertur. Invidiosè hoc dictum. Et notetur Comitem fuisse alterius professionis quã Ecclesiam Embdanam.

70. Verba Grotii sunt Pag. 117. *Presbyteri, qui olim dicebãtur, hi vocantur Ministri, quod Græce esset Diaconi.* Quis hic risus est? Ipse Sibrãdus Pastores generali nomine Diaconos vocari ait p. 174. Interim verum est, potuisse sine gravi culpa nomẽ vetus & peculiare retineri.

71. Falsum. Imo iuvat potius qui regimen cupit auctoritate publica stabiliri, & quantum temporum ratio patitur ad veteris Ecclesiæ formam accedi.

72. Quasi id nesciat Grotius, qui ideo adiũxit vocem *propriè* p. 117. *Quosdam fuisse præpositos cæteris, qui Episcopi* proprie *vocarentur*, Ergo cõmuniter alii quoq; Episcopi. Neq; id mirũ, cum & Apostoli vocẽtur διάκονοι.

73. Calũnia ex multis falso dictis consuta. verba Grotii sunt p. 117.

præpositũ fuisse,& hũc appellatum esse Episcopũ, &c. *Prome* tabulas:cedo librũ, ut hãc novã Hugonicam Theologiã plenius cognoscamus, &c. *Et* nõ pudet te scribere,ex Apostolico instituto esse,ut unus aliis præponatur, & Episcopus dicatur? Hoc unũ arguit quã sis peritus orthodoxæ ãtiquitatis.

117. *Anglicana Ecclesia sentit ex Apostolico instituto quosdam fuisse præpositos cæteris qui Episcopi proprie vocarẽtur.* Alienam promit sentẽtiã. Ita autẽ sentire Anglicanã Ecclesiã probat omni exceptione maior testis Rex Serenissimus, cuius in Admonitione ad Christianos Monarchas, Principes atque Ordines hæc verba sunt. *Episcopos esse in Ecclesia debere tanquam* INSTITUTIONEM APOSTOLICAM, *ac ordinationẽ proinde divinã, contra* PURITANOS *semper sensi.* Episcopos a Rege hic intelligi stricte pro iis qui præsunt aliis Pastoribus, non a communiter pro Pastoribus, ex eo apparet,quia Puritani non negãt,Pastores in Ecclesia esse debere. Deinde sequitur in libello Regio. *Cælũ cæleste q; Spiritus per ordines ac discrimina disponi & gubernari scimus: imo nec inferi sine suo quodã ordine ac distinctione stare possunt. Dæmones in legiones digesti sunt, suosque principes habent. Qui igitur cœtus in terris aliquis cõfusus permistus q; nullo ordinum dignitatum q; discrimine possit consistere?* Et mox. *Ego anno salutis 1584. suam Episcopis dignitatem restitui,& ÆQVALITATEM illã popularem repressi.* Rursum. *Ego,cui præcipuus labor fuit* DEJECTOS *Episcopos* RESTITUERE *et Puritanorũ Anarchiã expugnare.* Cognoscat ergo Sibrandus non Hugonicã,sed Regiã Theologiam,& à Rege promi tabulas,cedi librum, no minari caput, edi versiculũ postulet. Præfabit id pro Rege Bilsonus,*Episc* Winton. qui in Præf. statũ controversiæ suæ cum adversariis hunc ponit. *An Apostolica designatione statutum sit discrimen inter Episcopos* (propie dictos) *& presbyteros,* hoc est Pastores alios,non laicos, Videatur tota Præfatio,& libri c. 12. ubi ostenditur tota antiquitas sensisse, Titum & Timotheũ à Paulo ordinatos hoc peculiari modo Episcopos cum superioritate in alios Pastores: Polycarpum quoque & alios ordinatos ab Apostolis: Et hos Episcopos, qui in singulis civitatibus erãt duntaxat singuli, non quosvis Pastores, in Apocalypsi Angelos vocari. Rogatur lector, ut legat dictam Præfationẽ, & Caput. 12. & Caput 13. & quæ Saravia scripsit de Gradibus Ministrorũ,& tum demum iudicet, an non veram Anglicanæ Ecclesiæ sententiã Grotius expresserit: à qua Renoldum à Sibrando allegatũ dissentire non mirũ est. Apud dictos auctores inveniet lector quid ad Hieronymi & Ambrosii locum responderi possit.

74. Hic nō subsistit tua Pietas. Sed dicis me prævaricari. Esse enim duplicē quæstionē: unā quis ejecerit Ordinem Ecclesiasticum extra Ecclesiam? alteram, quis ejecerit Ordinem Ecclesiasticum ex Republica? Et agnoscis hoc posterius factum esse à Politicis, p. 187.

74. Nō dicit Grotius prævaricari hic Sibrādū, neq. id credit. Calumnianti n. quam prævaricanti est propior. Falsum quoque est agnosci à Grotio posterius istud (nempe ejectionē Ordinis Ecclesiastici è Republica) factum esse à Politicis. Nā contra ostenditur falso dictum à Sibrando *statū Provinciarum Belgicarum ordinibus tribus cōtentū, ita ut Ecclesiasticus ordo in* OMNIBVS *conventibus primum locum teneret* Nam in Hollandia aliisq. locis quibusdā nulli Ecclesiastici in conventu fuere. Hoc totū Sibrandus præterit, quia quod dicat non habet. Ostenditur deinde in Brabantiæ conventu antiquitus fuisse non Episcopos, sed Abbates; expulsos hos esse ab Ordinibus negatur. p. 122.

75. Etiam insultas illis quod cogantur abstinere à politicis deliberationibus, & sub hoc prætextu videris operā dare, ut quāadmodū Politici omnē Politicam potestatē, & ius deliberandi in ea ad se transtulerunt, ita etiā omnē Ecclesiasticā potestatē & jus deliberandi in ea ad se pertrahant, *ibid.*

75. Falsa hic multa. Grotius nō insultat Ecclesiasticis, quod cogātur abstinere Politicis deliberationibus. Sed ostenditur Sibrando, nisi Ordines exosos reddere voluerit, caulam non fuisse, cur toties repeteret. Ecclesiasticos nō adhiberi ad cōvētus. Videatur Præf Sib p29. & 38. & Piet 122. 123. Falsum & hoc, Politicos (in Hollandia, pro qua Grotius loquitur) jus deliberandi in Politicis ad se trāstulisse: cum antiquitus id habuerint. Saltem monitus tam aperte Sibrandus resipiscere debuit, si culpam admissam fateri noluit.

76. Tu enim tuo judicio videris inter omnes Hollādos esse doctissimus, pag. 187.

76. Vanè dictum, & sine probatione.

77. Tandem etiam interitū Flādriæ Pastoribus imputas, & hoc quorundā prælatorū, qui ad hostē transierunt, testimonio probare conaris, p. 188.

77. Falsum est, Grotiū conari hoc probare Prælatorū illorū testimonio. Prælatorum nō tā testimonium, quā causatio ad id refertur, ut purgentur Ordines à culpa ejectionis p. 122. De causis interitus Flandriæ agi incipit p. 123. sub finem, sine ullo Prælatorum testimonio. Notabilis iterum perversio.

78. Rectè feceris, si in veritatē diligētius inquisieris, p. 194.

78. Nihil cōtra veritatem dixit Grotius: Nempe Pastores quosdam offensos mētione recognoscēdæ confessionis, & cate-

cheseos, Piet. pag. 51. Ipse Sibrād, p. 193. verbis aliis minus latinis idem dicit. Nam revisionem requirere in hac materiâ, non est provocare adversus sententiā, ut p. 189. Sibrandus detorquet, sed poscere ut scriptū denuo examinetur: quod non licere tantum, sed & oportere, Ordines Fœderati rectè judicarūt: neque necesse habuerūt idipsū, an hoc oporteret, judicio Synodi permitere.

79. Etiā in Presbytetia nostra irruis, & totū hunc ordinē, ut nuper aut nudius tartius inventum, & Reipublicæ noxiū, non tolerandum esse doces, p. 194.

79. Falsum est irruere Grotium in presbyteria. Imo eorum usum probat, salva Magistratus auctoritate, p. 110.

80. Scire debes hunc ordinē habere auctoritatem verbo Dei, & exemplo primitivæ Ecclesiæ probari posse.

80. Duo sunt considerandā in presbyteris, qui sic apud nos vocantur. prius quod sunt tēporarii: alterum quod non docent, nec Sacmenta administant, hoc est, uno verbo, sunt laici. Hæc duo diserte notat Grotius p. 19. p. 88. p 112. Hos tēporarios & laicos auctoritatē posse accipere humanā ab Ecclesia aut Magistratu, fatetur Grotius: habere divinā à verbo Dei & exemplo primitivæ Ecclesiæ nō putat. Atque ita sētit Anglicana Ecclesia & bona pars Germaniæ. Loci Act. 15. & 16. agunt de presbyteris, qui sunt perpetui pastores: ut demonstrat Bilsonus cap. x.

81. Iudaica Ecclesia in singulis urbibus habuit seniores, p. 19.

81. Ibi Seniores erāt Magistratus, sive Politici, qua tales. Demonstrat Bilsonus cap. iv. & Erastus confirmat thesium lib. iv. cap 3. & 4. ubi vide argumenta irrefragabilia.

82. Scire debes in primitiva Ecclesia duos fuisse ordines presbyterorū: quidam enim pascebāt Ecclesiā pabulo verbi Dei, alij præerāt cēsurę morum. 1. Tim. 5. 17. qui benè prę sūt presbyteri, duplici hōore digni sūt, maxime ij qui laborant in sermone, p. 194.

82. In Græco est vox magis emphatica κοπιῶντες, hoc est qui se defatigant in sermone. Hoc loco nō cōstitui duos ordines presbyterorū demōstrat Bilson9, & ostēdit nulli vetrū omniū eum locū sic esse intellectū, in præfat. & cap. 10. quē vide quæso elector. Est enim res inquisitione non indigna.

83. Ambrosius. & *Synagoga et postea Ecclesia seniores habuit ibid.*

83. Ambrosiū agere de Senioribus, qui Pastores essēt, & verbū & sacramenta administrarent, liquido commonstrat Bilsonus. Cap. xi. & in præfatione dicit, contraria interpretatione magnā Ambrosio injuriā fieri.

84

84 Iidem pœnitentibus satisfactionũ leges præscribebãt: Idem Socrates narrat, illos propter fœdũ facinus Constantinopoli depositos esse, ibid,

84. Nihil tam à vero alienum, quam hos presbyteros pœnitentiarios fuisse laicos.

85. Addit Eudæmonem presbyterum hoc suasisse, & simul suggessisse, ut unicuique permitteretur libertas pro sua cõscientia ad mysteria participanda accedendi. Crediderim te idem velle, ibid,

85. Falso hoc, & sine ratione credit Sibrãdus, si tamẽ credit. Nam Grotius usum claviũ magni facit, eique locũ esse cẽset, etiam in danda aut non danda mysteriorũ participatione. Adeoq. ab Erasto dissẽtit hac in re, ut velit disciplinam constitui multo quã nunc severiorẽ, & laxitatẽ ejus serio deploret.

86. Mirum ni tam grave iudicium te ab oppugnatione presbyterorum absterreat, p. 195.

86. Falsum est oppugnari à Grotio presbyteros, etiam laicos: etsi. juris divini eos esse nõ potest agnoscere, nec putat quicquã delinquere Ecclesias, quæ ijs carent. Adde etiã ruri plerunque deesse personas idoneas regẽdæ Ecclesiæ, & rectius forte omitti munus non necessariũ, quã personas adhiberi inidoneas, quod Trajectini Pastores rectè viderunt: nec inde sequitur solutio disciplinæ.

87. Sed etiam sugillas modũ eligẽdi presbyteros: at vero ego jã ante ostẽdi eorũ electionẽ pertinere ad Ecclesiã, ibid.

87. Imo ostẽdit Grotius pertinere ad Magistratũ, nisi Magistratus Ecclesiæ electionẽ concedat, p. 112. Erastus vero & Tigurini existimãt sub Christiano Magistratu omnino cessare debere presbyteros laicos: quod Grotius non putat necessarium.

88. Quod autẽ dicit hoc modo rẽpublicã in republica statui, mõstro simile esse videtur. Magistratus enim Politicus & Senatus Ecclesiasticus circa diversissima objecta versatur. Mox. Vt manifestũ sit, nihil ineptius dici, quã illos rẽpublicã in republica cõstituere, qui in republica Christiana, presbyteria locũ habere cõtendũt. ibid

88 Falsa planè allegatio. Non enim dicit Grotius, eos, qui presbyteria locũ habere cupiunt, rẽpublicã in republica cõstituere: sed eos, qui negãt nomine summi Magistratus ferri aut publicari leges debere de Ecclesiæ politia. Verba sũt manifesta pag. 113. ibi videãtur. Legislatio sub Deo circa quod vis objectũ, est penes summũ Magistratum: & si quæ collegia habẽt legislationẽ, eã habẽt à summo Magistratu, & citra exclusionem summi Magistratus, qui ipse nihilominus jus legum ferendarum retinet.

FINIS.

A.

ABolitio ordinis Ecclesiastici initio reformationis unde & qua ex causa facta fuerit. pag 23. & 24.

Adiaphoræ sunt Remonstrantium controversiæ iudicio Grotii. pag. 167.

Adelboldus Episcopus 19. Traiectensis bellum gessit cum Theodorico comite Hollandiæ. pag. 214.

Anonymus iniuriã facit maximam nostris Principibus & Ecclesiis. pag. 185. & 186.

Ambrosius necdum baptizatus in Episcopum electus. p. 193. eius electio extraordinaria & divina. ibid, facta à plebe suffragante Imp. Valentiniano & reliquis Episcopis. ibid.

Ambrosii in Theodosiũ Imp. censura. p. 282. pares facit Episcopos & presbyteros p. 241. Responsio ad exceptiones adversariorum ad locũ Ambrosii. p. 243. 244.

Ampliandum putant negotiũ Vorstii Illust. Ordines Hollandiæ, pag. 30.

Appellationes à plenariis Synodis ad Imperatores olim fuerunt prohibitæ. p. 164. quatenus concedi possint. ibid.

Apoc. 1, & 2, per Angelos quid intelligendum. p. 238. 239.

Ἀθετῶν utrumque significat abolere & despicere. p. 22.

Articuli personales propositi Rectoribus Scholæ Steynfurtensis. p. 63.

Ambrosii illustris sententia de Senioribus nostræ Ecclesiæ p. 270. vindicatur à corruptelis adversariorum pag. 271. 272.

Aufridus Episcopus 18. ab Ecclesia Traiectensi electus. p. 213.

Augustini Respõsio ad calumniam ipsi obiectã de Stoicismo. p. 107. eius sententia de Prædest. p. 111. 118. 120 & alibi. Eius hiulca citatio apud Grotiũ. p. 110. Respõsio ad istum locum August. ibid.

B.

Barlæus quã irreverenter loquatur de plærisque libris probatorum autorũ à Slado citatis, pag. 4.

Baro Gallus easdem movit cõtroversias Ecclesiis Anglicanis, quas Arminius Ecclesiis Belgicis. pag 69.

Basilii dictum μόνον θέλησον, ὁ θεὸς προαιρεῖται, quomodo accipiendum. pag. 99.

Basilienses vocant Arminium Socinianum. pag. 68.

Belli intestini à Condæo in Gallis

Galliis gesti causa. p. 45. 46.
Bellorum olim inter Principes & Papam gestorum causa. pag. 219.

B.

Bellarminus non auditus condemnatus à Rege & curia Galliæ in suo scripto. p. 76.
Bernardi verè insigne dictum de lib. arbit. pag. 140.
Bertius ab electione hominis excludit opera legis, sed nō opera Euangelii. p. 73. eius scriptum de Apostasia Sanctorum iudicatum fuit à Rege M. Brit. scandalosum & impium. pag. 77.

C.

Calvinus prophetam egit. p. 106. Carolus Magnus statuit ut Episcopi à clero & populo eligantur. pag. 195. restituit Ecclesiis ius electionis. pag. 196..
Carolus V. reliquit Frisiis ius eligendi suos Pastores. pag. 212. In suo rescripto non agit de ordinariis Electionibus, sed de singularibus collationum privilegiis. p. 212 215,
Casaubonus impingit Belgio nostro fœderato Socinianismū. p. 40. Idem sentit cōtra Grotium de iure Synodorū legitimarum p. 165, dicit in Synodis talibus situm esse Solum Remedium ad cōponēdas controversias, ibid
Causa alia nascendi, alia pereundi: pag, 110.
Chrysostomi dictum ὁ θεὸς, μὴ ἕλκει, βιαζόμενον δὲ ἕλκει. quomodo accipiendum, p. 141, & 99.
Chrysostomus quid velit simili isto de figulo Rom. 9. p. 116, eius sententia de vasis cōagmentatis ad interitum quomodo accipienda. pag. 117. nisi commodè explicetur præsertim in doctrina de lib. arb. Pelagianus erit. p. 128. nimis incircumspectè interdum loquitur, etiam teste Grotio. ibid.
Chrysostomus decernēte plebe & clero & consentiente Imp. Arcadio in Episcopum Constantinop. electus est, p. 194. olim conquestus est de insciția & factionibus populi in eligendis Episcopis. pag. 200 Episcopos & Presbyteros eosdem esse dicit. p. 237. Episcopatui inesse dicit ἀμὴν, Ἀρχὴν, Αὐθεντέαν. pag. 282.
Christus quomodo hæc duo regna, Civile sc. & Ecclesiasticum, subordinata esse doceat. pag 283.
Chalcedonēse Oecumenicum concilium quartum habitū fuit sub Martiano. p: 175. petitione Leonis Papæ Romani & Anatolii, Novæ Romæ Patriarchæ. ibid. ob quas causa

quas causas impetratum. ibid. in eo congregati 630. Θεοφόροι Episcopi. pag. 175.
Christiani iura & sublimitatē Christi tueri debent. p. 151.

C.

Χειροτονία & χροθεσία differūt. p. 208. 209 210. quare differentia hæc obseruāda. ibid.
Χειροτονεῖν Act. 14. quomodo accipiendum pag. 210.
Classes perstringuntur à Grotio. pag. 21.
Clericorum & Laicorum distinctio non est Scripturæ consentanea pag. 256. 273.
Clerici vox est communis toti Ecclesiæ. pag. 256.
Collateralitas, quæ invidiosè nostris Ecclesiis ab aduersariis obiicitur, reiicitur. pag. 285.
Collationes cum hæreticis haberi possunt, & variæ habitæ sunt, pag. 157.
Comes Benthemicus senior misit Vorstium Heydelbergam. pag. 31
Comites iuniores Benthemici post discessum Vorstii instituerunt visitationem generalē in suis comitatib. p. 31, 62, cur instituta, p. 62.
Concilii Arausicani canon de Prædest, à Grotio citatus, explicatur. p. 107. insignis canon eiusdem cōcilii. p. 113.
Concilii Nicæni Episcopi fuerunt numero 318, aut ut Euseb. 205. pag. 179.
Contadi Salici Regis historia de Bernulpho. p. 213.
Consensus nō potest esse sine iudicio p. 198. 204.
Consensus ciuiū pro Episcopo olim vocabatur libellus pagina 172.
Constantini Imp. exemplum ab aduersarijs contra nos citatum, facit pro nobis pag. 164. ipsi Imp, admodum displicuit Donatistarū appellatio à concilio ad eius Tribunal ibid.
Constantinus ad Synodum vocavit tales Episcopos quos alij ipsi præscripserant, pag. 169. Idem Imp. scribens ad Episcopos Concilii Nicæni, dicit se Ecclesiis scribere p. 170. obiectio Grotii contra id solvitur. p. 171. eiusdem Imp, dictum insigne de sua & Ecclesiæ potestate. p. 285.
Converti hominem etiā repugnantem ex solo afflatu violento docent Enthusiastæ, pagina 97.
Conversio nulla facta est, ex sē tentia Melancht. donec omnino repugnat voluntas, pagina 100.
Corvini duo effugia, p. 32. eiusdem bella gradatio pag. 33.
Cypriani insigne dictum, quo fatetur August. se convictum, cum antea aliter sentiret delib, arb. pagina 128.
Cyril. ab Eccl. in Episcopū Ierosolymitanū electus p. 192

D.

Determinatio divina etiam secundum Melanchthonem non tollit libertatem voluntatis. pag. 94.

Διακρίνειν quid. pag. 19.

Διάκονος Christus dicitur, pag. 228.

Διάκονοι Apostoli dicuntur ibid.

Διαλάγματα & Διαλυτώσεις. p. 181.

Dilectionis causã Iacobi præ Esau transfert Chrysost. ad ad liberam electionem Dei. pag. 113.

Dimissio duplex. pag. 65.

Dioscorus Episcopus Alexandrinus cum decem suis Episcopis vocatus Ephesum & non Chalcedonem, pag. 174. conventus ille non fuit iustum concilium generale p. 175.

E.

Ecclesia Christi & Apostolorũ ad formam Ecclesiæ Israeliticæ non est gubernanda. pag. 191.

Ecclesia tota dicitur facere, quod per presbyterium facit. pag. 201.

Ecclesiæ est χειροτονίζειν & διολυτώσεις pag. 181.

Ecclesia Britannica sentit nobiscum in controversiis hodiernis quinque. pag. 69.

Εγκύκλια pag. 173.

Electionem esse factam in Christo sine ulla operum consideratione, quomodo illud intelligant Remonstrantes. pag. 73. fidem præviſam dicunt esse causam aut conditionem electionis ibid. eamque fidem considerant ut opus Euangelii ibid.

Elegit nos Deus nõ ex præviſa fide. pag. 119. & præced.

De electionibus Pastorum utriusque partis consensus. p. 189. & dissensus. ibid.

Electiones Sacerdotum in V. T. merè divinæ fuerunt. p 190.

Electionis ius etiam Apostolicis temporibus penes Ecclesiam. p. 205. nec fuit ad tempus usurpatum sed in perpetuum ab Apostolis constitutum. ibid. duo observanda in electionibus. ibid.

Electiones Episcoporum ab Ecclesia, observatæ inde à concilio Nicæo. p. 192, 1.

Electiones Pastorum & presbyterorum penes solũ Magistratum esse debere contendit Grotius. pag. 8. 188. 190. 277. Responsiones ad exempla Grotii in hunc finem allata. ibid.

De Electionibus Pastorum optima sententia Bezæ. p. 200.

Electio ministri propriè non est collatio, pag. 215. confundi cæpit olim cum collatione feudi. p. 216.

Electi

Elections Episcoporum in Francia ante Carolum Magnum non sunt semper factæ præterito populo & clero. p. 195. probatur id. ibid.
Emphatica significatio articuli Græci ex Epiphanio. p. 18.
Ενθρονίζειν. pag. 28.
Επὶ, emphatica vox. pag. 185.
Επισφραγίζειν, ibid.
Επίκρισις. ibid. ἐπισυναγωγὴ. ibid. ἐπισυνάξεις, ibid.
Επιψηφίζεσθαι, pag. 193. 194. 203. 204. 208. 287.
Epicuræi & Libertini sub nomine politicorum latent. pag. 35.
Episcopi nomen hodie κοσμικῆς ἐξουσίας τύφον resipit pag. 229.
Episcopi nomen non tollitur à Sibrando, p. 232. aut aliquo nostrum. p. 228, modo abusus absit. ibid.
Episcopalem præeminẽtiam quorundam Pastorum super alios statuit Grotius p. 233. 234. Responsiones ad Bilsoni argumenta. ibid.
Episcopi & presbyteri iure divino & apostolica institutione sunt iidem, & eodẽ honore & potestate præditi. p. 236. 237. 238. & seq.
Episcopi cum suis presbyteris repræsentant Ecclesiam, p. 54. item ad Synodum missi. pag. 170.
Episcopi orientales Constantinopoli congregati consensum reliquorum Episcoporum secũ attulerunt. p. 172.
Episcopi ad concilia mittendi eligebantur communibus suffragiis ab Ecclesiis instructi libello cõsensus. pa. 173 conditiones quæ requirantur in istis. ibid.
Episcopi variarum Synodorũ rogant Imperatores ut sua decreta confirment & approbent. p. 184.
Epistola Athanasii ad Episcopos Africæ pro Synodica habetur. p. 174.
Erasti argumenta quibus conatur probare unicum tãtum fuisse Synedrium apud Iudæos in V. T. illudque politicum, solvuntur. pag. 262. 263. 264
Erastus docet, Magistratui licere verbum & sacramenta administrare, pag. 165.
Eusebius Episcopus Arrianus multum poterat apud Imperatorem. pag. 61.
Eutyches per Chrysaphium Eunuchum apud Imperatorem impetravit convẽtum Ephesi, alimodo quo, habitus est. pag. 175.
Ευγενείᾳ καὶ γνώμῃ ἐυγμώμων, unde. pag. 114. non est omnium ibid. & 131.

F.

Figuli similitudo. Rom. 9. 21. quousque retinenda. p. 116
Flandriæ interitus Ministris imputari non potest. p. 256.

Flavianus communi consensu cleri & plebis electus in Episcopum Antiochenum. pagina 192.
Flavianus Episcopus constantinopolitanus pugnis contusus, ex cõventu electus est, pagina 174.
Formatarum commercium pagina 58.
Fulgentii sententia de Prædestinatione. pagina 107.

G.

Glossæ Patrum ad quædam loca controversa vindicantur à corruptelis Grotii. p. 111, 112, 113, 114, 115, 116, 117, 118, 119, 120, 122, 123, 129, 130.
Γράμματα εγκύκλια, ἀγαπήτικα, εἰρήνικα pagina 50.
Γράμματα τοποτηρησίας p. 173.
Gratia Dei alia generalis alia specialis ex Chrysostomo docetur. pagina 131.
Grot. si syncere credat quod scribit de Presbyteris, cõtra dicit sibi. p. 12, 13. idem sibi contradicit p. 199, 203.
Grotii scommata & calumniæ in Ministros & presbyteros p. 184, 199, 227, 228, 230, 234 235, 249, 253, 280.
Grotio causa vera scribendi in Sibrandum, p. 60. eius convitia in eundem. pagina 56.
Grotius in postrema edit. piet. quædam omisit, quæ in priori posita. pagina 83, 84, 103, 150, 253, 275.
Grotius infelix in allegandis scriptis Patrum. p. 108, 110, 115, 122, 124, 126, 129, 130, 133, 141, 142, 147. Item in citando Marsilio. pag. 175. Item in allegando exemplo ex historia Socratis. pagina 194. contra fidem historiæ de Dioscoro Episcopo Alexandrino scribit. pag. 174.
Grotius affingit Melanchthoni opinionem, quam Melanchthon ipse variis locis detestatur. pagina 103. introducit Pelagianismum, si ita præcisè urgere velit quæ ex Patribus pro libero arbitrio citat. pagina 125. non vult alendum hæreticum ut hæreses seminet, sed alend. Vorstium ut quæ Vorstiana disseminet. pagina 90. prior læsit famam Sibrandi. p. 150. Severiorem disciplinã in Ecclesiis introducendam putat, sed quâ fronte vide paginam 275.
Grotius multa citat ex Patrib. ad probandam suam sententiam in quæstionibus controversis, quæ & Bellarminus ex iisdem annotat ad defendendam suam opinionem pontificiam in iisdẽ controversiis. pagina 127. 128, 135, 143. & alibi.

H.

Henricus I. Angliæ Rex dicit se nolle ius investituræ Episcoporum amittere pro Regni

amissione. pagina 220.
Henrici IV. Imperatoris cum Paschali Pontifice transactio de investituris. ibid.
Hieronymus unam & eãdem appellationem & functionẽ Episcopis & Presbyteris tribuit, pagina 240. Respõdetur ad exceptiones adversariorum ad hunc locum Hieronymi, pagina 241. & sequent,
Hosius Episcopus ex Hispanis ad Synodum Nicænam solus missus representavit Ecclesiam totam Hispanicam. pagina 171.

I.

Imperatores solent canonicè procedere in rescriptis & legibus Ecclesiasticis. pag. 52.
Imperatorum exẽpla quæ citat Grotius non faciunt cõtra nos sed Pontificios. pag. 158. nec inter omnia ista, ullum reperitur, quo docetur Imperatores contra receptam Ecclesiæ orthodoxæ fidẽ, sua edicta promulgâsse. pagina 164.
Imperatores per Metropolitanos Episcopos & non per proconsules suos in istis Provintiis convocarunt alios Episcopos ad Synodum mittendos. p. 169. Eligere Episcopos ad Synodos est iuris Ecclesiastici. ibid, & 171. convocare vero & mãdare ut eligant iuris est Imperatorum. ibid, & 171.
Imperatorum quorundã insignia dicta de sua & Ecclesiæ potestate. p. 285. 286,
Investituræ Episcoporum à Primatibus per annulum & baculum factæ non tollunt electiones Ecclesiæ ordinarias, pagina 214.
Iudicia civilia ab Ecclesiasticis in Iudaicâ Ecclesia distincta fuerunt. p. 261, 262, 263, 266. Argumenta contraria solvuntur. ibid. aureum dictum Iunii de hac controversia pagina 266.
Ius Magistratus in rebus Ecclesiasticis. pag. 184. 187. 198.
Ius receptum electionis ad Synodum concedunt Remonstrantes Ecclesiis in colloquio Hagiensi. pag. 175.
Ius Patronatus unde ortum. p. 49. pugnat cum Scriptura & praxi purioris Ecclesiæ. ibid. & pag. 121. Est humani juris. pag. 49, 50. quando & quomodo in Ecclesia natum & auctum. pag. 50. institutum ab Episcopis & Papis. pag. 51. ad stabiliendum papatum Romanum. p. 217. 218. à Principibus confirmatum. pag. 51, 52. non ulterius quam ad Iustinianum extendi potest. pag. 53. eius abusus. ibid.

Καθορίζειν. p. 161. τὸ κανονος de

de Canone esse, qui olim dicebantur. pag. 178.
Καθόλου & ἰδιάτικ&. p. 178.
Κατ' ἔνα. pag. 212.
ΚΡΙΣΙΣ συνοδικὴ & Ἐπικρίσις βασιλικὴ. pag. 185.

L.

Lambethani articuli novem de quæstionibus hodiernis. pag. 69. 70.
De Liberi arbitrii articulo vide Melanchthonis sententiam eiusque vindicationē ab adversariorum corruptelis p. 96. Iust. p. 126. Irenęi p. 127, 128. Cypriani, pag. 128. Chrysostomi vindicatio in hoc doctrinæ capite. p. 129. & seq. Prosperi. pag. 133. 134. Augustini. pag. 135. 136 137. Hieronymi. pag. 138. 139. Bernardi p. 140.
Liberum arbitriū non tollitur à nobis prædicatione gratiæ, nec ex homine stipitem facimus. p. 133. & præced.
Liberum arbitrium resistibilitatis pallio tegere conantur adversarii. p. 125. Hominē irregenitum ex se velle verū bonum refellitur cum Melanchthone. pag. 99. & aliis, 126.
Libertas Sectariis permissa in Belgio, pag. 187.
Liberum est unicuique ad hoc rogato vel sponte suum iudicium exponere de aliorū scriptis, pag. 35. qui contra sentiunt tollunt libertatem prophetandi. ibid. nec eo amiserunt in posterum suffragium suum in iudicio publico ex praxi veteris Ecclesiæ. ibid. & seq.
Linguārum dono qui pollebant in Ecclesia Corinthiaca erant ut plurimùm Doctores. pag. 17.
Literæ Credentiæ. pag. 173.
Literæ Electoris Palatini de moderatione. pag. 64.
Literæ Regis M. Brit. ad Ord. scriptæ non præiudicāt doctrinæ nostræ. p. 66.
Lutheri regula de lib. arb. ad defensionem Patrum facit. p. 99.

M.

Macedones suæ Metropolis Episcupum mittunt ad Synodum Hierosolymitanā. p. 170.
Magistratus potestas est impar in Ecclesia & politia. p. 42.
Magistratus sunt custodes utriusque tabulæ, nutritii Ecclesiarum. p. 152. habent iudicium coactivum, p. 153 161. debent habere cognitionem de omnibus negotiis Ecclesiæ priusquam ea exequātur p. 198. 285. Sine illorum cōsensu nemo ministerium in Ecclesia publica obire debet. p. 198. Illorum est leges Ecclesiasticas

sticas sancire & promulgare. p. 181. De illorum iudicandi authoritate in controversiis fidei vide. p. 153. 154. Distinctio Iunii in hac controversia observanda. p. 160.

Magistratus sine concilio de causis fidei, ordinariè non potest nec debet iudicare. p. 157. quod tamen sentit Grotius. p. 161. 163. & seq. Respondetur ad exempla Grotii prose allegata. p. iisdem.

De Magistratus jure in convocandis Synodis utriusque partis consensus. p. 168. & dissensus. p. 169.

Majusculis quædam cur Sibrandus expresseret. p. 30.

Magistratus quod ex Pagano: Christianus sit factus eo nō everti sed stabiliri debent electiones Ecclesiæ. p. 270.

Marsilii Patavini mens rerum tractandarum in Synodis. p. 176. ejus judicium de jure Synodorum. & tota hac controversia. p. 177.

Maldonati dictum de potestate Ecclesiæ. reiicitur, pag. 283.

Mandatum eligēdi Episcopos ab ipso actu electionis distingui debet, hoc Ecclesiæ, illud Magistratui competit. pag. 171.

Melāchthon idem sentit cum Calvino in causa Prædest. p. 71. & seq. in quo differant. ibid & 92. Excludit ab electione fidem, quæ est opus Euangelii. p. 73. Respōdetur ad omnia ista loca à Grotio ex Melanchthone annotata, quoad Prædest. p. 92. Saulē non ponit in numero electorum. p. 95. idem sentit cum nostris Ecclesiis in prædest. 95. 96. Promissiones Universales restringit ad credentes. pag. 92.

Melanchthon idem sentit cum nostris Ecclesiis in articulo de lib. arb. & respondetur ad loca à Grotio ex Melāchthone pro lib. arb. citata p. 97. 98. 99. 100. 101. Quibusdam dictis Patrum utitur contra Enthusiastas sui temporis. p. 97. & non aliam ponit liberratem voluntatis, quam quæ opponitur violentiæ. ibid. vocat Pelagianorum errores dilutam philosophiam. p. 102. eius dictum de concursu verbi, Spiritus, & voluntatis quomodo accipiendū. p. 100. 101. 102. 103.

Melanchthon idem sentit cū nostris Ecclesiis de Perseverantia. pag. 104.

Melanchthon docet, ius eligēdi Ministros ad Ecclesiam pertinere pag. 226. Idem docet Episcopos & presbyteros eiusdem gradus esse p. 239.

Metropolitan. Episcopus quod facit

facit cũ suis Coëpiscopis in Synodo legitima, Ecclesias ipsas fecisse censetur, p. 120
Ministrorum nomen non est novum. pagina 228,
Ministri Ecclesiæ Reformatæ non ejecerunt, initiò Episcopos & Antistites Pontificios Ecclesiis. pag. 47.
Ministri perstringuntur à Grotio. pag. 7. & alibi passim. vide supra in litera G.
Musculus sentit cum reformatis Ecclesiis in controversia de electionibus ministrorũ. pag. 201. dicit Episcopos & presbyteros ejusdem dignitatis esse. pag. 258. 259.

N.

Nazianzenus Episcopatũ suũ vocat δυναστείαν. pag. 282.
Nectarius necdum baptizatus ad Episcopatum eligitur ab Imp. Theod. Iuniore. p. 191. nominatio tamen & prima προβολὴ istius electionis fuit penes Episcopos. ibid
Nestorius in Episcopum Constantinopolitanum electus extraordinariè ab Valent. & Theodos. pag. 193.

O.

Oecolampadius quomodo distinguat actiones Ecclesiæ ab Politicis. p. 283.
Oecumenius Episcopos & presbyteros eosdem esse ait. pag. 237.
Orbis universus malè sentit & scribit de Vorstio. p. 25. 26. imò condemnat Vorstium fatente Grotio. pagina 85.
Oppedere Grotio dicit Barlæus qui contra ipsum scribunt. pag. 4.
Ordines Hollãdiæ non introducunt hæreses. p. 27, 28, cõmendantur propter Vorstium & Arminianos. p. 59. illorum Maiestas non lædit ur si in detegendis fallaciis Vorstii adhibeantur Theologorum iudicia. p. 81, non designantur à Sibrando in Epistola suo Antisocino præfixa. pagina 32. 33.
Ordines Belgii sunt Constantini nostrorum temporum. p. 34. ipsos sentire, electiones Ministrorum ad Ecclesiam pertinere, docetur cõtra Grotium & Anonymũ. pagina 225. 226.
Ordines politici ejecerunt Ecclesiasticos ex Repub. in Belgio pagina. 247. ideoque laudandi. pag. 248.
Ordines aut potestates inferiores num contra suum Regem causâ religionis arma sumere debeant, p. 44.

P.

Patres cum reformatis Ecclesiis consensum colunt in controversiis hodiernis. p. 107. & seq.
Patronatus iura limitanda ex sententia

sententia Ordinum Hollãdiæ & Frisiæ, pag. 220.
Patronatus servitiũ Ecclesiæ vocatur à Panormitano. 221 perstringitur à Beza. ibid.
Perkinsi & Witakeri sententia de quibusq; articulis controversis. pag. 68. 69.
Perseverantiæ controversiam vide pag. 104. & seq. 144, 144. 145. 146.
Perseverantia Sanctorum est immutabilis, p. 146. nõ est humanæ volũtatis, sed Dei donũ. p. 147. nõ reddit homines securos. p. 148. duo hic sunt præcipitia cavenda, pagina 148.
Prædestinationis articulũ vide pag. 92. & 107. & seq. 113. 114. 120.
Prædestinatio ad vitam non pẽdet ex prævisa fide. p. 112 secundũ Ambrosium. p. 115 119. Chrysostomum. p. 113 114. 118. 119. Hieronymũ. p. 120. & Augustinũ. p. 120.
Prædestinatorũ hæresis olim ut nũc malignè Doctorib. orthodoxis impacta. p. 111 Πρόθεσις Rom. 8. 28. quid sit, pag. 117. & seq.
Prævaricatio quid sit. p. 255.
Plessæus Episcopos & presbyteros in primitiva Ecclesia eosdem fuisse ait. pag. 239.
Presbyterorũ munus eo quod sit tẽporaneum non tollit essentiã ipsam. p. 255. cur sit hodiè temporaneũ. p. 254. 255.
Presbyteri pœnitentiarii qui olim fuerint. p. 273. 274.
Presbyteratus in Ecclesia Embdana perpetuus. p. 257.
Presbyteri nostri habẽt divinã authoritatem. p. 258. & exẽplũ primtivæ Ecclesiæ. ibid. eorum cœtus ab Hieronymo Senatus Ecclesiæ vocatur. p. ead. varia testimonia variorũ doctorũ virorum nostra presbyteria approbantia. p. 258, 259.
Presbyteri hodierni vocantur ab adversariis Laici & cur. p. 216, nõ tamẽ esse Laicos probatur. p. 257. 258. 272, 273. et eorũ munus describitur ibid.
Presbyteri quod olim baptisãrunt id non fecerunt suo iure. pag. 257.
Presbyterorum nomine Act. 15. & 16. comprehenduntur etiã presbyteri nostri, p. 260.
Presbyterorum genera duo p. 266. probatur ex 1. Tim. 5. 7. p. 267. eius loci verus sensus ponitur p. 268. Respondetur ad falsam interpretationem adversariorum ad hunc locum. p. 268. 269. 270.
Principes Electores in Germania subiecti sunt legibus Imperii & quatenus. p. 45.
Professores Theolog. Lugdunenses mandato Ordinum Hollandiæ de controversiis Cornelii Wigartii censuerũt pag. 81. & de hæresibus Ostorodi & Waydovii iussu Ordinum General. p. 82.

Prophetandi & iudicandi ordo de prophetis qualis fuit olim in Ecclesia Corinthiaca. p. 17. locus 1. cor. 14: de more prophetandi explicatur. p. 16. 17.
Prophetandi libertatem non exagitat D. Sibrandus, sed eius abusum. p. 15. 16.
Prosper vindicatur à corruptelis Grotii in negotio prædest. 107. 108 & seq. Eius sententia vera de prædest. p. 120. 121.

R.

De Reconciliatione per mortem Christi vide sententiam Melanchthonis. p. 92. 96. Prosperi. p. 122. Chrysostomi. p. 124.
Redemptionis Christi distinctio in sufficientem & efficacem probatur ex Prospero, p. 22.
Reformatio Reformationis Belgicarum Ecclesiarum. p. 55.
Regimen Ecclesiæ & religio ante Carolum Magnum in Francia admodum vitiata. p. 194.
Rex M. Brit. quæ de Puritanis scribit cautum vult, se non designare Ecclesias apud exteros Reformatas nec earum regimen. p. 234. 235.
eius severitas in hæreticos eorumque libros. pag. 77.
eius iudicium de libro Bertii de Apostasia. ibid. Eius præclara sententia de iure Magistratus in causis fidei. p. 162.
Regna plæraque habent suas leges regias, hoc est, tales, quibus reges ipsi obligantur. p. 44.
Respublica biceps non statuitur, posita hac nostra Ecclesiæ gubernatione, pag. 282, 283. 284.
Revisio quid pag. 251.
Revisio Catechismi & confessionis. ibid.
Romani pontifices antiquitus à Clero & populo electi sunt cum confirmatione & approbatione Principum, p. 196. & seq.

S.

Saravia ius patronatus reformari optat. pag. 220.
Saul non ponitur in numero electorum à Melāchthone. p. 95.
Sedere in mattis. p. 20.
Seniorū Ecclesiæ cætus olim in populo Israelitico dicebantur Ecclesia ipsa. p. 54.
Servi fiscales & Ecclesiastici qui. p. 52. 53.
Scholastici in definitione lib. arb. non habent Melanchthonem astipulatorē. p. 104
Sibrandus nō blasphemat ordinem politicum, aut eos, qui ipsum

qui ipsum administrant. p. 22. & seq. non risit Ordines. p. 36. nunquam petiit, capite Vorstii iudicium institui. p. 76. nec taxat Ordines in tota sua præfat. p. 149. prius lacessitus respondit Grotio p. 150. moderatum eius judiciũ de collat. præsent. &c. pag. 220. Eius consilium & intentio in appellando Cantuariensi Præsule. p. 56 57 non est alius contra Grotiũ, quam fuit olim contra Bellarminum cum ageret de iure Magistratus. pag. 160.
Sisimius ab Ecclesia electus in Episcopum Constantinopolitanum. pag. 194.
Strigelius docet quid senserit Melanchthon in cõtroversiis his hodiernis. pag. 104. 105. dicit etiam idem docere Brentium & confessionẽ Wittebergensem. ibid. eius sententiæ elegantes de prædesti. pag. 74. & seq.
Synedrium Ecclesiasticũ apud Iudæos olim in V. T. fuit compositum ex Sacerdotibus, Levitis & ex primariis civibus. pag. 261. 265.
Synedrium Iudæorum totum dictum fuit presbyterium. p 265. etiam Ecclesia appellatum. ibid.
Synodi perstringuntur à Grotio. pag. 6. 7.
Synod. Hierosolymitana quã, do & sub quo habita. pag. 170.
Synodus Ephesina sub quo & quot in ea Episcopi. pagina 175.
Synodorum Topicarum & Africanarum mos in iudiciis. pag. 179.
Synodorum decreta solebant vocare dogmata & canones. pag. 180.
Synodi variæ acta sua Imperatoribus examinanda, iudicanda & confirmanda præsentarunt. p. 184.
Σύνοδον ἀναπληρῶσαι. pagina 179.

T.

Theodosii senioris exemplum non facit contra nos. pag. 158. convocat omnis generis hæresiarchas & cur. ibid conventus ille non fuit Episcoporum Orthodoxorum, de quo tamen quæstio inter nos & Grotium. p. 159 non vult nisi ab Orthodoxo baptisari. ibid. Quid sentiat Imperator de iure legitimarum Synodorum. p. ead.
Theodosii & Valentiniani exemplum facit pro nobis. p. 169.
Theodosius iunior quomodo elegerit Nectarium, p. 191. cur. 192.

Theodosii & Valentiniani exemplum facit pro nobis. p. 169.
Theodosius iunior quomodo elegerit Nectarium, p. 191. cur. 192.
Theodoretus Episcopos & Presbyteros eiusdem ordinis & gradus facit. p. 238.
Theologorum proprium & ordinarium munus est iudicare de prophetiis. p. 152. 153. 154. 158.
Theologi Germani iudicant, hanc formam regiminis nostrarum Ecclesiarum in Belgio proximè accedere ad veterem apostolicam Ecclesiam. pag. 232.
Θεσμὸι. p. 181. Θεσπίσματα ibid.
Tituli quid significent in edicto Imp. Caroli. p. 222.
Tituli quibus Papæ suos Cardinales insignire solent. p. 223.
Tituli solent etiam Causæ & capita quæ in Synodis tractarentur, vocari, quæ hodie gravamina ibid.
Traiectenses Episcopi olim ordinariè à Clero & populo electi. p. 213.
Τοποτηρηταὶ olim dicebantur legati Ecclesiarum. p. 171.
Traiectensis Ecclesiæ fūctiones olim magis fuerunt Principatus, quam Episcopatus. pag. 214. Principem habuit Episcopum, ibid.

Valentiniani Imperatoris dictum insigne de potestate Episcoporum. p. 14.
Vitiū naturæ ab authore naturæ discernendum. p. 110
Voluntatis Dei distinctio in occultam & revelatam probatur ex Prospero. p. 123. in antecedentem & consequentē à Damasceno prius excogitata paginâ 124.
Vinfridus Anglus, qui postea Bonefacius dictus, extraordinariè in Episcopum Moguntinum electus. p. 214.
Vox populi, vox Dei, olim dicebatur. p. 86.
Vorstius irrisis & decepit Ordines p. 37. 38. est successor Arminii eiusque causæ propugnator. ibid. Etsi non auditus rectè tamen ex suis scriptis à Rege M. Brit. condemnatus. p. 76. eius libri publicè cremati Londini. pag. 77.
Vorstius ipse duplicem facit Rempublicam civilem & Ecclesiasticam. p. 283.
Vorstii præfatio Antibellarmino præfixa conciliavit gratiam Arminianorum. p. 38. eius iudicium de Catechesi & confessione. p. 64. Qui ALIQVID Christi habent pro fratribus agnoscit. p. ead.

Z.

Zeno Imperator pœnitentia ductus restituit Ecclesiis ius electionis. p. 196.

Zuinglii Ecclesiæ Tigurinæ fundatoris primi iudicium de Senioribus nostris optimum. p. 278. 279.

FINIS

Errata Typographica præcipua.

PAgina. 9, linea. 6, lege. quod. ibid. lin. 24. lege antiquitati. p. 17. lin. 12. l, prædicarent. p. 22. lin. 2. l. ipsis. ibid. lin. 4. l. vesaniæ. ibid. lin. 7. l. pro tum, tamen. ibid. lin. 33. l. fascinati. p. 28. lin. 33. l. authoritate. p. 29. lin. 32. l. peccati. p. 33. lin. 7. l. falsi. ibid. lin. ult. l. erat. p. 34. lin. 20, l. cogitandum. p. 35. lin. 31. l. Ecclesiæ. p. 38. lin. 16. l, vocationis. p. 42. lin. 1. pro Capite, l. Numero. p. 43. lin. 1, l. debeat. p. 47. lin. 12, l, imprudens. ibid. lin. 14. pro Capite l. Numero. ibid. lin. antep. l. Ordines. p. 48. lin. 11. l, Numeris. et lin. 19. l. nulla. p. 55. lin. 23. pro Articulus l. Numerus, p. 62. lin. 10. et 11. lege Numerus vigesimus quartus, etc. desumptus. p. 72. lin. 7. l. justificationis. p. 73, lin. 24. l. electione. et lin. 32. l. nostræ. p. 74. lin. 18. l. aut et lin. 32. l. Stoicorum. p. 75. lin. 15. l. esse. p. 77. lin. 15. l. scribere. p. 79, lin. 15, l. possum. p. 87. lin. 19. l. paricidas, p. 88. lin. 1. l. Quadragesimum Numerum. p. 91. lin. 6. l. Grotius. p. 108. lin. 1. l. August. et lin. 3. l. Augustinus. p. 109. lin. 7. l. judicio. p. 110. lin. 29. l. Augustino. p. 114. lin. 8. l. mirabilius. p. 115. lin. 7. simili. p. 117. lin. 12. l. simili. p. 128. lin. 31. l. quamvis. p. 129. lin. 19. l. verba. p. 130, lin. 15. l. obedivissemus. p. 131. lin. 34. l. diserte. p. 136. lin. 17. l. infamat. et lin. 30. l. collatione. p. 139. lin. 31. l. Pelagianos. p. 145. lin. 31. l. fide. p. 166. lin. 26. l. incrustationes. p. 170. lin. 21. l. Constantino. p. 171. lin. antep. l. ad. p. 193. lin. 30. l. pro ex et. p. 194. lin. 24. l. quidam. p. 197. lin. ult. l. jus. p. 203. lin. 25. l. pugnat.

FINIS.

I.

DE VITA ET MORTE

Cl. Doct. & Reverend. viri

GODEFREDI SOPINGII

Ecclesiastæ Bolsuerdiani,

AD

Clariss. & Nobiliss.

TACITVM ab AYSMA

Epistola.

NOn dubito, *Vir Clarissime*, quin lachrymas tibi excusserit tristis & inopinatus nuntius de transitu doctiss. & Reverendi viri Godefredi Sopingii Ecclesiæ nostræ Ministri fidelissimi. Coluisti illum ut amicum & studiorum commilitonem, veneratus ut eximium Christi servum, & in Octoviratu Provincialis Synodi non semel Collegam. Pares mihi cultus & venerationis causę. Nam simul in Franecarensi Athenęo ille sacro, ego civili juri, ambo politiori lireraturæ operam dedimus, deinde per totos tredecim annos in hac patria urbe ego illum ut diligentissimum Orthodoxę & Reformatę religionis Doctorem, ille me ut amicum constanti amicitia mutuò coluimus. Accedit & frequens & pœne quotidiana mutuitatio, quando ille curis Ecclesiasticis, ego urbanis ne-

gotiis expeditis communia ſtudia & in veteres auctores emendationes, mores, ritus obſervatos conferebamus. Sed hæc privati affectus ſunt, at Reſpublica & Eccleſia quam ingens damnum paſſę in tanti viri obitu dicam an abitu, cui vix parem videt Friſia, & in quo uno dona & virtutes, quæ in Miniſtro requiruntur, ſummum periculum adiiſſe videntur. Quare & privatæ amicitiæ jure & publici doloris leniendi cauſa tanti viri vitam, mores ſtudia brevi epiſtola tibi narrare, & ſub tui nominis auſpicio, *Nobiliſſime Ayſma*, publicare, fiduciam ſumpſi: Nihil dicam niſi quod veriſimum & longis magniſque experimentis mihi cognitum. Detur hoc ſupremo pietatis officio, ut quem vivum amplius videre, amplecti non datur, ſaltem mortui memoriam colamus, prorogemus. *Godefredus Sopingius* natus eſt Veneræ municipio agri Tranſledani in Comitatu Friſiæ Orientalis, ubi pater religionis cauſa exulans diſperſa Chriſti membra in fidei unitate colligebat. Natus eſt anno Chriſti Iuliano 1573. decimo ſexto Septembris pridie Lamberti hora cœleſti, quam obſervant Aſtrologi XIX.s. quæ incidit in horam dici civilis I V.s. Patrem habuit Nicolaum Sopingium civem Groninganum virum doctrina eloquentia & pietate venerandum, qui poſtquam Venerâ diſceſſiſſet, Gretam in eadem Provincia vocatus fuit. Illinc circum annum Chriſti 1579. ab Eccleſia Vltrajectenſi vocatus ibi rerum ac fortunarum ſuarum ſedem poſuit, & cum Reverendo ac maximi nominis Theologo Ioanne Vtenbogaert aliiſque collegis, rem Eccleſiæ Belgicæ pro viribus promovit, donec anno 1590. Bredam Brabantiæ ab Illuſtriſſ. & Glorioſiſſ. Principe Mauritio interceptam judicio & conſenſu Provincialis Synodi tranſlatus eſt, ubi fi-

bi fidelem Ecclesiæ & Christo operam præstitit, sed vix ultra biennium, ubi & diem extremum clausit. Mater fuit Asselia Laurentii Matrona honestissima Bredæ adhucdum vivens, quæ ipsum primo partu enixa est. Pater, sive Mathematici instinctu, qui horoscopum pueri inspexerat, & si studiis adhiberetur, insignem fore Philosophum prædixerat, sive religiosa in Deum gratitudine motus (quod credi par est) primogenium suum Deo & Ecclesiæ vovit, ut ipse mihi frequenter narravit. Prima literarum rudimenta Vltrajecti posuit sub disciplina Scholæ Hieronymianæ, ut vocant. Emicabant in ipso prima ætate illustria ingenii. modestiæ & pietatis signa, ut etiam contubernales exemplo præiret. Fungebatur eo tempore Vltrajecti Rectoratus munere doctissimus Theologus & Græcarum literarum callentissimus Ioannes Arcerius Theodoretus, cujus disciplinę & institutioni pater ipsum arctissimè commendaverat, nec minori affectu' Arcerius discipulum propter eximias ingenii dotes complexus est, & retinuit usque ad annum Christi 1587. quo Arcerius Ordinum Frisiæ diplomate ad Professionem Græcæ linguæ vocatus fuit. Mansit deinde Godefredus apud parentem in eadem Schola anno uno aut sesquialtero, deinde propter insignem in literis profectum à præceptoribus dignus habitus, qui ad Academiam mitteretur Arcerium in Academia Franecarensi Græcam linguam profitentem secutus & ab ipso in filiorum contubernium sed propria quadra receptus fuit. Cœpit ibi cum Arcerianis filiis, Isaaco Pontano viro clarissimo & apud Hardervicenos Philosophiam profitente, politiorem literaturam & literas Græcas, ut Vltrajecti inceperat intentiore studio prosequi, Critices studiū,

quod tunc temporis clarissimo viro Iusto Lipsio quasi duce & præside in Batavia efferveſcebat, amplecti, tum etiam carmini ſcribendo operam dare. Vivebant in ædibus Arcerianis præter Ioannem & Sixtum filios, quorū ille Altenæ propter Hamburgū Eccleſiæ Belgicæ paſtorem agit, hic Franecaræ Græcam Linguam & Hippocratem interpretatur, Sopingius noſter, Iſaacius Pontanus, quē modo nominavi. Accedebant quotidie clariſſimus ICtus Thomas Herbajus Fiſci, dum vixit, Advocatus, & diſertiſsimus Medicorum Raphaël Clinckebilius, poſtea Hippocraticus Profeſſor, aliique ſtudioſi, qui memoriam nunc fugiunt. (nos eo tempore jus civile flagrantiſsimo ſtudio, & indefeſſo labore proſequebamur, illi collegium & ſocietatem ſtudiorū inierant certis pœnis legibuſque, ut quotque ſeptimanis unus præſideret, reliqui ſingulis diebus pomeridianis horis, cum ordinaria ſtudia ipſos dimiſerant, ſententiam aliquam Philoſophi, Poëtæ, Hiſtorici memoriter explicare tenebantu r, nonnunquam etiam cubiculi, in quo conveniebant, poſti, quem Paſquillum Romanum appellabant, carmen aliquod affigebant, de quo reliqui judicare aut refingere magno ſtudio certabant. Ita Arcerianæ ædes domicilium Muſarum erant, pluſque privata exercitia proderant, quam quorundam lectiones publicæ. Revocabant quippe in uſum ſolennes veterum recitationes, quas Plinius, Quintilianus, Martialis, aliique tantopere laudant. Vtinam Curatorum decreto mos ille in publicum uſum revocetur bono publico: ut ſtudioſi, ſaltem alimentarii publici, privatis recitationibus exercerentur! haberemus, hercule, qui maximis viris exæquari poſſent, quorum nunc apud nos magna caritas eſt. Hiſce quotidianis exercitiis,

in u-

in utraque lingua cum supra spem & votum profeciſſet, tandem serio animum ad Sacrę Theologiæ ſtudium applicare inſtituit ſub Clar. Profeſſoribus Martino Lydio, Henrico Antonio, & Sibrando Lubberto præſtantiſsimis Theologicæ facultatis Triumviris. cumque judicaret ſe parum proficere poſſe, niſi & Hebraicè diſceret (notebat enim ſuperficiarius eſſe Theologus, ut multi hodie ſunt, qui ex ſolis commentatiis ſapiunt,) ſacrę linguæ ſtudium adjunxit ſub Clariſſ. viro Ioanne Druſio ejuſdem linguæ Profeſſore, ſub quo tantum profecit, ut non modo ipſam intelligeret, ſed & judicaret de ea; quod teſtari poſſunt Biblia ejus Belgica, quorum textum ex Hebraica veritate centenis aliquot locis marginalibus notis emendavit. Hoc optimo ſtudendi genere, labore indefeſſo ſub tantis magiſtris adeo profecit, ut jam publica eruditionis, pietatis, ac modeſtiæ famâ clareſceret, ac votis omnium miniſterio Eccleſiæ, cui pater ipſum devoverat, deſtinaretur. Igitur anno Chriſti 1595. à Collegio Theologico examinatus eſt, & ab Eccleſia Tierquerdenſi vocatus ſanctiſsimi muneris tyrocinium ibi depoſuit. Anno 1596. decimo ſeptimo Septembris poſtridie natalium, cum annum ętatis vigeſimum quartum ingrederetur, Vxorem duxit Virginem, Rixtam Henrici Bernardi concionatoris filiam, quàm unicè amavit & arctiſsimâ charitate complexus fuit, ex qua duos liberos ſuſtulit ſimul & amiſit: quia neuter perennavit. Anno 1597. ad Rectoram trium Eccleſiarum, Schettenſis, Longerhouvenſis & Schraardenſis Bolſuardianæ claſsis conſenſu tranſlatus eſt: ubi tanta docendi facundia & innocentia vitæ verſatus eſt, ut diverſis vocationibus tantum non diſtraheretur: ſed illa incredibili humilitate ſemper-

que minus de seipso sentiens remsit omnes, maluitque Ecclesiis suis, quas regendas susceperat simulque famam modestiæ tueri, quã pinguiores vocationes captare, uti nunc faciunt plurimi. Denium anno 1602 cum Bolsuardiana Ecclesia mutuis dissensionibus conflictaretur, nec semina discordæ & procacia partium studia tolli possent, nisi ministri ambo dimitterentur, unus hic nostet judicio utriusque Senatus & quasi publica civium voce dignus habitus, qui pacem Ecclesiæ, concordiam civibus restitueret. Iam ante quinquemium eadem vocatio delata fuerat, sed excusarat, quasi impar tanto oneri: nimius sui obtegens & dissimulans virtutes ac dona, quæ alii ambitiose obtrudunt. Nunc verò magnorum virorum persuasu, & quod é re Ecclesię futurum speraret cunctabundus tamen conditionem accepit adulto autumno Anno 1604. remque familiarem ad nos transferens cepit paulatim sub felici nominis augurio PACEM DEI Ecclesiæ inferre, male sociatos animos conciliare, causas odii mitigare, in quo admirabilem constantiam patientiam, modestiam supra spem & votum bonorum omnium ostendit pariter & servavit per annos tredecim, quibus apud nos vixit. Præter pieratem, eruditionem facundiam, quæ requiruntur in Ecclesiæ ministris: certabant in ipso prudentia & modestia rarissimę seculi nostri virtutes, quorum ope non modo pacatè & prudenter Ecclesiæ nostrę præerat, sed fama quoque per Belgicas provincias clarus gravissimis Ecclesiarum negotiis fuit adhibitus. Bis Hagam Comitatensem missus fuit ad controversias Ecclesiarum conciliandas, & dissidentes quorundam animos ad consensum fidei reducendos. Sępe à privatis, sæpe à classicis

Ministro-

Ministrorum conventibus literis consultus fuit, & prudenti ejus judicio fœliciter usi sunt, quod illi, à natura igneum & perspicax contigerat longisque rerum experimentis, tum veteris Ecclesiasticæ historiæ cognitione firmaverat. Anno 1609. amici aliquot & in Republica principes, qui variam eius eruditionem perspectam habebant, ad præfecturam Gymnasii Leouardiensis privatim quidem, sed Magistratu eius urbis non nolente, luculento stipendio invitarunt, sed varias ob causas, & tenuitatem sui prætendens verecundé excusavit. Anno 1614. post obitum Reverendi & doctissimi viri Henrici Antonii Theologiæ Professoris una cum Clarissimo & disertissimo Leouardiensis Ecclesiæ Ministro Ioanne Bogermanno ad eandem Professionem vocatus fuit. Deliberabat diu, ut erat cunctator natura, & cui cauta potius consilia cum ratione, quam properata ex casu placebant, licet quotidie perdensissimis præstantium virorum literis etiam ex finitimis Provinciis flagitaretur. Tandem illustrissimi Præsidis Provinciæ, & Amplissimi Ordinum senatus literis evocatus tum coram in illustri eorum consessu per salutem Ecclesiæ & Academiæ obtestatus cum Reverendo viro Ioanne Bogermanno hactenus consensit, si ab Ecclesia sua & Classe honestam missionem impetrare possit. Plura in ista vocatione contigerunt, quæ silentio transmittere, quàm hic narrare consilium est: illud sufficiet divina providentia tum Ecclesiæ civiumque officiosa protestatione contigisse, ut tot illustrium virorum intercessionibus insuper habitis tam honestæ vocationi nuntium remiserit: ita pacem semper, in omni vita modestiam servavit, bonoque publico privatum posthabuit. Tam

æquabili

æquabili & constanti tenore vitę, fama integra & inoffensa bonorum omnium gratia cum tredecim annos & quod excurrit Ecclesiæ nostræ doctrinâ & exemplo præfuisset, inopinantem planè & cum Collega Godscalco AEltio ex suburbana deambulatione redeuntem lenta illa & fatalis quartana adprehendit sexto Octobris post meridiem, totisque octo septimanis lento morbo adflixit simul & sustulit. Quam primum morbi præludia sensit, fatalem sibi horam instare augurabatur ex verbis, imò & signis quibusdam, quæ huc referre cui bono? & quamquam apud amicos ipsum invisentes non dissimilaret: uxorem tamen magno studio celabat. Primus febris accessus leniissimus fuit, & nisi secundo tertioque paroxismo invaluisset (ita ipse manu sua in Ephemeride notarat) vix morbum credidisset, paulatimque increscens adeo vires per se tenues adflixit, ut semel tantum postea concionatus fuerit die Novembris 12. post meridiem 16. 17. & 18. erotemata Catecheseos de utraque Christi natura explicans voce motuque perdebili & pene deficiente. Deinde domi se continuit, nec ultra in publico visus. Toro morbi tempore nullum doloris impatientiæ, timiditatis signum prætulit, semper sui similis, nihil spirans nihil geminans nisi *Cupio dissolui & esse cum Christo.* Item interrogatus quomodo se haberet, plerumque respondit ex Psalmo, *In spe & silentio.* Item, *Domine ego silebo, tu facies.* Amicos, necessarios, presbyteros ipsum invisentes ad pacem Ecclesiæ & consensum Fidei Orthodoxæ servandum obtestabatur. Cum fatalis ipsi hora adesset, & paroxismi febriles jam quasi reciproca-

rent.

rent hora noctis primâ collega Aeltius, Nobilissimus Geroldus à Cammingha, Rector Scholæ Henricus Antonius, ipse ego aliique (aderat & frater Adolphus Sopingius & Henricus Ostellanus ministri) vocati jam pene deficientem invenimus, mente tamen integrâ, & precibus collegæ quasi admurmurans: oculis nutuque significans intelligere se & adprecari; ita tribus pene horis cum morte luctatus inter uxoris & amicorum suspiria, lachrymasque divinam animam placide exhalavit ultimo Novembris minutis quindecim post horam 4. matutinam, quæ ipsi sano & viventi solennis erat studii auspicandi, cum vixisset annos 42, menses 2. dies 14. Nos innocentissimam animam votis precibusque secuti non sine lachrymis discessimus, & licet animo plane consternatus, ipsa tamen doloris luctusque magnitudo domum redeunti hoc qualecunque carmen excusit:

Augusti proceres cœli quos aurea virtus
Splendida lacteola vexit in astra viâ
Matutina micant tacito dum sydera cœlo
Et nondum roseus jussit abire dies.
Accipite hanc animam numerumque augete piorum
Plaudat & indigeti cœlica turba novo.
Namque polo si fulgebunt velut astra sereno
Justitiæ populos qui docuêre viam.
Huic quoque sydereæ debetur palma coronæ,
Qui fidei antistes justitiæque fuit.

Statura fuit exili magis quam mediocri, facie candidâ,

lata fronte & modestam quandam gravitatem præ se ferente, barba subalbescenti sed rara: in incessu lenta gravitas & decora cunctatio, Corpore bene compacto valetudine integra; nam tota vita nunquam ex morbo decubuerat, quo magis illi hæc lenta quartana suspecta fuit. De bonis & Bibliotheca sua jam ante septennium cum uxore reciproco ut vocant, testamento disposuerat, Scripta in tres classes distinxit & amicis nuncupavit Πολέμικα sive de controversiis Fidei & Religionis Reverendo & Clarissimo Theologo Sibrando Luberto & suavissimo collegæ Godscalco A Eeltio tradi mandavit, ut si videretur emendarent & in lucem ederent. Δογμάτικα clarissimo fratri Adolpho Sopingio ministro Longerhouvensi legavit. Κριτίκα animadversiones & Emendationes veterum auctorum (in quibus mutuam operam præstiteramus) nobis tradi voluit veteris & constantis amicitiæ monumentum. Multa scripsit sed pauca absolvit præter hoc ipsum, quod nunc damus honori & defensioni Præceptoris sui, quem parentis loco coluit, scriptum: quod nec ipsum extrema manu expolire potuit. Vt quod Plinius de Cajo Fannio scripsit ego de Sopingio nostro ejusque scriptis vere dici posse existimem: *Mihi autem videtur acerba semper & immatura mors eorum, qui immortale aliquid parant. Nam qui voluptatibus dediti quasi in diem vivunt, vivendi causas quotidie finiunt: qui verò posteros cogitant, & memoriam sui operibus extendunt, his nulla mors repentina est, ut quæ semper inchoatum aliquid abrumpat. Proinde dum suppetit vita, enitamur ut mors quam paucissima, quæ abolere possit*

inve-

inveniat. Scripta ejus, quę in ſcriniis invenimus ἀνέκδοτα pleraque indegeſta, & inemendata ſunt, quorum Indicem ſubjicimus.

Πολεμικά.

Cenſura in Exegeſin Conradi Vorſtij, abſol.

Proef-ſtuck vande nieuwe ende valſche leeringhe, *&c. abſol.*

De controverſiis fidei horum temporum.

Δογματικά.

Conciones perpetuæ in tredecim priora Capita Matth.

Conciones Catecheticæ.

Conciones ſolemnes in Feſta anniverſaria.

Notationes variæ ad loca aliquot S. Scripturæ.

Κριτικά.

Caſtigationes in aliquot libros Jamblychi & ſeparatim Notæ in librum Jamblychi de vita Pythagoræ, & Protrepticon ejuſdem.

Chorographia Atticæ regionis & Urbis Athenarum.

Eſychianarum Lectionum ſive emendationum in Eſychium libri tres. Abſol.

Obſervationum & emendationum libri aliquot ſed indigeſti.

Notæ in Sidonium Apollinarem absolutæ & nobis dedicatæ.

Notæ & emendationes in glossas Isidori.

Notæ ad Eustathium Grammaticum.

Catalogus Fabularum Comicarum & Tragicarum breve opusculum sed insigne.

Talis tantusque fuit noster Sopingius, nobilissime Aysma, in cujus virtutibus & studiis deprædicandis hic sistemus, servabimusque modum, &, quæ ipsi peculiaris fuit, modestiam. Fruitur nunc ipse in cœlis æterna beatitudine, vivet hic in omni posteritatis memoria, & licet illa diserta & fulminatrix lingua nunc sileat, loquitur tamen & loquetur scriptis suis in Ecclesia Dei, donec erit illa. Habet sane Ecclesia nostra grande solatium, quæ tantum bonum tam diu tenuerit: sed cogitemus mortalem fuisse, votisque apud Deum insistamus, ut si non parem Sopingio, proximum tamen virtutibus ejus successorem largiatur. In quo omine finio & te, Nobilissime Aysma, salvere jubeo. Bolsuardiâ ex Musæo nostro XIII. Februarii anno CIↃ. IↃ. CXVI.

Tuus

SIBRANDVS SICCAMA.

D. O. M. S.

Cl. Doctiss. & Reverend. Viro,

GODEFREDO SOPINGIO, THEOLOGO EXIMIO,

VERBI DIVINI PER ANNOS XXI. (QVOD VITÆ DIMIDIVM FVIT) MINIST. FIDELIS. HEBR. GRÆC. LAT. LINGG. PERITISS. IN OMNI POLITIOR. LITERATVRA VERSATIS. GRÆC. LING. CRITICO INGENIOSIS. IN ECCLESIAST. NEGOTIIS PRVDENTIA SING. DIVERS. LEGAT. FVNCTO PACIS ET CONCORD. ECCLES. PROCVR. PIETATE IN DEVM, CARITATE ERG. FRAT. MODESTIA ERG, OMNES SING. QVI

NATVS

ANNO CHRIST. M.D.LXXIII. XVI. SEPT.

DENATVS

ANNO CHRIST. M.DC.XV. VLT. NOVEMB.

VIXIT

ANN. XLII. MENS. II. D. XIV.

AMICO ET DOCTORI INCOMPAR. HOC CARTACEVM MONVM. LVCT. ET MEM. TEST. CAVS.

SIBRANDVS SICCAMA, L. M. P. C.

Quisquis ab externâ veniens regione Viator
Sancta premes templi limina siste parum.
Hic cineres Docti *clauduntur & ossa* Sopingi,
Vrnaque tam grandi pignore farcta tumet.
Scilicet hic Pietas, & puræ Regula vitæ,
Et Pastor, populi & publica Lingua jacet:
Quem gemit ingenti damnata Ecclesia luctu,
Tristis & abjectâ luget Apollo lyrâ.
Bis tria complerat fragilis septennia vitæ
Cum rapuit tantum mors inopina virum.
Sed bene quam angustum vitæ divîserat ævum
Dimidium Musis, *dimidiumque* Deo?
Ter septem studiis Musarum impenderat annos
Et totidem sanctum pavit ovile Dei.
Sprevit & irrisit stolidi ludibria vulgi,
Et cessit mundo portio nulla sui.
Parcite, qui legitis, votis extendere vitam:
Si neget, heu, tantis parcere Parca viris.

ALIVD,

Qui putet, hoc uno *Godefredum*, marmore condi
Fallitur: haud uno conditur ille loco.
Divisere simul spolium tam nobile, partem
Et terra, & cœlum, famaque sorte tulit.
Terra tulit cineres, animamque recepit Olympus
Servavit reliquum candida fama sibi.

S. SICCAMA P.

153558

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-56515/fragment/page=0377

GODEFREDI SOPINGII.
Apologetica Responsio
AD
LIBELLVM
ANONYMVM
qui vocatur
BONA FIDES
SIBRANDI LVBBERTI
Et ad
HVGONIS GROTII
PIETATEM
Cui annexa est
ipsa BONA FIDES Anonymi & VITA auctoris
Summa huius libri indicatur post praefationem.

FRANICÆ
Ex Officina
ROMBERTI DOYEMA,
Ordinarij, cum viveret, ORDINVM FRISIAE
Typographi. in Academia Franicana.
Sumptibus Viduæ, & Iohannis Lamrinck
Bibliopolæ Bolswardiani. 1616.